UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00356761 7

MONVMENTA GERMANIAE HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

EDIDIT

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

POETARVM LATINORVM MEDII AEVI

TOMVS III

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCXCVI

POETAE LATINI

AEVI CAROLINI

TOMVS III

RECENSVIT

LVDOVICVS TRAVBE

ADIECTAE SVNT TABVLAE VII

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCXCVI

40416
18/11/97

DD
3
H8P6
t.3

Aulae Vimariensis officina typographica.

Patria plurimorum poetarum in hoc spissum volumen congregatorum Gallia fuit; sed ad magnum numerum eorum, qui in occidentali regno floruerunt, si tamen floruerunt aliquo modo, non nulli Itali accedunt, pauci Hispani, pauciores Germani; Scotti enim, quos multos recepi, cum plerumque in Gallia peregrinati sint, ipsis Gallis adnumerantur. Actas in Karoli Calvi tempora incidit; pauci post eum scripserunt. paucissimi ante. Et quia temporum imaginem ex aequalium arte sic videmur cognoscere, quasi inde fideliter sit repercussa, docti illius principis aevum ex hoc tertio volumine tantum lucis lucrabitur, quantum pii patris ex secundo, docti pii atque magni avi ex primo. Neque aliter haec tria volumina se excipiunt quam Karoli Magni eiusque successorum regna inter se cohaerent. Hoc prudentes admonitos esse volo, ut tandem quaerere desinant, poetae quam ob causam in historiae monumenta admittendi fuerint, alienigenae quam ob causam in Germaniae. Neque hoc iam agitur, num iure sint editi; agitur, num bene. Quod praestitisse multum abest ut ipse mihi videar. Aliorum iudicio si quid profecisse videbor, sola tertia laudis pars erit mea. Tertia Ludovico Bethmann et Ernesto Duemmler danda est, qui editionis fundamenta feliciter posuere, ille poetarum studio resuscitato, bibliothecis perlustratis, libris indicatis et descriptis, larga undique ac varia supellectile parata, hic illius copias magno opere augens et prioribus voluminibus emissis exemplum proponens imitandae virtutis. Tertiam partem qui consequantur, ii digni sunt, qui me, postquam in Duemmleri locum successi, variis beneficiis obstrinxerunt et hanc editionem dictis factisque ali-

quantum promoverunt. Principem inter eos locum Gulielmus Meyer Spirensis, nunc professor Gottingensis, obtinet, qui cum pro sua erga me amicitia nunquam mihi deesset, tum me carmina Mutinensia et Godescalci versus edentem optimis consiliis longe ultra ea prosecutus est, quae nominatim in adnotationibus significantur. Simili modo — ut ab eo viro, qui lumen ac praesidium horum studiorum est, ad spem futuram nostram transeam — Paulus de Winterfeld, doctissimus iuvenis Berolinensis, id suo interventu effecit, ut versus de Adalhardo emendatiores atque eosdem a tradita scriptura minus recedentes emitterem. Sequuntur ii, quos aut in prioribus praefationibus iam nominavi aut ut nominem nunc cum maxime necesse est, quoniam communes nostros alumnos — poetas dico Karolinos, quos ab aliis alio tempore adiutus ipse per plus decem annos colui — iam valere iussurus sum. Mihi igitur aut bibliothecas reserarunt aut codices contulerunt aut descripserunt aut alio modo succurrerunt: Bambergenses Ioh. Fischer, Fr. Leitschuh; Berolinenses E. Duemmler, Br. Gueterbock, O. Holder-Egger, B. Kuebler, R. Lepsius, F. Liebermann, Th. Mommsen; Bruxellenses I. Ouverleaux, K. L. Ruelens b. m.; Cantabrigienses F. Jenkinson, K. Jex-Blake, Ioh. P. Postgate; Cantabrigiensis Americanus K. Francke; Casinensis A. M. Amelli; Cavensis G. Colavolpe; Coloniensis G. Schmitz; Dubliniensis Th. K. Abbott; Florentinus G. Karo; Gothanus G. Pertsch; Hannoveranus Br. Krusch; Hauniensis I. L. Heiberg; Helsingoforsanus F. Gustafsson; Laudunensis M. Mahon; Leidensis S. G. de Vries; Lipsiensis V. Gardthausen; Maredsolanus U. Berlière; Monacenses F. Boll, G. de Christ, F. de Eckardt, M. Goldstaub, G. Keyssner, K. Krumbacher, Th. Preger, E. Sellers, R. Simon, K. Weyman; Montepessulanus M. Bonnet; Neapolitanus I. Fumagalli; Parisini L. Delisle, H. Lebègue, A. Molinier, H. Omont, S. Reinach; Romani R. Brigiuti, Ioh. Graeven, A. Mau, Ioh. Tschiedel; Valentianensis M. Hénault; Vimariensis P. Mitzschke; Vindobonenses A. Dopsch, Th. Gottlieb. Nec qui olim a Duemmlero rogati codicibus collatis aut alia ope lata operi nondum meo facto profuerunt, C. Bursian b. m., P. Ewald b. m., R. de Fleischhacker, K. Foltz b. m., H. Hagen, M. Manitius, E. Sackur, A. Schoene, H. Wartmann, G. Wattenbach, hic sua laude fraudandi sunt. Praeterea G. Harster Spirensis ut plerisque poetarum in secundo fasciculo collocatorum laudabilissimam curam attulerat, ita in tertio Iohanni, Miloni, Godescalco; Karolus vero Neff, amicus Monacensis, in eodem toto fasciculo strenuus mihi adiutor exstitit librariorum typothetarumque errores expellendo et ex operosis indicibus eum conficiendo, qui rerum et verborum generalis inscribitur. Finem facio, unde poteram incipere, in maximis gratiis agendis bibliothecae regiae Monacensi eiusque tam docto quam benigno praefecto, Georgio de Laubmann.

Scribebam Monachii Apr. 1896.

Ludovicus Traube.

EX PRAEFATIONE AD PARTEM PRIOREM (pag. 1—264).

. . . Praemuniverat viam Ernestus Duemmler cum priorum voluminum exemplo tum codicum mole in N(eues) A(rchiv f. aeltere d. Geschichtsk.) IV 295 sqq. congesta et fere digesta; neque edenti comitem se abnegavit et ipse typothetarum errores expellens ceterumque non nihil mihi subministrans. Praeterea Manitii in plurimos horum versificorum supellectilem mihi tradidit, quam ille quamquam largius quam prudentius, paraverat tamen haud abiciendam, qua recisa a me et suppleta subnotaremus 'quam lepide λέξεις compostae ut tesserulae omnes arte pavimenti atque emblemate vermiculato'. . . .

Monachii Sept. 1886.

EX PRAEFATIONE AD FASCICULUM PRIOREM PARTIS ALTERIUS (pag. 265—517).

. . . Neque quicquam reliqui esse sentio, nisi ut publice referam gratias .. Leopoldo Delisle, palaeographorum nostri aevi facile principi, cuius numquam nos deficienti opera etiam id provisum est, ne Angilberti carmen a Mabilione olim editum in hoc volumen admitteretur praeter temporum rationem[2]; Georgio Laubmann, nostrae bibliothecae praefecto, cuius in largiendo cui praeest thesauro plus quam civilem liberalitatem dudum sumus experti, quiqui vivimus in libris; Domno Amelli, monacho Casinensi, qui in Bertharii poematis edendis permultum me adiuvit codicibus aliquot Casinensibus et indicatis et descriptis; Iosepho Fumagalli, bibliothecario Mediolanensi, qui Ludovici imperatoris epitaphium, qua est comitate, ad lapidem mihi contulit accuratissime; Gulielmo denique Harster v. c., qui dum voluminis huius volgandi munus primo solus sustinet omne, tum aliquamdiu inter nos partitum, Miconis codicem Erlangensem et Heirici Parisinum contulit, in Carminibus Centulensibus (cf. infra pag. 265 et 273) et Agii Dialogo perbene nonnulla distinxit atque emendavit, plagulas a pag. 279 ad 369 mecum correxit .. quique ὁμοιοτήτων colluviem a M. Manitio in Agium et Heiricum quamvis laboriose congestam monitu meo iam prius coeperat purgare quam ipse totam fere expellerem. . . .

Monachii Iun. 1892.

---

1) *Etiam thesaurum poeticum a L. Quicherat collectum, ut par erat, adhibui.* 2) *Cf. Abhandlungen der k. bayer. Akademie der Wiss. I. Cl. tom. XIX part. II pag. 322 sqq.*

signa in hoc tomo adhibita sunt haec:

/// = *litterae totidem erasae*

... = *litterae totidem non legibiles*

| = *versus extremus*

|| = *pagina extrema*

[ ] = *interpolata*

⟨ ⟩ = *e coniectura addita*

† = *locus desperatus*

* = *editoris coniectura; verba male in codicibus vel coniuncta vel dirempta, veluti in Carmin. Centul. XVI 1 pag. 298 talem libri Bruxellensis lectionem* tuba si afige *pro* tu basia fige, *subnotare non soleo, nisi ubi ante me mendose edebantur.*

corr. = *'correxit', ita ut si nihil adponitur, id quod vel librarius vel grammaticus correxit, in textu legatur.*

HOC VOLVMINE CONTINENTVR

	Pag.
Vita beati Leudegarii martyris	1
Paschasii Radberti carmina	38
Engelmodi carmina	54
Audradi Modici carmina	67
Pauli Albari carmina	122
Cipriani et Samsonis carmina	143
Appendix	147
Sedulii Scotti carmina	151
Encomium Guntharii	238
Bibliothecarum et psalteriorum versus	241
Carmina Centulensia	265
Dialogus Agii	369
Bertharii carmina	389
Carmina de Ludovico II imperatore	403
Hincmari carmina	406
Heirici carmina	421
Iohannis Scotti carmina	518
Appendix	554
Milonis carmina	557
Appendix	676
Carmina Scottorum Latina et Graecanica	685
Carmina Mutinensia	702
Godescalci carmina	707
Appendix	737
Audradi carminum supplementum	739
Praeterita	746

Pag.

Indices 759

I. Initia carminum Latinorum 761
Initia carminum Graecorum 764
Initia epistularum 764

II. Index nominum 765

III. Index scriptorum 780
Versus apud Miconem et in exemplis Vaticanis ad auctores nondum relati 789

IV. Index grammaticus in carmina Hispanorum 790
Index orthographicus in carmina Scottorum 795
Index grammaticus in carmina Italorum 797
Index rerum et verborum generalis 798

V. Index metricus et rhythmicus 815

VI. Index palaeographicus cum enarratione tabularum 819

Adiectae sunt tabulae VII.

VITA BEATI LEUDEGARII MARTYRIS.

Meum agmen ducat vita S. Leudegari metrica, quae si locum in secundo tomo obtinuisset, dubitari licet an factum esset maiore iure. Necesse est, si minimum respicimus, composita sit post annum fere 684[1], *quo sanctum martyris corpus in Pictavam basilicam propric sibi consecratam*[2] *est translatum, si extremum, saeculo IX. vergente, cum qui non archetypus est codex hoc vel ineunte X. conscriptus sit; si tamen adcuratius quaeris et Domni Pitrae editoris principis iudicium sciscitaturus, etiam ante annum 857 (nam 886 errans ille dixit), quo anno Danis Pictavorum civitatem devastantibus*[3] *cum reliquiis SS. Maxenti atque, ut cum veritatis specie coniciunt, Leudegari Pictavis monachi secesserunt in regiones securiores*[4]. *En intervallum satis largum et quod sperabis nos tibi aliquanto coartaturos esse. Atque ultro adpuret Pitrae argumentum non prius stare, quam quo loco scripserit poeta sciamus.*

Is cum ducem[5] *omnino sequeretur vitam Leudegari brevi post 684 ab Ursino*[6] *monacho Pictavo divolgatam miracula post translationem facta exemplo suo non adstruxit, id quod memorabile sane est. Habuit enim qui eodem Ursino usus de S. Leudegario scripsit monachus ille Morbacensis a Pitra primum editus*[7], *quamvis non multa, quae adderet. Nec tamen flocci facerem*[8], *nisi miro carminis fine contra se ipse flagitasset, ut ieiunitatis*

---

1) *Acta SS. Octobr. I, 426 sqq.*. 2) *Cui basilicae non Leudegari, sed Maxenti nomen erat; cfr. acta Karolina ed. Sickel L. 252* monasterium S. Maxentii in territorio Pictaviensi in quo S. Leodegarii corpus requiescit. 3) *Cfr. annal. Bertin. ad h. a.*. 4) *A. SS. 443 sqq.*. 5) *Pitra 399 et Paris Romaniae I, 298 sq.. Ne quis in eundem mecum incidat errorem, moneo si quae sunt poetae communia cum vita Leudegari a monacho Augustodunensi exposita (A. SS. 463 sqq.), ea non inde oportere explicari quod narratio fluxerit ex ipso Audulfi commento utriusque prosaicae vitae fonte (cfr. ibid. 361 sqq.), sed mero casu esse tribuenda; veluti delusus eram hoc exemplo: vita metr. I, 94* diruta restaurans melius renovatque vetusta *(sc. Leudegarius monachus), vitae Ursini nihil inest simile, in Augustod. I, 5, 464* postquam omnia quae diruta fuerant renovasset *(sc. L. episcopus, sed obiter res adumbrando potuit errare). Miror tamen, quomodo qui horum temporum annales digessit H. E. Bonnell die Anfaenge d. Karol. Hauses Berl. 1866, quamvis multus (p. 155 sqq.) esset in diiudicandis vitae Leudegari scriptoribus, neque legerit quae Bollandista disputavit in commentariis praeviis neque ipse rivulos ad communem usque fontem consectatus sit: immo ingenue fatetur Ursinum conpilari a monacho Augustodunensi. Moneatur quoque de S. Waningo (Mab. A. SS. saec. II, 972 sqq.) fragmenta qualiacunque, quatenus ad Leudegarium spectant, ad verbum consentire cum Ursino.* 6) *Cfr. ibid. 361 sqq. et 485 sqq.*. 7) *Histoire de st. Léger Paris. 1846 p. 225 sqq.*. 8) *Sicuti vel priore Ursini parte adquiescere non dubitarit qui saeculo X. de sancto viro cantilenam Francogallice pepigit; quae nunc quam maxime potest genuine edita est a Foerster et Koschwitz in altfr. Uebungsb. I Heilbr. 1884 p. 74 sqq..*

foret damnandus et languoris, qui sciens praetermitteret. Quem finem ni perperam interpretantur, voluit videri ipsius Pictavae ecclesiae minister.

Sed hoc confirmaturne, si in recensum vocamus quae simplici rerum a Leudegario gestarum ut ab Ursino traditur memoriae admixerit de suo? Est ei Leudegarius patronus (prol. 27), cuius tamquam in sacrario (II, 504 sqq.) libellos deponit ut munus quoddam natalicium[1] *(prol. 28). At usquequaque S. Leudegari cultus vigebat*[2]. *De Luxovio (I, 179 sqq.) profert nominis etymologiam et descriptionem regionis, quarum cum alibi mentio non facta esset G. Paris coactus sibi videbatur monachum eum ducere Luxoviensem*[3]. *In quo erravit: nempe quae poeta profert de Luxovi situ, nequaquam ea sua videntur neque qui suis ipse oculis inspectavit eodem tenore narrat eiusdem loci et amoenitatem et sterilitatem; atque is hercle aptiore loco inde a. v. 258 sua de patria notitias inseruisset. Quid tamen haeres? cum omnia sibi confinxerit e rebus a Columbano gestis, quae a Iona Bobbiensi exhibentur*[4]*: ex cap. 17 habet notitiam torrentis medicati venarum, ex 18. sq. quibus S. Columbani piscatio refertur amnis piscosi nomen, ex 27. fortasse silvam, ex 28. obiter lecto sterilitatem. Et quae nunc in Ionae vita non occurrit originatio, ea ita erat coniuncta cum S. Columbani memoria, ut qui chronicum Luxoviense e Iona interpolavit, adderet*[5]*:* et bene nomen huic *(monasterio)* congruit Luxovium i. e. lux ovium *et quisquis fuit qui Walahfridi Strabonis vitam S. Galli in hexametros redegit*[6] *ubi auctor simpliciter narrat (cap. 28)* abba monasterii quod Luxovium dicitur *hoc retractaret*[7]*:*

Quod nunc Luxovium merito vocitamine fertur,
Est quoniam lumen conventus, ordinis atque;

conferatur quoque Ratpertus in S. Galli encomio[8]*:*

Renovant Luxovium in Christi caulas ovium

et Gerardi s. XI. abbatis Luxoviensis[9] *titulus:*

Luxovii pastor Gerardus lucis amator.

Supersunt duo[10] *loci, quibus res Pictavas celebrat: v. II, 378 sqq., qui cum e libris possit suggestus esse — et potuit pleraque de S. Hilario surripere Fortunato (V. M. I, 108 sqq.) — missum facimus, et versus 483 sqq. ante perorationem positi, quibus depingit basilicam S. Maxenti modo singulari circumscribens haec exempli verba*[11] *(p. 481):* In ipsius beatissimi martyris honore iussu pontificis domini Ansoaldi opera Audulphi patris monasterii mirae magnitudinis fabricata est domus, cuius fabricae aedificium est dissimile omnium basilicarum constructionibus. *Cum quibus comparaturus versus perlege:*

490 Pollet aecclesiae facies variante figura,
Parietibus distincta suis a fronte quaternis,

---

1) *Qua in re fortasse Paulinum Nol. imitandum sibi proposuit, cuius cfr. praecipue nat. S. Fel. VI.* 2) *Monasteriorum et ecclesiarum ei consecratarum conspectum habes A. SS. 434 sqq. (cfr. Pitra l. c. 400 sqq.). Reliquiae eius late fuerunt dispersae (cfr. Pitra 435 sqq.) e. g. Fuldae (Hraban. XLI, V, 13: II, 206), in ecclesia Fabariensi (cfr. Piper libr. confrat. S. Galli p. 396, 3), in S. Martialis basilica Lemovicensi (cfr. Duplès-Agier Chroniques de St. Martial de Limoges Paris 1874 p. 319). Qualia quam ob causam colligenda sint adpareat ex Duemmler. Mitthlg. d. ant. Ges. i. Zürich XII, 252.* 3) *L. c. p. 298, 4. Cui opinioni Pitra adsentitur ap. Migne patrol. CXIV, 1131 b.* 4) *A. SS. saec. II, 5 sqq..* 5) *SS. III, 220.* 6) *Vita S. Galli v. 1249 sq. (II, 460).* 7) *Quo testimonio G. Paris. uti nequiisse vix est quod moneam* 8) *E. g. Hattemer Denkmahle I, 340.* 9) *A. Firmin-Didot Alde Manuce p. XVIII, 2.* 10) *De Augustoduno sumpsit ex Ursino I, 5 p. 486.* 11) *Adposui verba mon. Augustod.; nam Ursini vitae finem ignoramus, quem editores (Bouquet SS. II, 609 sqq.; Mabilio saec. II, 680; Bollandista l. c.) quod responderet Augustodunensis suppresserunt. At servassent singularem basilicae descriptionem hagiographi, si quam invenissent apud Ursinum.*

Planius in longum muris producta gemellis
Posthaec arte manet populo fabricata decora[1],
Subter cripta sinu sacratam continet aram;
Postibus e summis gradibus spatiatur ad illam,
Inde iterum scalis ad summas scanditur aedes;
Illic ara nitet fulvo constructa metallo,
Continet haec gremio sacro veneranda talenta;
Permeat inter has aras solidum pavimentum;
Hic requiem iuxta placidis Maxentius almus,
Aedibus accepit servatque palatia sacra;
Pervius has una coniungens porticus aulas,
Quo monachi sacris recinunt concentibus ymnum.

Nonne omnia suadent, ut cum Pitra statuamus ea, quae statuit in priore editione (hist. d. st. Lég. 399. 503, 2), poetam ipsam inspexisse basilicam, fuisse Pictavum, serviisse S. Maxentio, scripsisse 'quasi civico studio' inflammatum? Nonne videris tibi videre illum plenum suo martyre, postquam in crypta sancta ossa adoravit, meditantem sacri carminis consilium?

Non reticebo id quod defendere audeo, cum in harum rerum latibula descenderim: tam adcurate[2] *S. Maxenti aedem nusquam fuisse descriptam. Cum tamen potuisset auctoris nutu adduci, ut pleniorem sibi* dissimilis omnium basilicarum constructionibus *ecclesiae imaginem alicunde pararet paratamque Paulinum Nolanum imitatus qui adcuratissime sancti sui Felicis basilicam depinxit vitae insereret, cavendum esset, ne hinc profecti in aere piscaremur.*

Nunc e Gallia eum oriundum fuisse alium opinor accedit argumentum. Nam quod saepissime nominativum absolutum posuit pro ablativo et verbo finito, non tam Fortunati exemplum eum commovit, quod cum ceteris huius aevi habet commune, quam Ermoldi Nigelli clerici Aquitani[3]*; cuius ut ex adnotationibus patebit non semel imitatur*

---

1) *'Cum singulares basilicae partes hic auctor noster recenseat, haec verba ad absidem videntur referenda; hinc coniicere licet eo loco fore legendum: "Post haec arce manet", imo libentius: "Post haec arcu manet ... fabricata decoro"' Pitra adnotat p. 503, 1. Immo cum coniectandi viae non pateant — nam Pitrae quisquis dubitabit ingredi —, subintelligatur subiecti loco 'aecclesia'.* 2) *Cfr. Pitra 422 sqq. et tabula. Multa tamen et iniqua fata subiit monasterium S. Maxenti.* Diruta, *ut videtur,* Nortmannorum infestatione *935 ab Eblo episcopo Lemovicensi restaurata est (Ademar. SS. III, 127 = chronic. Malleac. ed. Labbe. nov. bibl. II, 202), cfr. Gall. christ. II instrum. 173. Postea saepius conbusta est et restaurata, cfr. chron. Malleac. ad a. 1082 p. 212 et Gall. christ. l. c. instrum. 344.* 3) *Nominativos absolutos praeter Fortunatum de quo vide Leonem apud Dositheum de manum. Ennodium (?) Victorem Vitensem deprehendi; inter poetas Karolinos praeter Ermoldum Nigellum in hon. Hludow. I, 467 (p. 19). 605 (23) in laud. Pipp. I, 109 (83). 113 apud Alcuin. III XXXII 13 (p. 218) Hrabanum Maurum I III 18 (p. 161) Audrad. Mod. pass. Iul. III, 151 IV, 84; cfr. Diez RG*[4] *III, 271. Etiam similiter atque Ermoldus in metaplasmorum barbarismos hagiographus incurrit: noxa -orum I, 538 singultus -i I, 242. 623 acrus I, 488 (cfr. Alcuin. I, 557 p. 182); 'obvius' ei adverb. est II, 433. 'Lacescere' et similia ad falsam analogiam formarit (cfr. Sittl in Woelfflin. arch. I, 515 et e. g. Walahfr. II, 131 p. 300* capescunt, *apud Alcuin. I, 342 p. 177 pro* lascescens *scrib.* lassescens); *item 'fincmenta' I, 695 (cfr. 'finctor') corrigere nolui; 'pos' tamen pro 'post' (cfr. Loewe gloss. nom. p. 209 sqq.) ante 't' positum Karolino quoque aevo legitimum esse sciet qui vel obiter huius inspexerit codices; sed ab eis qui conferunt parum observatur, nam interdum* p' *quoque* post *explicari debet unde pro* post *etc.* p't *breviatio orta est. 'Glescere' prol. 17: sic Aldhelm. aenigm. p. 272 ed. Gil. cfr. 'reglescere' et* conglescit *Cand. v. Aeigil. XXI, 22 (tom. II, 114): nam sic scribas pro glossa* coalescit. *'Necglecta' I, 95 v. Fleckeisen 50 Artikel p. 19 et Dungal. in praef. I, 411, 2. 'Prostrare' I, 358 cfr. Boehmeri gloss. Rom. Stud. p. 229* prostro. perturbo iacto occido elido *et Thielmann arch.*

poemata[1]. *Quae quamquam per se quaeque iudicata parum fidei prae se ferre non infitior, cum iam inter se aptissime et simplicissime cohaereant, non dubito, quin prior Pitrae sententia, quam ipse postea sprevit, corroborata sit et accipienda. Floruit qui vitam conposuit summi martyris Pictavis sepulti, exemplum secutus monachi cuiusdam Pictavi, qui praeter morem de suo narrationi inseruit et praeconia S. Hilari episcopi Pictavi et descriptionem, qualem testes adhibent oculati, basilicae S. Maxenti Pictavae, qui de Ermoldo hic illic mutuatus est clerico Aquitano, floruit inquam et ipse in territorio Pictavo. Ubi, ut ad exordium revertamur, post annum 826, quo Ermoldus threnos misit Hludowico imperatori, et ante 857, de quo supra est expositum, carmen sacrum condidit. Suscepti autem laboris taedio victus*[2] *aut Ursino auctori nimis addictus obmutuit, postquam quae commode ad expilandum erant parata penitus exhausit.*

Traditi sunt libelli in cod. Sangallensi 573 a p. 408 ad 466 (G), de quo vide Duemmlerum N. A. IV, 277 et 109 et in tom. huius corporis II p. 264. Quorum cum memoriam resuscitavisset Mabilio (anal. vet. IV, 639 = vet. anal. nov. 20), Domnus Pitra[3] *duas editiones in volgus emisit, 1846 in histoire de saint Léger 464 sqq. (P) et 1852 in Migne patrol. vol. CXIV, 1131 sqq. (P²); ita tamen neglegenter, ut postquam codex iterum conlatus est a Duemmlero, multo nunc emendatior prodeat vita.*

II, 62 sq. frequentatur a Karolinis e. g. a Theudulf. II, 19 (I, 452) Radb. Pasch. VA. ed. Mab. p. 311 cfr. DC. et Diez WB. s. v.; 'propiare' pro quo volgatius erat 'appropiare' e. g. titul. Aug. III, 2 (tom. II, 426). 'Heu' confudit cum 'ei' II, 69 ut planct. Karol. I, 435 Heu mihi misero. *'Callis' iam apud Sedulium occurrit notione ita mutata ut 'pes' sit (cfr. solum), sed ab insciis saepe adtrectatur cfr. Sedul. III, 229 act. S. Iulian. Boll. Ian. I, 582 Radberti V. A. 33 quem frustra temptat Simson Ludw. d. F. I, 22 adn. 1. Praepositiones postponuntur saepissime cfr. I, 25. 219. 232. 371. 554. 589. 703 II, 12 35. — A re metrica quam erexit ad aequalium amussim quae subnotem digna fere haec: h consonantis vice fungitur, haustūs nom. (ut Venantio e. g. coetūs) I, 73; reverentiă abl. ut in polysyllaba voce I, 415 (cfr. e. g. Aldhelm l. virg. 578. 1202* necromantia fretus *v. L. Mueller d. r. m. 341); parieti I, 535 pavīmentum ut Angilb. V, 11, 1 tom. I, 365 gest. Apoll. 86 tom. II, 487 cfr. Claud. ed. Ieep II, 196 Augustidunum I, 127. 227 (et Fort. C. VIII, 3, 160) ŭsĭam II, 386 iŭgiter I, 309. 530 cfr. L. Mueller d. r. m. 364 Fl. 1867 p. 496 Rh. M. 20, 360 (sed mire idem Rh. M. 22, 152). I, 622 non ausus est Vergilium sequi, sed crassa Minerva correxit* steterantque comae. *Prologi pentametri 'concinnantes' fere sunt. — Antitheseis quales sunt I, 516. 425. 545 addidicit e Sedulio e. g. V, 150 vel Aldhelmo e. g. l. virg. 1159. Formulas epicas per totum opus dispersit ut Ermoldus cfr. e. g. I, 189. 530 II, 503.*

1) *Nam Ermoldum potius imitatorem fuisse quis credet? cum intellexerit* custode tuetur *(cfr. ad vitae metr. I, 193) ex Ermoldi usu esse dictum (cfr. vol. II, 2, 5), apud quem cum multa alia deponentia tum 'tueri' effertur passive, in anonymo similis usus praeter locum hunc surreptum et I, 213 (ubi 'imitarier' est passivum) nullum adparere vestigium.* 2) *Cfr. II, 268 sqq..* 3) *Vitam ante Pitram iam a Canisio inter Walahfridi carmina editam esse cum tradunt biographi et bibliographi, alucinari eos recte iam observavit hist. lit. d. l. France V, 76.*

⟨VITA BEATI LEUDEGARII MARTYRIS.⟩

INCIPIT PROLOGUS.

Carmina plura nitent studio florente peracta,
Quae ingenio clari composuere viri:
Dulcifluo haec pascunt dociles modolamine mentes,
Infundunt plectris dulcia mella suis.
Materiem, ut libuit, sumebat quisque magister,
Proferat ad purum hinc opus egregium.
Hic euangelii storiam resonante Camena
Dulci texebat: carmina vera dedit;
Hic vetus atque novum mira permiscuit arte,
Floribus ornatum composuitque librum;
Alter apostolicos deprompserat ore labores
Expressitque actus versibus egregios;
Nec minus et patrum vitalia gesta peracta
Christicolae eloquio composuere pio. —
Occidui tantum quantum pars distat eoo,
Occulit ut stellas Phoebus et ignicomas.
Fago vel humiles glescunt superante genestae,
Excellit densos fraxinus et corilos:
Sic superatus ego sophorum dogmate, dicta
Dum scrutor, iaceo, corde benigna meo.
At, si magnarum cedrorum carpere poma
Tardus non valeo vortice frondifero
Nec fructus teneros, trudit quos cortice palma,
Est satis umbriferis me recubare locis,
Unde meo gremio recidentia poma recondam:
Sufficit his avidam iam saturare famem.
Me patronus agit noster vel dicere pauca
Annali propere nunc redeunte die,
Orbita dum reducem revocaverat undique turbam,
Quae celebrat sacrum sanguine martyrium. —
Quisquis amas recitare meos ex ordine versus,
Littera si sordet, syllaba vel tibubat

---

titulum om. G 14 xp̄icole *G* 15 *sq.* *eoo culat | id ut *G* 18 densos *sic G* 20 benignam *G corr. P* 24 *mere cubare *G* 26 auidum *G corr. P*

1 *Boeth. phil. cons. I metr.* 1, 1 Carmina qui quondam studio florente peregi. 3 *Aldhelm. laud. virg.* 69 ac mentem magno gestit modulamine pasci. *Amat. I,* 267 dociles advertite mentes. 7 *Iurencus.* 8 *Arator. prol.* 2, 20 Historiamque sequens carmina vera loquar. 9 *Sedulius.* 11 *Arator.* 13 *Iurenc. praef.* 19 Christi vitalia gesta. 16 *Iuvenc. IV,* 151 ignicomae . . stellae; *cfr. Aldhelm. laud. virg.* 180 Sidera praeclaro cedunt ut lumine solis. 17 *Ge. II,* 434 humilesque genestae. 18 *Ecl. I,* 14 densas corylos, *cfr. Ge. II,* 65. 23 *Ge. II,* 74 se . . trudunt de cortice gemmae | et tenues rumpunt tunicas; *Aldhelm. laud. virg.* 168 Dactylus ut dulcis frondenti vertice palmae | truditur. 26 *Arator. prol. ad Parth.* 82 exsaturare famem. 28 *S. Leudegarius decessit a. d. VI. Non. Octobris 678.* 32 *Aldh. de VIII vit.* 394 Litera si titubet vel certe syllaba nutet.

Nec solito lapsu decurrit scansio metri,
Tempus non propria continet atque loca,
Corrige raucisonos, recto duc ordine calles
Pumice, scalpello tolle terente tuo.

INCIPIT LIBER PRIMUS VITAE BEATI LEUDEGARII MARTYRIS.

Tempora temporibus cedunt, vadit rota saecli
Curriculis rapidis nec ullum ferre recursum
More fluentis aquae novit, quae currit eundo
In praeceps raptim vasta crepitante ruina.
Annuus ordo meat, rector quem flectit habenis
Currum per volucrem, varia radiante figura;
Partibus inseritur paribus huic apta corona
Haut unquam tardans duodenis mensibus anni.
Tempora bis bina his miscentur: brumaque verque
Cursibus aequatis, autumnus currit et aestas.
Ver tellure nova vernantia lilia promit,
Aestas eque sinu flaventes trudit aristas,
Autumno gravidis incumbit vinitor uvis,
Tristis hiemps calidum Vulcanum spargit ad auras.
Quodque suo gaudet ditatum munere tempus:
Sideream prolem, summus quam misit ab astris,
Bruma fovet, genitor, felici sorte quiescens;
Luciferi reditum, rediit quo victor ab imis
Sedibus infausti baratri, ver gaudet adesse;
Sole sub ardenti recubans in flatibus aestas
Culmen apostolicum claro sinuamine gestat;
Autumnus meritis, scandunt qui celsa polorum
Fribula spernentes, gaudens insignis habetur.
Annua vota refert autumnus martyris almi,
Incipiente die primam post luce secunda
Octimbris, medium, mensis, qui dividit illum,

---

34 lota *G corr. P*^{2} || 9 *his] bis *G* verquae *G* 10 curribus *G corr. Manitius* 18 *redigit *G* imus *G corr. P*

35 callis *cfr. p.* 4 *adn.*. || I, 1 *Paulin. Nol. Fel. nat. V,* 1 Tempora temporibus subeunt, abit et venit aestas; *Arator. II,* 192 succedunt . . | tempora temporibus; *Paul. nat. IX,* 4 Tempora dum tardi nitens rota volvitur anni. 3 *Amat. III,* 62 eunt anni more fluentis aquae | nec, quae praeteriit, ... hora redire potest, *cfr. Alcuin. CV, V,* 16 (*I p.* 333) More fluentis aquae fugiunt quia tempora semper *eundemque p.* 297; 299; 319. 4 *Am. II,* 9, 29 Ut rapit in praeceps; *Aen. III,* 414 vasta ruina; *Aldhelm. laud. virg.* 1414, 2243, 2389 vasto crepitante tumultu. 5 *Ermold. Nig. I,* 125 (*II,* 8) Annuus ordo redit; *Aen. X,* 577 habenis | flectit equos. 6 *Sedul. II,* 52 radiante figura. 10 *cfr. Wandalbert. Prum. horolog.* v. 23 (*II,* 23) Cursibus Octobrem sibimet quis Martius aequat. *v. eund. de mens. nom.* 263 *sq.* (*II,* 613) *et Ermold. Nig. I,* 41 (*II,* 6). 13 *Sedul. I,* 91 impressas calcabit vinitor uvas. 14 tristis hiems *e g. Ge. IV,* 135; *Aen. VII,* 77 Volcanum spargere tectis. 20 *Ecl. II,* 13 Sole sub ardenti resonant. 21 *Fortun. C. VIII,* 3, 141 Culmen apostolicum; *apostolorum festum a. d. III. Kal. Iul.; Iuvenc. I,* 122 gestans . . sinuamine, *cfr. Fort. C. VI,* 10, 45. 24 *Paul. nat.* 4, 1 (= *Aen. V,* 53) Annua vota.

Egregium victor flatum quo reddidit astris.
Quem colimus laeti, meritis qui fulget ubique;
Quo mare pertendit seu quicquid cingitur undis
Oceani: una omnes clarum testantur alumnum
Pro domino proprium plebes fudisse cruorem.
Nunc igitur dominus caeli mea coepta secundet:
Tempus adest aptum, clari quo facta retexam
Martyris egregii. Linguae clustella resolve,
Qui verbum genitoris ades; da munera linguae,
Linguam qui dederas dederasque exordia vitae.
Barbara sed reboet quamvis compressa labellis:
Namque potes, poteras quondam qui guttura aselli
Humanis formans labiis similare loquendo.
Mens mea iam gestit tanti depromere laudes
Vatis, sed graciles vires torpore tepescunt.
Non adeo sum desperans, quin omnia possis;
Gnaro nam memini scriptum pandente propheta:
'Ora dehisce libens, ego donis illa replebo'.
Progeniem claram clari genuere parentes,
Francorum procerum magna de gente creati.
Hunc Leudegarium vocitavit cura parentum,
Tempore quo regni Francorum sceptra tenebat
Hlotharius rex, dives opum qui, fidus et armis.
Dum primevus adhuc tenero pubesceret evo,
Iungitur obsequiis clari parere tiranni,
Vultibus utque frequens possit consistere coram.
At rex ingenio docilem commisit alendum
Tum puerum vati, ante alios qui dogmate claro
Pollebat; iuvenis tandem nil iussa moratus
Divinasque docendus adit sine fraude palestras.
Hic vates iuvenis memoratur avunculus esse.
Adfuit et tenero extemplo sapientia Christi,
Cordis et ospitium replevit lumine claro,

38 asselli *G* 41 gratiles *G* 48 temporae *G*

29 *Aen. IX,* 787 quae cingitur unda. 32 *Paulin. Pell. euchar.* 5 deus omnipotens . . . | . . placita tibi coepta secundes. 33 *Pont. II,* 2. 69 Tempus adest aptum precibus; *Paulin. Petric. V. M. II,* 14 Clara sacerdotis magni nunc gesta retexam, *cfr. eund.* 603. 34 *Aldhelm. laud. virg.* 80 Egregius doctor verbi claustella resolvat, *cfr. ibid* 2152. 35 *Sedul. I,* 145 Verbum Christus adest; *Paul. nat. V,* 10 debeo tibi munera linguae, *cfr. Iuvenc. II,* 422; *Baeda Chutb. prol.; Arator. I,* 227 Munera da linguae, qui das in munere linguas. 36 *Iuvenc. II,* 192; *Arator. I,* 244 exordia vitae. 38 *sq. Paul. nat. IV,* 36 tu namque asinam reboare loquendo | . . . . fecisti, *cfr. Aldhelm. laud. virg.* 56 *sq.* 40 *Walahfrid. de imag. Tetric.* 236 (*II,* 377): magnorum promere laudes. 44 *Ps.* 80, 11 Dilata os tuum et implebo illud, *cfr. e. g. Walahfrid. de Blaithmaic v.* 9 (*p.* 297) *et Flor. ad Mod.* (*II,* 553) *XXV,* 6. 45 *Aen. I,* 606 tanti talem genuere parentes. 47 *Iuvenc. III,* 492 cura parentum. 48 Tempore quo *e. gr. Aen. IX,* 80. 49 *Aen. I,* 14 dives opum. 50 *Aen. III,* 491 pubesceret aevo; *Aldhelm. laud. virg.* 1263 quamvis in tenero pulcher pubesceret aevo. 52 *Aen. III,* 173 coram agnoscere vultus, *cfr. Iuvenc. I,* 71. 55 *Sedul. III,* 99; *Arator. II,* 382 nil iussa moratus. 57 *Dido episcopus Pictavus.* 59 *Iuvenc. II,* 240 lumine claro.

Ingenio eloquiisque piis fulgescere coepit.
Maturos postquam doctus pervenit ad annos,
(Ut fertur) fuerat prestanti corpore pollens,
Doctiloquus, prudens, castae virtutis amator;
Cuius in aspectu species radiavit amoena,
Cuius haut unquam fuscavit spurca libido
Membra, sed innocuus permansit virgo per evum.
Virginibus iunctus sequitur nunc candidus agnum,
Agnus et hunc rexit ducendo ad amoena virecta,
Quae paradisus alit florens in sorte beata.
Da, deus, ut possim tantas proferre loquela
Virtutes; mea fecundis arentia donis
Corda riga, vatis ne tanta fluenta restringat
Haustus exiguus veniens de paupere lympha.
Accessere dies, aetas advolvitur annis
Bis denis rapido iam iam remeante recursu:
Interea levita pias defertur ad aras;
Iura ministerii sacri tractanda replentur.
Continuo sancto spiramine crescere coepit,
Laudibus almificis cunctos iam fama respersit,
Emicat et subito populis dum lichinus ardens
Mentibus ex multis depellens nocte tenebras.
Effectus levita piis tum iussa facessit
Pontificis Pictavensis, qui culmina rexit
Eclesiae sacrae; per glebam hic semina spargit,
Squalida rura meaus spinis mundavit ademptis,
Messis ut esse queat domini, ne gramina saeva
Urant culta pio cultro plantata novella;
Quae loca iure sibi vates commissa tenebat,
Inpiger et celeri gressu per cuncta cucurrit.
Solatur mestos, curam quoque gessit egentum,
Erigit hic humiles imis mersatque superbos:
Blanda piis prestare parat, sed et aspera pravis,
Omnibus ipse pater cupiens medicamina blanda.
Diruta restaurans melius renovatque vetusta:
Quae necglegta prius purgata sorde nitescunt.
Ibat opima viri redolens iam fama per omnes.
Haec lampas furvis tenebris ne mersa tepescat,

---

60 eloquiis quae *G* 70 proferrae *G* 77 repletur *G corr. P* 84 *per blebem (plebem *P*) sic *G* 89 *gressu super *G* 91 mersat quae *G* 93 **an* danda ? 94 renouat quae *G* 97 tempescat *G*

62 *Aen. VII,* 783 praestanti corpore Turnus. 63 *Aldhelm. l. virg.* 2018 castae virtutis amator. 64 *Fort. C. III,* 24, 2 Cuius in aspectu mens pretiosa micat. 65 *Aldhelm. laud. virg.* 1291 fuscarent ut nunquam crimine membra. 66 *Aldhelm. laud. virg.* 1848 virgo per aevum. 68 *e. g. Aen. VI,* 638 et amoena virecta. 72 *sq. cfr. Arator. I,* 493 *sq.*. 77 *Arator. I,* 552 Iura ministerii sacris altaribus. 78 sancto spiramine *Iuvenc. I,* 250 *et* 376. 80 *Sedul. III,* 276 *sq.* ardens | lychnus. 82 *Aen. IV,* 295 ac iussa facessunt. 85 *sq. Aldhelm. laud. virg.* 642 squalida rura, *cfr.* 757; *Sedul. I,* 57 *sq.* seges spinis mundatur ademptis, | ut messis queat esse dei. 87 *Ge. II,* 196 urentes culta capellas, *cfr. Ge. I,* 77; *Sedul. I,* 277. 95 *Iuvenc. I,* 347 abluta sorde niteret. 96 *Aen. IV,* 173 it fama per urbes.

Ignicomas iaculet flammas sed ad aetheris alta,
Ipse etiam meritis crescentibus archiminister
Efficitur: populis fulget iam clara lucerna.
Sed dum forte pater quidam suprema tulisset
Atque diem solitum clausisset sorte suprema,
Qui quondam tenuit, fratrum rexitque catervam,
Ne deserta diu auxilio rectoris egeret
Ipsa cohors, melius monitis sed cresceret aucta,
Illius regimen claro mandante magistro
Suscepit levita pius. Quam rexerat annis
Bis ternis caste atque opibus ditavit opimis.
Tum magis atque magis late respersit odorem
Fama pium: populus praeconia sancta frequentat.
Nec minus interea regis defertur ad aures
Rumor dulcifluus puro de fonte redundans,
Iura dabat populis celsus qui tempore in illo.
Tum pariter proceres, etiam sine nomine vulgus
Obsequiis illum meritis adsistere regis
Dignum conlaudant. Complentur vota petentum;
Protinus adductus celso mandante tiranno
Sistitur atque suo vultu parere minister
Iussus adest; dudum renuebat pignus amoris;
Denique sic altis Leudegar iungitur aulis.
A cunctis colitur miris affectibus illic:
Illum quisque patrem gaudens et quisque magistrum
Gestit habere pium, pariter iuvenisque senexque.
Urbs fuit antiquo gentis de more vocata
Aedua, dives opum nec non insignis et armis,
Aetas quam iunior vocitavit nomine verso
Augustidunum, cecidit quo pastor ab oris
Supremis — subito proceres dum calle citato
Undique conveniunt regique haec pectore promunt:
'Presul ut esse queat Leudegar clarus alumnus,
Rex iubeat celsus'. Posthaec nil vota morantur,
Sed citius cunctis miro dilectus amore
Eclesiae Christi praesul praefertur ovanti,
Aedua quam gestat nutrix sinuamine pulchro.

---

117 mandante *G* 119 *remeauit *G* 127 *Augustidunam *G* 134 *gestit *G; cfr. v. 21*

99 archiminister = archidiaconus. 100 *cfr. v.* 80. 108 *Iuvenc. I,* 137 Largifluis . . opibus ditavit egentes: *Ermold. Nig. II,* 595 (*II,* 41) rebus ditavit opimis: *Ursin.*: magnis opibus ditavit. 109 *Ge. III,* 185 Tum magis atque magis. 110 *Aldhelm. laud. virg.* 2166 praeconia sancta stupescunt. 111 Nec minus interea *e. g. Aen. I,* 633; *Ermold. Nigell. I,* 259 (*II,* 13) Haec dum fama pii regis pervenit ad aures. 112 *Iuvenc. II,* 149 puris de fontibus undas. 113 *Fast. I,* 207 Iura dabat populis. 114 *Decastich. in Aen. X,* 6 *(anthol. l. ed. Riese p. 7)* et sine nomine vulgus. 119 *Aen. V,* 538 pignus amoris. 123 iuvenesque senesque *e. g. Met. VIII,* 526. 124 *sq. Aen. I,* 12 *sqq.* Urbs antiqua fuit || . . dives opum studiisque asperrima belli: *VI,* 403 pietate insignis et armis. 126 *Aen. VII,* 777 verso . . nomine. 128 *Arator. I,* 54 calle citato | moenia nota petunt. 129 *Aen. V,* 293 Undique conveniunt. 132 *Aen. I,* 344 magno miserae dilectus amore. 134 *cfr. v.* 21.

Horrentem veluti mundat dum cultor agellum,
Aptus ut esse queat segeti, silvasque nocentes
Abscidit sulcis committens dulcia farra,
Accumulata queat culmis ut surgere messis —
Haut aliter vates, divini cultor agelli,
Iuditio placidus, largus vultuque serenus,
Pastor ovans, rectus, nulli pietate secundus
Quaeque supervacuis radicibus orta rescindit
Christicolae plebis peccamina falce loquelae:
Virtutes nutrit, nutrimina prava coercet;
Centenos capiunt caelestia moenia fructus,
Dum tonat ore pio biblorum dogmata vates.
His pollens praesul, decimus iam fluxerat annus.
Luctifico interea crepitavit bucina cantu
Hlotharium subito regem decedere vita,
Pandit et extinctum tristi celebrarier urna.
His gestis dubiis pendebat machina rebus
Et titubans status regni. Tunc undique lecti
Conveniunt socii veloci calle viantes;
Otius et vates notam repedavit ad aulam,
Congregat ac sotios similes, quibus haec ait ore:
'Armipotens miles, regni qui sceptra tenebat,
Occubat en vester: citius succurrite', dixit,
'O socii, fessis nunc nunc succurrite rebus,
Praecipitate moras: regni qui sceptra gubernet,
Iam subeat.' Bini forsan mansere relicti
Fratres, nam senior Theothrich, iunior quoque Hiltrich,
Regales nati. Titubans dum turba remansit,
Pars certat sceptris seniorem parsque minorem
Iungere; pars vincit, quam fulcit episcopus almus;
Irrita pars remanet tandem, quam scismatis auctor
Duxit in adversum, tenuit qui culmina regni,
Princeps qui procerum fuerat, qui a rege secundus:
Ebroinus enim tandem dispectus habetur.
Sed quid agat? trepidus partes se versat in omnes;
Coram nam genibus regis prosternitur arvis.

---

142 raditibus *G* 152 lecti R *G* 160 **an* sorti ? 161 hiltirih *G corr. P*

136 *cfr.* 86. 137 *Ge. I,* 223 sulcis committas semina, *cfr. Wandalbert. Prum. de mens. nom.* 256 (*II,* 613) farra prodest committere sulcis. 139 *Fast. V,* 499 angusti cultor agelli; *Aldhelm de VIII princ. cit.* 305 mundani cultor agelli *(cfr. Alcuin. de SS. Eubor.* 82 *sqq.: I,* 171*).* 140 *Fort. C. IV,* 8, 13 Sic vultu semper placidus ceu mente serenus. 141 *Decastich. in Aen. I,* 1 (*ed. R. p.* 2) Vir magnus bello, nulli pietate secundus; *perrolgata erat haec clausula, cfr. Alcuin. vit. S. Willibr. II, IV,* 3 (*I,* 210); *hist. lit. d. l. Fr. V,* 23; *N. A. V,* 622. 145 *Cfr. Znuaragd. III,* 27 *sq.* (*I,* 618): Ut valeat nobis divino semine iacto | . . . doctorum vomere cultus, | cordis opimus ager centenos reddere fructus, *cfr. Sedul. I,* 59. 146 *Aen. IV,* 510 tonat ore deos. 148 *Chlotarius III obiit 670.* 152 *sq. cfr.* 129. 158 *Aen. I,* 198 O socii, *ibid. XI,* 335 Consulite in medium et rebus succurrite fessis. 156 *cfr. v.* 48. 159 *Aen. VIII,* 443 Praecipitate moras; *Aldhelm. laud. virg.* 2059 regnorum sceptra gubernans; *ibid.* 1173 coeli qui sceptra gubernat. 168 dispectus = despectus. 169 *e. g. Aen. IV,* 283 Heu quid agat? 286 in partisque rapit varias per omnia versat.

Ora quatit lacrimans, plantis et bassia figit
Singultans, supplex artus vitamque precatur
Et petit, ut monachi liceat sibi sumere formam.
Intercessor adest presul. Tum protinus ille
Luxoviense petit rapidis sub gressibus agmen,
Agminibus socius humilis coniungitur illis
Atque comam capitis citius deponere certat.
Hocque monasterium dudum de lumine dictum
Luxovium fertur, lucens quod pascit ovile.
Undique quod tegitur silvis frondentibus altis;
Passim per girum vernantum flore venusto
Pratorum species spectantum mulcet ocellos;
Per medium fluvius rapido torrente susurrat
Ligno, furit gestans squamosos gurgite pisces.
At sterili tellus quamvis cum cespite degat,
Sed latices tamen ardentes de faucibus imis
Eructat, quae membra lavant praestantque medelam.
Christicolae hic iugiter domino famulantur ovantes,
Angelicis clarum iuncti concentibus hymnum
Ore sonant laeti dulci modolamine fratres.
Tunc apicem regni firmatis undique rebus
Sortitur Hiltrich, regali ac stemmate fulget;
Germanus Theotrich cauto custode tuetur.
Alternis vicibus remeat furtuna duorum:
Alter enim pollet laetis successibus, alter
Decrescit. Vates sublimis in arce locatur.
Princeps et procerum Francorum more vocatur:
Quippe domus maior penitus rectorque creatus
Antistes meritis suscepit iura regenda
Aulae post regem. Populus tum laetus ubique
Laudibus ast regem claris vatemque frequentat
Exsultans tales sibimet meruisse patronos,
Sceptrorum regni sapiens quod flectat habenas,
Rex pariter presulque palatia celsa gubernet.
Regmine suscepto vates, rogitante senatu,
Nititur ad statum regnum revocare priorem.
Pax patriae, pietas plebi cultusque decoris

---

174 illae *G* 184 *lignifer et *G P* 185 *quam viscum *G P* 187 eructatq. *G* 189 uincti *G corr. P*^{2} 192 hiltirich *G corr. P* 197 uocatus *G corr. P* 205 regimine *G corr. Manitius* 206 priorem B *G*

171 *Aen. V,* 200 ora quatit: *Aen. II,* 490 atque oscula figunt; *cfr. Ermold. I,* 547 (*II,* 22) plantis dat basia celsis. 173 *Arator. I,* 167 terreni sumere formam. 175 *Iuvenc. I,* 313 rapidis . . gressibus. 178 *cfr. p.* 2. 179 *Walahfrid vit. Mam. II,* 15 (*II,* 278) pascebat ovillum | pecus. 183 *Aen. X,* 383 Per medium. 184 *hodie 'Loignon'.* 185 *Sedul. III,* 258 sterilique in cespite. 189 *Iuvenc. IV,* 458 Exin cantato sanctis concentibus hymno. 192 *Fort. C. IV,* 1. 7 Stemmate . . fulgens. 193 *Ermold. Nigell. I,* 495 (*II,* 20) Interea Zadun Franco custode tuetur, *cfr. ibid. IV,* 649 (*II,* 76). 194 *Fort. C. VIII,* 3, 7; *Aldhelm. laud. virg.* 735 Alternis vicibus. Furtuna *cfr. Schuchardt. II,* 123. 196 *Aldhelm. laud. virg.* 2169 Summa sed potius fulgescens arce locatur. 201 *Aldhelm. laud. virg.* 1749 quam . . . laude frequentat. 203 *Aen. II,* 471 flectit habenas. *Designat Platonis sententiam, cfr. Walahfr. im. Tetr.* 257 (*II,* 378) *adn. et Radb. Pasch. V.A. ed. Mab. 319 c. 30.* 205 regmen = regimen *cfr. DC. et Forcell. s. r.*

Christicolis crevit; simul amplificantur honore
Fines imperii; veterum monimenta patescunt.
Prudentes proceres, quorum mens conscia recti
Pollebat, temptans numquam quos vana cupido
Delusit, patriae fines qui, regna tueri
Sunt soliti, semper satagens imitarier heros.
His rebus regni penitus feliciter actis
Annorum remeat terris iam tertius ordo:
Nec poterat spectare oculis aut cernere vultu hoc
Daemon iam dudum pavitantia corda volutans.
Namque dolos reparans antiquos mente maligna
Atque duos inter sparsit vatemque ducemque
Infausti lolii maculantia semina pacem,
Totas et fraudes trux mentis in arma vocarat.
Forte dies aderat pascalis pulcher, ab omni
Qui colitur populo, mundus quo sanguine Christi
Ereptus — vates regi deprompsit ab ore
Has voces: 'Iubeat (supplex tua iura reposco,
O rex), paschalem celebrare diem tua namque
Clara potestas Augustiduno.' Citius rex
Verba petentis agit. Posthaec nil vota morantur.
Sed pariter laeti magna comitante caterva
Urbem perveniunt, quam rexit episcopus almus,
Illic et statuunt festos celebrare serenos.
Hos medios inter saevo mittente inimico
Vir malus accessit, dubio sic infit ab ore:
'Est opus, antistes, cauta te sorte tueri:
Rex mediis tenebris, dulci dum pectore somnum
Captabis, iugulis saevis te tradere gestit,
Membris perfossis animam quo sanguine fundas.
Tu ne verba putes vacuas volitare per auras,
Nocte meis dictis certus iam terminus instat'.
His dictis vates tenuit suppressa dolore
Corda verens, quid agat; curas sup pectore versat
Ingentes, tacitus singultis viscera pulsat.
Huc animum celerem spargit seu dividit illuc.

217 volutatis *G corr. P* 231 serenos B *G* 241 *merens *G* 243 scelerem *G corr. P* illuc B *G*

209 *Aen. III,* 102 veterum volvens monumenta virorum; *Aldhelm. laud. virg.* 55 veterum monumenta librorum. 210 *Sedul. IV,* 152 Discipulosque alios, quorum mens conscia recti. 212 *Met. XIII,* 416 regna tuentem. 214 *Paulin. Petric. V. M. III,* 13 bellis feliciter actis. 217 *Iuvenc. I,* 130 pavitantia dicta volutat; *Paulin. Nol. C. VI,* 87 cunctantia corda volutant. 219 *Ecl. V,* 37; *Ge. I,* 154 Infelix lolium, *cfr. Iuvenc. II,* 800 *sqq.* 221 *Aen. VII,* 694 Agmina in arma vocat. 222 *Fast. V,* 413 Nona dies aderat. 225 *cfr. v.* 131. 228 *cfr.* 131. 229 *e. g. Aen. II,* 40 magna comitante caterva. 235 *Aen. IX,* 324 pectore somnum. *cfr. Sedul. III,* 56; *Aldh. de octo princ. vit.* 222 somnos captabit. 237 *Met. VIII,* 417 spumam cum sanguine fundit. 238 *Lucret. IV,* 222 Nec variae cessant voces volitare per auras. Vacuas . . auras *e. g. Aen. XII,* 592. 241 *sq. Aen. V,* 701 nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas | mutabat versans; *IX,* 413 longis singultibus ilia pulsat. 243 *Aen. IV,* 285 Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc.

Nec sibi valde timens, sed regis turpia facta
Horrescit potius; cautus cui parcere curat,
Crimine ne tanto festi foedaret honorem.
Haec secum: vultum populis monstrabat alacrem,
Donec cuncta deo sollemnia rite peregit.
His gestis dominum supplex in vota vocavit:
'Da, deus, ut possim soli tibi solvere vota
Nec tenear mundi fallentis imagine captus,
Sed liceat nocuos saecli iam rumpere nexus.'
Haec fatus famulos fidos delegit ab omni
Conventu, quibus haec vates ex ordine pandit:
'Maturate fugam, cari, ne perfidus ille'
Inquid, 'pontificem truncet fundatque cruorem,
Pontificis maculet nece maxima festa quotannis'.
Deseruit tandem mundi retinacula cuncta:
Per noctis spatium properans volat axe citato,
Donec lux tenebras furvas umbramque fugarat
Pallentis Phoebi, roseis cum curribus arva
Perflabat. Nimium tristis rex ipse remansit
Illius abscessu, querulis et tecta replevit:
'Quid facimus? — Properate, viri. Cur linquitis?' inquid,
'Arma viri sumant, iuvenum vis tela capessat,
Nunc equites certent, celeres armate maniplos,
Currite post vatem. Quae nos dementia caepit?'
Undique turba ruit, properant revocare magistrum.
Ipse tamen precibus supplex absolvier orat:
Luxoviense petit rapidis sub gressibus agmen.
Clericus hic equidem iam Ebrinus in ordine mansit
Sacro. Tum pariter pacem veniamque petentes
Et lacrimis faciem largis perfundit uterque
Inque vicem peccatorum sic vincula rumpunt.
Quos pater egregius monitis instruxit amicis,
Qui sacrum studio monachorum rexerat agmen,
Et docuit, domini quae sint mandata tenenda.
Quos tamen ad tempus disiunxerat ordine certo,
Dum penitus mentes discordes pax pia iungat,
Sic demum monuit, iungant ut corpora secum.
Qui patris egregii studiose iussa facessunt
Ac tandem formam monachi sumpsere benignam.
Tempore non alio produxerat ultima metam

---

247 alacrem R *G* 253 omni R *G* 266 *hunc *G* 267 *coepit *G* cepit *P*

249 *Aen. V*, 514 in vota vocavit. 250 *cfr. v.* 70. 251 *Aen. IV*, 84 genitoris imagine capta. 254 *Walahfrid. im. Tetr.* 244 (*II*, 377): rem ex ordine pando: (*Aen. VI*, 723 ordine singula pandit). 255 *Aen. I*, 137 Maturate fugam. 259 *Arator. I*, 675 volat axe citato. 260 *Cul.* 42 *sqq.* sol . . | . . aurato quatiebat lumina curru, | crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat. 263 *Aen. II*, 679 gemitu tectum omne replebat. 264 *cfr. Aen. XII*, 425. 267 *Ecl. II*, 69 quae te dementia cepit? 268 *Ermold. II*, 121 (*II*, 27) Cum undique turba ruit. 270 *cfr.* 175. 281 *cfr.* 82. 282 *cfr.* 173. 283 *e. g. Ge. III*, 531 Tempore non alio.

Hora ducis vitae Hiltrici: funera saeva
Plebs celebrat, furvis conduntur membra sepulcris.
Theodricus tandem populorum iura capessit
E claustris missus, strictis quibus ante manebat.
Ecce autem populus diversa parte propinquans
Regem adit: 'Oramus (humiles ne sperne petentes),
Ut reduces iubeas nostros remeare patronos,
(Ardor inest cunctis amborum cernere vultum),
Sedibus ut priscis laetus reddatur uterque,
Ebroinus enim nec non et episcopus almus
Leudegar'. Placidus contra sic orsa respondit:
'Ite, viris claris citius mea dicta referte:
Sit fas ad proprias sedes remeasse patronos'.
Comfestim proceres veloci calle viantes
Usque monasterium tali cum voce recurrunt:
'Redde, pater, notos patres nunc redde, rogamus,
Quis sine pertesum est supera iam vescier aura.
Cerne fatigatos: imus per longa viarum
Huc spatia'. His dictis mansit pater obstupefactus:
'Ne me, ne ad tales, nati, constringite causas',
Dixerat, 'ut cogam famulos remeare retrorsum
Christicolas'. Tandem spatium concessit eundi
Invitus precibus rogitantum, sed magis illi
Inviti cessere loco. Benedixit euntes
Attamen egregius: 'Pax vos nunc summa sequatur,
Concordes animos iugiterque tenere necesse est,
Cordibus in vestris exultet pax pia semper'.
Progressi pariter pergunt urbique propinquant,
Quam quondam monitis clarus sacraverat almis.
Nec mora: fama citat populos, ruit undique turba,
Urbs populosa sonat, iaculatur clamor Olympo.
Pergit in occursum magno comitante triumpho
Plebs, pariter properat laetus maiorque minorque,
Patres ac iuvenes, pueri innuptaeque puellae,
Matres coniunctae matrumque sub ubere nati,
Aetas cuncta volat, laetis resonantibus hymnis
Suscipit egregium patrem; quem planxerat olym,
Abscessisse sua de sede, quievit ab isto
Actu turba. Dehinc socii incubuere serenis
Iam dapibus, pariter convivia laeta frequentant,
Instructas epulis certant circumdare mensas;

---

299 **an* nostros ? 318 suburberenati *G corr. P* 321 *abscessis *G*

284 *Childerich interfectus est* 673. *Aen. VIII,* 570 *sq.* saeva . . | funera. 295 *Aen. X,* 491 memores mea dicta referte | Euandro. 297 *cfr. v.* 153. 300 *Aen. I,* 546 vescitur aura | aetheria. 303 causa = res *cfr. DC.* 309 *Aen. VI,* 828 Concordes animae. 311 *Aen. VIII,* 101 urbique propinquant. 313 *e. g. Aen. V,* 368 Nec mora; *cfr.* v. 268. 316 *Ermold. II,* 43 (*II,* 25) maiorque minorque popellus. 317 *sq. Ge. IV,* 475 *sq.* Matres atque viri . . | . . . pueri innuptaeque puellae: *Aen. V,* 285 sub ubere nati. 323 *Iuvenc. III,* 738 convivia laeta frequentent 324 *Aen. III,* 231 Instruimus mensas.

Sicque diem laetum ducunt, dum vesper Olympum
Clausit suadebantque cadentia sidera somnum.
At ferus ista tuens Ebroinus mente sinistra
Livida corda premit diris infecta venenis.
Haut poterat placida posthaec consistere mente
Aut membris solitam noctis prestare quietem;
Quin potius fraudem celaverat ore sereno,
Donec obtectus tenebris aufugit iniquis.
Incomitatus abit magno fraudatus honore;
Quem voluit vates censu donare benigno,
Edibus et propriis comitatu reddere laetum.
—Cur mediis tacitus tenebris te tollis et aufers?
(Ergo, age, dic, sodes) dederas nec membra quieti
Paulisper? satius fuerat per lucis amoena
Pergere: latrones noctis sed tempora quaerunt,
Filius ast lucis devitat noctis opaca.
An fraudes tractas fugiendo mente maligna? —
Redditus at propriis Ebroinus foedera pacis
His mandat primum, tenuit quos ante inimicos:
Offensis tandem sic se sociavit amicum.
Haec sed cuncta gerit simulator corde sinistro;
Hoc probat et finis: nam posthaec ipse malignos
Congessit sotios, regi se praebuit ultro
Inque priore gradu magno mandante tiranno
Susceptus maiorque domus dehinc ipse creatur,
Princeps et procerum firmatur, rege secundus.
Mox furibundus agit stimulos sub pectore nigro.
Ut lupus infestus, siccis dum faucibus aret,
Molle pecus vastans avidus manditque trahitque,
Territat imbellesque feras leo vocibus atris
Irarum plenus, trepidantia colla fatigans
Erigit — haut aliter furiis iactatus et ira
Caedibus insistens diris funditque cruorem
Innocuum: homines prostrantur more duelli.
Nam plures procerum vita spoliavit et armis,
Finibus et patriis multos depellere certat,
Divitiis alios proceres proscripsit amatis.
Tale scelus patrans actu bachatur iniquo.
Interea vates residens urbemque gubernans

---

327 sinistra R *G* 330 solitum *G corr. P* 356 *aut *G*

325 *sq. Ge. III,* 379 Hic noctem ludo ducunt et . . . laeti; *Aen. I,* 374 Ante diem clauso componet vesper Olympo; *Aen. II,* 9; *IV,* 81 suadentque cadentia sidera somnos. 327 tuens = videns *Vergilianum est.* 328 *Ermold VI,* 47 (*II,* 60) variis infecta venenis. 330 *Aen. X,* 217 membris dat cura quietem. 336 *Aen. IV,* 389 seque ex oculis avertit et aufert. 337 *Aen. II,* 707 Ergo age. 340 filii lucis *e. g. Ioan.* 12, 36. 341 *cfr.* 218. 350 *cfr.* 167. 351 *Aen. IX,* 715 stimulos acris sub pectore vertit. 352 *sq. Ge. IV,* 427 arebant . . flumina siccis | faucibus: *Aen. IX,* 337 Inpastus ceu . . . leo | . . manditque trahitque | molle pecus, *cfr. Sedul. II,* 112 *sqq.* 356 *Aen. XII,* 946 furiis incensus *(sic Bern. s. IX.)* et ira | terribilis. 359 *Aen. VI,* 168 illum vita victor spoliavit Achilles. 360 *Aen. I,* 620 Finibus expulsum patriis.

Commissam sibi seu monitis sacraverat almis.
Confestim infelix Ebroinus pectore torvo,
Sedibus et propriis tractat detrudere vatem.
'Ille meis', inquid, 'palmis inlesus abibit,
Qui toties contra mecum conflixit eundo,
Ut non percipiat, meritis quae gesserat olim?
Percipiet potius, vindictam sentiet ille.
Illum conpulsus propter sum perdere crinem,
Depulsus regno monachalem sumere formam,
Coniugis amplexus dulces et bassia liqui,
Oscula nec prolis collo suspensa tenebam.
O mihi si quisquam fidus hanc vindicet iram:
Huc ades, o quisquis, cernens, iniuria qualis'.
Talia tractanti astabant duo mente nefanda,
His tristem blandis dictis mulcere feruntur:
'Nunc miseras voces, princeps, iactare per auras
Desine; pande libens, quae sit sententia cordis.
Dic, age: nos dictis ultro paremus ovantes,
Ecce sumus iam iam famuli complere quod optas'.
Diddo unus dictus nec non Wagemarus et alter.
'Ecce meos dilecta manus miserata dolores:
Semper vos firmos tenui — nunc ite, parate
Insidias', dixit, 'vatem depellite sede'.
Otius ast illi certant implere iubentis
Imperium saevum. Velox ruit undique turba
Ferro armante minax duro vel fustibus atris.
Pars lituo resonat vacuo, pars vocibus altis;
Pars clipeis onerata ruit pos terga rotundis,
Ast alii palmis gestant astilia lata;
Pars levibus plantis fidit, pars flectere colla
Alipedum feretrisque cavis et spicula trudit.
Tantis turba furens armis ac bella lacescens
Ibat per campos vastans urbemque tenebat.
Ortantur semet socii: 'Circumdate muros
Vallo seu scalis altis nunc scandite tecta.
Pars quatiat subtus crebro fundamina muri
Ariete, pars etiam nervis iactate sagittas;

---

369 que *G* 374 colla *G corr. P* 383 *uuegemanus *G* 384 meas *G corr. P* miseratio *G corr. Manitius* 400 iactata *G corr. P*

372 *cfr.* 173. 373 *Ermold. III,* 381 (*II,* 52) Coniugis amplexus. 374 *Met. IV,* 574 Quem si cura deum tam certa vindicat ira; *Ecl. II,* 45. *VII,* 9 Huc ades, o. 377 *Iuvenc. I,* 172; *II,* 379 Talia tractanti. 378 *Aen. I,* 197 et dictis maerentia pectora mulcet. 379 *Aen. II,* 768 voces iactare per umbram. 381 *Aen. VI,* 343 Dic age; *Sedul. IV,* 118 paret ovans. 383 *Wagemarus* (*cfr.* 564. 565. 573) *in Leudegarii vitis Waimerus, in S. Praeiecti Mab. Saec. II, 644 Ugimer audit.* 384 *Arator. II,* 831 O dilecta manus; *Aen. IV,* 693 miserate dolorem. 388 *cfr.* 313. 389 *Aen. VI,* 148 duro . . ferro . Cum gladiis et fustibus *e. gr. Matth.* 26, 47. 393 *Pont. II,* 9. 58 Collaque . . flectere doctus equi, *cfr. Aen. XII,* 484 Alipedumque fugam cursu temptavit equorum *et Martian. Cap. II,* 189. 395 *Ermold. III,* 605 (*II,* 58) bella lacessunt. 397 *Aen. III,* 129 Hortantur socii. 399 *Aen. II,* 6111 Fundamenta quatit; *II,* 492 ariete crebro. 400 *Aen. X,* 131 nervoque aptare sagittas.

Qui melior iaculis, adsit; date fortia tela.
Nunc opus est coeptum: iuvenes concurrite cuncti'.
Senserat ista dei famulus. Tum congregat omnem
Cum crucibus, cunctum caereis, laudibus atque
Clerum: 'Ferte cruces, claras ornate lucernas;
Ducite relliquias sanctas cineresque priorum:
Exemplum domini splendens imitemur ovantes'
(Obvius ipse prior turbis processerat) 'et nos
Intrepidi citius turbas properemus ad istas'.
Dixerat: innocuos voluit servare bidentes,
Martirii ad palmam laetus se prebuit ultro.
At non carnificis mucro tunc prebuit ictum,
Tempore quo voluit caelestem carpere sertum:
Martyrii dilata est, non subtracta corona.
Attamen infaustas, spreta reverentia Christi,
Factio pernitiosa manus iniecerat illi
Atque oculos claros nimium sub fronte serena
Eruit ac strictim telo terebravit acuto.
Ille igitur laudes domino gratesque rependit,
Nam fertur precibus summum laudasse tonantem:
'Sit tibi, magne, salus, virtus et gratia, Christe,
Glorificare hodie tantum qui me voluisti'.
Quamque forent vacuae patula sub fronte fenestrae —
Lux tamen interior micuit clarissima semper.
Saeva manus penitus carnales clausit ocellos —
Summa manus cordis rutilos reseravit ocellos.
Vir humilis, patiens, orator, cultor, amator
Permansit iugiter, palmam quo carperet almam.
Rebus heu nimium sceleratis his ita gestis,
Cauto caenubio quodam custode tuetur
Vates: dum binis circum sol volvitur annis.
Hic latuit patiens multis exempla ministrans.
Huic germanus erat Garinus nomine dictus,
Quique metu propriis fuerat depulsus ab oris
Huc profugusque illuc incertis passibus errans.
Interea profugi propriis remeare iubentur
Servitiisque sui solitis insistere regis:
Quos inter pariter Garinus iussus adesse.
Nec minus et vates posthaec adhibetur ad aulam.

404 *cfr. Ursin. vit. VIII, p.* 702 cum reliquiis et crucibus et choris psallentium obviam obiit cum dei laudibus suis inimicis. *P voluit* cereis lampadibus atque. *An* choreis *(quae prosodia ut in graeca voce minus offenderet)* lampadibusque ? 430 *tenetur B, G cfr.* 193 433 carinus *G* 435 profugus quae *G*

401 *Aen. V,* 67 qui . . | . . iaculo incedit melior . . | cuncti adsint; *Aen. IX,* 37 date tela. 402 *Fast. IV,* 16 coeptum perfice opus. 407 *Met. VII,* 515 Obvia processit. 413 *cfr.* 48. 417 *Sedul. II,* 80 sub fronte serena. 418 *Aen. III,* 635 telo lumen terebramus acuto. 419 *Iuvenc. I,* 131 Magnificas laudes animus gratesque rependit. 423 *Sedul. IV,* 38 Atque diu clausas reserans sub fronte fenestras, *cfr. Aldh. laud.* 958; *Cul.* 16 patula . . fronte; *Aldhelm. VIII princ. vit.* 424 patulis . . sub fronte fenestris. 433 *e. g. Aen. III,* 210 nomine dictae. 434 *sq. Aen. I,* 1 ab oris | . . profugus; *Met. III,* 175 non certis passibus errans.

Quosque tuens princeps Ebroinus mente maligna,
Blasphemiis fratrem variis irrisit utrumque:
'En meritis', dixit, 'vestris adsistite turpes'.
His motus dictis fertur dixisse beatus
Longa trahens tacitus mentis suspiria vates:
'Nostris haec meritis patimur, quia crimina multa
Gessimus ante deum, quorum nunc damna luemus:
Maior adest istis semper clementia Christi,
Nos qui dignatur vita donare perenni.
Infelix Ebroine, tuis iam desine factis:
Ecce neci multos stricto mucrone parasti —
Tu, potius, miserande, subis tormenta severa.
En tibi porta patet subtus ferventis Averni,
Flammarum socii flentes et parta gehenna,
Factis ni citius veniam merearis ab istis'.
His magis auditis furiis incensus et ira
Mox Ebroinus ait: 'Quae vos dementia fallit?
Hinc procul ite citi; citius propellite tales;
Tales desistant sermones ferre per auras:
Conloquiis vanis pariter verbisque fruuntur;
Garinus citius plectatur grandine saxi.
Festinate, viri, tandem damnate superbum;
Adstrictum sudibus duris lorisque ligate'.
Cernens hoc vates, promens has pectore voces:
'O decus, o germane mihi lectissime semper,
Huc aurem monitis paucis adverte — docebo:
Care mihi frater, firmum nunc pectus habeto,
Est opus; ista brevis currens vehit omina finis.
Nos quia mortis amara tenet sententia, constat
Supplitiis Christi pro nomine subdere corpus;
Nos tamen expectat caelorum in culmine clara
Vita manens, quae fine caret, quae permanet alma.
Ne timeas: quo regnemus, properemus ovantes'.
Nec mora, per ventos certant effundere vestes;
Impia turba ruit, pedibus vix ultima tangit.
Aera per tenuem subductis acta lacertis
Saxa volant: subito nubes densatur acerba,
Saxea grando cadit, furor impius arma ministrat

---

448 uitae *G corr. P* 450 multo *G corr. P* 467 *omam *G* omnia *P* 470 **an* pos ?

440 *cfr.* 341. 444 *Met. II,* 753 tanto penitus traxit suspiria motu. 450 *Aldhelm. laud. virg.* 1255 stricto mucrone necaret, *cfr. ibid.* 2419; *Aen. II,* 333 stat ferri acies mucrone corusco stricta, parata neci. 455 *cfr.* 356. 456 *cfr.* 267. 459 *Aen. VII,* 90 fruiturque deorum, conloquio. 460 *cfr.* 477. 461 *Aen. II,* 373 festinate viri. 462 *Aen. VII,* 524 Stipitibus duris agitur sudibusve praeustis. 463 *Aen.* V, 482 effundit pectore voces. 464 *Ge. II,* 40 O decus, o . . 465 *Aen. IV,* 116 paucis, adverte, docebo. *cfr. Met. XV,* 140. 466 *sq. Aen. VI,* 261 opus . . nunc pectore firmo. 473 *cfr.* 313. 474 *Met. III,* 629; *Arator. II,* 101 Impia turba. 475 *Ge. IV,* 311 tenuem . . . aera; *Arator. I,* 602 vibrantibus acta lacertis | saxa iacis . . . . | grando nefanda cadat. 476 *Aen. I,* 150 saxa volant, furor arma ministrat. 477 *Aen. IX,* 711 Saxea pila cadit; *Gesta Apollon.* 685 Saxea . . . turbo, *cfr. Strabo Mam. XXIV,* 6 *sq.* (*II,* 294) *et. v.* 475; *Aen. I,* 294 furor impius, *cfr. v.* 476.

Et roseo duri sparguntur sanguine cautes.
Ille inter dominum crepitantia saxa precatur
Palmis expansis: 'Qui me dignaris ab ista
Auferri vita cruciatum martyris instar,
O deus, perpetuae vitae mihi redde coronam'.
Optat et ipse simul vates cum fratre coronam
Percipere et fragilis vitae iam claudere metam,
Ut simul in caelis fruerentur civibus almis.
Distulit infelix Ebroinus martyris almi
Accelerare diem: voluit differre coronam
Partam, blasphemiis dominum quo carperet acris
Neu possit meritis sanctorum equalis haberi.
Quam dominus famulo devoto servat habendam:
Impietas humana cupit subducere quantum
Altis e sedibus fratres, pietas tamen illos
Cum caelis sociat tantum divina per aevum.
Ergo putat demens divinam flectere more
Humano mentem, sed non deus flectitur ulla
Fraude, pia a servis qui numquam avertitur aure.
Inde, ubi conspexit vatis praecordia firma,
Ingemuit nigro stimulos sub pectore versans
Mens infecta malis; ardens furor addidit iram.
Tum mitem, humilem, patientem corde venusto
Piscinam quandam nudis incedere plantis
Iussit, quae vasto sub gurgite gestat acutos
In morem lapides clavorum. Figere gressus
Quo iussus nudis pedibus calcaverat amnem,
Dum cruor horrendus scissa de pelle cucurrit
Et roseis rivis bibulam perfudit arenam.
Iamque fatigatus pedibus vel corpore fessus
Substitit et trepidos crebris quatit ictibus artus.
Conpulsus latis tandem prosternitur arvis,
Dum labia abscidi ferro vel lingua iubentur.
Ablatis oculis, lingua geminisque labellis,
Gressibus ille fatigatis seu corpore toto
Officiis solitis summum laudare tonantem
Necquivit, laudes domino sed mente gerebat
Supplex atque pias Christi direxit ad aures.
Sed, cum presidium humanum sibi crevit abesse,
Auxilium Christi sibi constans obtat adesse.
Tunc pietate carens Ebroinus, corda veneno

---

478 durae *non sum ausus* 488 *plasphemis *G* 494 divinum *G corr. P* 502 que *G* 506 roseus *G corr. P*

478 durae cautes *Vergilian.* 487 *Fort. C. IX,* 4. 10 Accelerante die. 496 *Ermold. II,* 259 (*II,* 32) *et* 382 (35) aure pia. 498 *cfr.* 351. 499 *Met. XII,* 532 dolor addidit iram. 502 *Aen. VI,* 741 sub gurgite vasto. 503 *Iuvenc. III,* 113 immersos figere gressus. 506 *Aen. XI,* 626 perfundit arenam . Bibula arena *e. g. Ge. I,* 114. 508 *Cul.* 196 crebris . . Ictibus ossa ferit; *cfr. Aen. V,* 432. 509 *Aen. VIII,* 605 latis . . . arvis; *cfr. supra* 170. 512 *Sedul. V,* 159 sed corpore toto. 513 *cfr.* 420. 515 *cfr.* 496. 518 *Sedul. II,* 109 Qui pietate caret.

Plena gerens, sensu vacuus, ferus, asper, amarus,
Accersit quendam citius, cui denique dixit:
'Cernebas quondam tumida — cape — mente superbum,
Artis hunc claustris vinclorum necte, Waninge,
Parcere nec cures; veniet mea iussio, quae illum
Poenali meritis damnabit sorte suprema.
Perge citus'. Pergit velox qui iussa facescens,
Usque monasterium caute perducere certat,
Olim Fiscamnum constat quod nomine dictum.
Virgineum examen mansit quo matre sub una
(Actibus illa piis pollens per tempora cuncta),
Quo iugiter domino modulatis vocibus hymnum
Percrepuit; degens ubi martir tempore quanto,
Supplex altithronum dominum veneranter adorans.
Parcus namque cibo, sumens vel pocula pauca,
Raro seu membris concessit stramina lassis,
Saepe etiam adclinis parieti membra reponit.
Intentus facie, manibus vel corpore toto
Astrorum regem summo conamine poscens,
Crimina quo laxet, veniam det, noxa remittat,
Inpiger antistes haec gessit nocte dieque —
Ecce labris subito abcisis linguaeve tacenti
Munere divino verborum reddita vox est.
Organa continuo remeant et guttura, fauces
Instant offitiis solitis et reddere certant.
Nec mora, dulcifluo funduntur dogmata ab ore
Virgineoque gregi panduntur famina sacra.
Virginibus sanctis pandebat dogmata quando,
Cordibus illarum infundit ceu dulcia mella.
Floriferi ruris primo sub tempore verni
Germina procedunt, caelo dum spargitur imber
Aptis temporibus lentus, glescuntque frutecta,
Et plenis culmis gravidae cumulantur aristae —
Haud secus ora rigans antistes Christicolarum
Doctrinam fundit puro de fonte fluentem.
Illum per multae spernebant acta sinistra;
Ad melioris opem vitae se reddere gaudent,
Perpetuum monitis sese evasisse periclum.
Undique conveniunt avidi, quo verba salutis
Percipiant populi, dulci quae sanctus ab ore
Deprompsit, laetus cunctis alimenta ministrans.

544 fiunduntur *G corr. P* 552 *corda *G, interpol. ex* 72 *et* 547 554 *permulte *G (i. e. per illum m.)* permulti *P* 556 gaudent perpetuum *G corr. P*[1] 558 dulcique *G*

524 *Aen. V,* 190 sorte suprema. 525 *cfr.* 82. 526 *Mab. ASS. saec. II,* 972: *Monasterium Fiscamnense, vulgo Fescam (i. e. Fécamp) in Caletis Neustriae populis ad Oceanum positum.* 528 *Childomarga vocatur ab Ursino.* 530 *Arator. I,* 337 vocibus hymnum. 532 *Fort. V.M. III,* 314 veneranter adorans, *cfr. Sedul. V,* 431 *et Areval. adn.* 536 *cfr.* 512. 543 *cfr.* 513. 547 *cfr. prol.* 4. 550 *de* glescere *praef.* 4 *adn.* 551 *Ge. I,* 111 ne gravidis procumbat culmus aristis. 552 *Arator. II,* 579 tu nunc mihi largius ora, spiritus alme, riga. *cfr. Porphyr. Opt. IV,* 4 devotis haustibus ora rigans. 553 *cfr.* 112. 557 *cfr.* 129.

Tempore concilium statuit rex nam sub eodem:
Pontifices veniunt, veniunt simul undique plebes,
Theodricus clarus princeps, Ebroinus et idem.
Huc etiam venit properans expulsor uterque,
Wagemarus fallax nec non et Diddo malignus,
Wagemari sotius, parilis quos culpa ligavit.
Conveniunt alii, velox quos ultio iuxta
Haud inpune tulit. Primus proiectus ab illo
Concilio factusque reus iam Diddo ruebat
Milibus irrisus, vatem qui sede reiecit
E propria quondam, et damnatur proditor amens.
Inde etiam meritis depellitur exul ab oris
Dulcibus et mortis miserum sententia multat.
Wagemar infelix simili deiectus honore
Tum sequitur: socius sceleris seu fautor iniquus
Exstitit in causa iusti; qui denique fertur
Verberibus tritus trucibus, quem factio cernit
Turpiter affectum poenis, qui sumpsit honorem
Inmeritus. Nutu summi rectoris Olympi
Creditur effectum: nam posthaec guttura nectit
Infelix laqueo, mortis properavit ad umbras
Tartareamque petit sedem multatus amare.
Hac mercede suos Ebroinus donat amicos,
Qui vatem propria iustum de sede tulere.
Nunc extrema manent iusto certamina palmae
Exsuperanda, quibus iam victor scandit Olympum.
Ducitur e claustris, strictis quibus ante manebat,
Virgineas aures ubi sanctus dogmate sacrat;
Principis ad vultum iussus, simul atque Ebroini
Pervenit. Statuunt extra quem parte sub una
Concilium, abstrusas res querunt atque futuras
Adtemptando pium; pandit quibus ordine cuncta,
Illos quae maneat sententia praescia rerum
Aut alios — citius finis haec cuncta probavit.
Quem contra torvus verbis sic fatur iniquis:
'Quid toties verbis te iactas, improbe, vanis?
Martirii palmam speras te posse mereri?
Ut fueris dignus, sertam palmamque capescis:
Nulla corona datur vitae pro talibus actis.
Nec dignor tali te munere claudere metam:
Claudis enim vitam properata morte, superbe'.
Dixerat infelix Ebroinus, mente revolvens,
Illum quo dudum mundi destruxit honore,

563 hac *G corr. P*^{2} 566 iusta *P* 577 *an* quia ? 582 mercedes *G corr. P* 587 dogmata *G corr. P* 589 *quam *G* 592 Illosq. *G*

567 *Met. II*, 474 Haud inpune feres. 571 *Fort. C. IV*, 1, 17; *VI*, 8, 5 exul ab oris. 578, *cfr. Aldh. l. v.* 429. 581 *Aen. VIII*. 667 Tartareas etiam sedes. 586 *cfr.* 287. 589 *coniungas* extra concil. *v. praef.* 4. 591 *cfr.* 254, *ubi add. Candid. XX*, 5 (*II*, 113). 592 *Iuvenc. I*, 226 praescia rerum. 593 *cfr.* 346. 600 *Iuvenc. IV*, 16 properata morte relinquit.

Sic etiam caeli penitus depellat ab oris.
Illum quo mercede pia depellere gestit
Longius, aeternis adeo sed sanctus adhaesit.
Inde virum quendam crebrata voce ciebat:
'Accipe: vinclorum claustris, Rotberte, ligare
Hunc studeas', inquid; 'veniet iam tempus, ut illum,
Ut meruit, dignis poenis sub Tartara mittam'.
Concitus ille capit parenda iussa iubentis
Adque domum propriam cautus perducere certat.
Passibus alternis certant dum carpere callem,
Protinus hunc fessum pedibus membrisque solutum
Cernens in mediis subitò subsistere campis,
Cui miserans fert auxilium seu pocula libat.
Dum pincerna parat placidum libare liquorem,
Splendidus arcus enim veniens cum lumine magno,
E caelo radians flammis lux missa cucurrit,
Martyris atque caput supra blandita resedit;
Inlesos tetigit sancti servatque capillos.
Hoc viso timuere viri, vox faucibus haesit,
Erectae steterantque comae, tremor occupat artus,
Singultisque crebris flatus seu viscera pulsat.
Ad se reversi rumpunt has pectore voces:
'Iam tandem, cultor domini, dic, optime, nobis:
Ecce repente viam gradimur non passibus aequis,
Dum lux ecce volat labens a cardine caeli
Nuncque tuum supra capud est fulgore corusco.
Territat haec cunctos, pedibus titubamus et omnes,
Nec simile e caelo signum conspeximus umquam:
In modum circli flagrans tua tympora cingit'.
Audiit hoc martyr, pronus prosternitur arvis,
Has domino voces supplex gratesque rependit:
'Arcibus aethereis resides qui regna tuendo,
Qui caeli fabricator ades, qui conditor orbis,
Orbem qui quadrum summa ditione gubernas,
Te veneror, tibi vota libens gratesque rependo,
Cuius haec iussu caelo lux missa cucurrit,
Tantum quod signum dignaris ferre super me'.
His animata piis plebes precordia mollit

---

610 iusa *G* 612 certunt *G corr. P* 614 *cerneret *G* 617 *artus *G* 622 quae come *G* 624 at* *G*

603 *cfr.* 434. 606 *Aen. III,* 68 magna supremum voce ciebat. 609 *Aen. XII,* 14 sub Tartara mittam. 611 *cfr.* 526. 618 *Iuvenc. I,* 198 caelo vox missa cucurrit. 621 *sq. Aen. II,* 774; *III,* 48 Obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit. *cfr. ib. IV,* 280; *XII,* 868 Arrectaeque horrore c. c. v. f. h. 622 *Aen. VII,* 446 tremor occupat artus. 623 *cfr.* 242. 624 *Aen. III,* 246 rumpitque hanc pectore vocem. 626 *Aen. II,* 724 sequiturque patrem non passibus aequis. 628 *Iuvenc. III,* 321 Christus faciem fulgore corusco | mutatur. 632 *cfr.* 170. 633 *cfr.* 419. 634 *Sedul. I,* 31 Arcibus aethereis una est cum patre potestas; *Iuvenc. I,* 624 Sidereo genitor residens in vertice colli. 635 = *Sedul. I,* 61. 636 *Aldhelm. laud. virg.* 1 Omnipotens genitor mundum ditione gubernans. *ibid.* 1364, 1506 quadrum . . . orbem. 637 *cfr.* 419. 638 *cfr.* 618.

Visibus ad dominum toto cum corde reversa.
Fribula spernentes, penitus meliora secuti
Mortis iter vitant, caelestia regna requirunt.
Hos domini famulus docuit, quae sint pia iussa:
'Cernitis, o nati: instabilis quo machina rerum
Versatur volitans liquidas ceu fumus in auras,
Sic pomposa ruit florentis gloria mundi.
Nos vocat aula dei cunctos sedesque beata,
Angelici cupiunt sinibus gremiisque fovere
Nos propriis cives, ni mens nunc tarda tepescat:
Tempnentes dominum miseri sub Tartara tendunt'.
Tunc famuli famulaeque simul, Rotpertus et uxor,
Tota domus vatem casto venerantur amore:
Errorem cuncti penitus sprevere priorem,
Actibus insistunt sanctis Christumque frequentant.
Haec faciens martyr, posthaec non tempore longo
At mortem sitiens iusti mens effera semper
Nec furor insanus cordis nec ira quievit,
Donec membra pii vatis mucrone feriret,
Artus atque neci tradat fundatque cruorem.
Venit enim suprema dies et passio sacra
Venit, quo famulum dominus ditarier almis
Disposuit regnis, sanctum quoque ferret ad astra
Flatum, perciperet meritis ubi praemia sacra:
Ecce equites mittens Ebroinus prepete cursu,
Pos tergum clipeis sancti ferroque minaces.
Dat sonitum tellus, saltum quatit ungula putrem;
Frendit equus frenis et concutit ora cruenta;
Exit aquosus humor, fervescit et ossibus ignis.
Usque domum properant Rotberti quattuor apti,
Ut caperent vatem sanctum; quem denique captum
Per nemora alta vehunt furtivis passibus atque
Callibus ignotis repedant ducuntque beatum.
Dum haec agerent, martyr subito conpescuit illos;
Haec ait: 'O nati spatiis ne erretis in istis;
Ecce fatigati toties desistite tandem:
Adsum haud ignarus enim; consumite iussum:
Cursum hic ponam vitae finemque laborum.
Tempus adest; citius, nati, nil iussa morate'.
Ecce repente ruunt terni, superante superbo
Ad plantas humiles quarto veniamque precantur:

655 xpm quae *G* 667 *altum *G* agrum *P* 673 *collibus *G*

642 *cfr.* 23. 643 *Iuvenc. I,* 688 caelestia quaerite regna. 645 *Sedul. I,* 239 rerum machina. 646 *Aen. V,* 740 tenuis fugit ceu fumus in auras. *cfr. Met. XII,* 525 liquidas ... auras. 648 *Aen. VI,* 639 sedesque beatas. 653 *Fast. IV,* 543 Tota domus laetast. 660 *cfr.* 256. 665 *Arator. I,* 259; *II,* 712 praepete cursu. 667 *Aen. VII,* 567 Dat sonitum; *VIII,* 596 Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. 668 *Aen. VI,* 100 ea frena furenti | concutit; *I,* 296 fremet horridus ore cruento. 669 *Met. II,* 410 sub ossibus ignes. 672 *Ge. III,* 393 In nemora alta vocans. 678 *Aen. II,* 619 finemque impone labori. 679 *cfr.* 131.

'Criminibus nostris nunc indulgere rogamus',
Aiunt, 'nos benedic etiam, venerande sacerdos':
Protinus ille manu extenta benedixerat illis.
Increpat hos quartus: 'Procul hinc absistite, victi',
Dixit; 'sed quid agam, timida nunc cernite mente.
Tende caput iugulo', dixit, 'vel cernua colla'.
Arduus ipse stetit stricto mucrone coruscans;
Protinus ille genu fixit palmasque tetendit,
Haec supplex precibus rogitans et sidera pulsans:
'Alme pater, genitum direxti, ut crimina mundi
Tolleret atque cruore pio iam vulnera sanet;
Per quem te meruit mundus cognoscere verum
Auctorem cuncto sublato errore vetusto.
Error abit vanus, cedunt figmenta deorum;
Gratia prompta redit, venit cultura fidelis,
Orbis ubique colit, tellus quoque, pontus et astra
Te, pecudes, volucres, pisces, qui flumina tranant,
Factorem verum testantur cuncta creasse.
Da veniam cunctis, miserans et parce inimicis
Omnibus atque istis, veri quia nescia corda
Gestant, saeva etiam ponunt tormenta necemque.
Hos propter claris conspectibus, alme redemptor,
Credo tuis me presentari et carpere vitam
Perpetuam. Hanc animam placidis nunc accipe palmis'.
Armiger his dictis stricto capud abstulit ense,
Infaustis manibus sacrato sanguine terram
Perfudit; victor clarum sic aethera scandit.
Continuo dominus miracula magna peregit:
Ut psalmista canit (cuncti nunc cernite vultu),
Ecce suum dominus sanctum magno ornat honore.
Et capite absciso superabat corpus in altum
Erectum, ut fertur, spatioso tempore, quantum
Unius horae metam sol scandit in axe.
Vividus ardor erat membris, calor ossa tenebat.
Inpaciens homicida suis nam calcibus illum
Percussit, citius terra quo membra iacerent.
— Ensifer infelix, roseo maculate cruore
Martyris et sacrum corpus qui calce petisti,
Nec licuit has te penas inpune tulisse,
Sed mox multiplici constrictus peste teneris

695 caedunt *G corr. P* 705 *animum *G*

683 *Fort. C. I,* 15, 31 venerande sacerdos. 684 *Fast. III,* 872 extentas .. manus. 686 *cfr.* 169; *Trist. I,* 1, 87 timida circumspice mente. 688 *cfr.* 450. 689 *Aen. VI,* 685 palmas utrasque tetendit. 691 direxti *ex Aen. VI,* 57. 694 *Aldhelm. laud. virg.* 1732 errore vetusto. 695 *Aldhelm. laud. virg.* 1052 figmenta deorum. 697 *Ge. III,* 270 et flumina tranant. 701 *Ge. IV,* 470; *Iuvenc. III,* 104 *sq.* nescia ... corda. 706 *Ermold. Nigell. III,* 461 (*II,* 54) stricto caput abstulit ense. 710 *cfr.* 216. 711 *Ps. IV,* 4 Et scitote quoniam mirificavit dominus sanctum suum. 715 *Aen. III,* 308 calor ossa reliquit. 718 *Iuvenc. III,* 729 maculata cruore.

Daemonis ac mediis flammis iniectus anhelas,
Fugit ab ore cinis donec properanter ad umbras. —
Coniugibus placuit posthaec clam membra sepulchris
Tradere praedictis una cum veste respersa
Sanguine: basilica conduntur membra sacrata
In modica; iuxta fuerant quo circiter annis
Binis tecta solo latitantia, mensibus et sex.
Ista die, certis iam signis, gesta secunda
Octimbris mensis sollemnia, credite vere.
Ingenio exiguo quaedam iam portio facta est
Florigerae vitae: nunc libri terminus adsit
Huius et alterius demum repetatur origo.

EXPLICIT LIBER I.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Continet ille prior sacrati gesta libellus
Martyris, in carnis placidus quae tegmine gessit.
Exutus spoliis carnalibus, ecce secundus,
Miris quae gessit virtutibus, implicat acta.
Actenus expressi vatis pia munera iusti —
Arenti sermone quidem, sed pinguia gesta;
At plus illa sonant: calcatis victor Olimpo
Iam residens vitiis domino tribuente peregit,
Quae diversa piis signis manifesta tenentur.
Sermo meae formans torpenti illabere linguae
Cuncta prius, hominis labris quam lingua sonaret,
Carmine quo possim multis ex pauca referre.
Saltim basilicae parvae servaverat aedes
Pervigil excubiis devota mente sacerdos,
Eminus aspitiens noctu, lanterna refulgens
Apparet hominum nullo subnixa ministro.
Ecce repente suis se flammis prodidit ultro:
Protinus hinc atque inde fluens rumore venusto;
Martyris et nitido celebrant sermone sepulchrum.
Sed maiora dehinc radiabant signa secuta:
Luminibus rediit caecatis munus amatum
Et solido claudis firmantur robore plantae,
Auribus et gratus remeaverat aeris ictus,
Larva ruens atrox obsessi corporis artus
Liquerat, abscessu corpus mentemque levabat.
Claruit his primum virtutibus almus ubique.

---

725 ueste *G* 727 *fuerunt *G* 730 *octoribus *G* 732 florigere *G* 733 reputatur *G corr. P*
2 tegminae *G* 3 ecce *G* 13 basilice *G* 19 celebrant *G*

726 *in diocesi Atrebatensi cfr. A.SS.* 419, 254. 733 *Arator. I,* 17 repetatur origo. ‖ 12 *cfr. Ermold. Nig. I,* 30 (*II,* 6). 22 *Aldhelm. laud. virg.* 473 Claudos firmatis mox iussit pergere plantis.
24 *Iarenc. I,* 656 corporis artus.

Interea eclesiae vigili duravit amore
Ad tumbam custos vatis; cui denique latro
Nocte tenebrosa rapuit res arte maligna,
Antea quae proprio congesserat ipse labore.
Illius et vacuas abiens fur deserit aedes;
Quiscum, quem tenuit reverenter, calceus unus
Martyris ablatus fertur. Sed clericus idem,
Dum remeat, proprias mature ut viseret aedes,
Repperit exuviis spoliatam hostem per acerram.
Concitus ille petit rediens veneranda sepulchra,
Crinibus extractis et pugnis pectora tundens,
Nec caruere genae lacrimis nec guttora pulsu.
Vociferans, lacrimans, nimio clamore ruebat,
Persistens supplex precibus horisque diurnis
Addidit et noctem, rogitans sibi reddere censum —:
Fur fessus rediit demens onerante coturno,
Invitus domino tandem spolia ampla reiecit;
At dominus servi patrat periuria falsa.
Digna sed immitem sequitur mox ultio utrumque:
Nam dominus vitam celeri cum fine reliquid
Et servus raptor poena damnatur acerba.
Nec latuere diu crescentia signa dolosum
Diversa in populis Ebroinum; rumor ubique
Inditiis certis manifestat, quod prius ille,
Invidia faciente, mala celaverat arte.
— Aspice, cum domino martyr iam regnat in arce,
Invidiose, rapax, homicida inmitis, adulter:
Fulgescunt, radiant, flagrant, monstrantur, amantur
Signa pii vatis, virtus decorata nitescit.
Nunc quid ad haec poteris falsa proferre loquela?
Quid?—nisi corde gemis tacitus, pavitans, Ebroine.
Optatam e tumulo certat captare medelam
Quisque suis membris: sanis nam callibus iste,
Ille oculis radios gaudet remeasse serenos
Expulsis tenebris, nocuo ⟨hic⟩ caruisse calore,
Ast alius triste exultat vomuisse venenum
Daemonis; et cunctos curat concessa potestas.
Inditio est regnare polo, cui Tartara saeva
Promittis voluisse: tua est depulsa potestas.—
Talibus attonitus doluit signis Ebroinus;
Haec ait, ex imo rumpens hanc pectore vocem,
His questus lacrimis dicens uxoris ad aures:
'Heu mihi, quid tantum populos celebrare sepulchrum

30 labore B *G* 35 *hostem per] hospē *G* 58 tumulę *G corr. P* 61 *hic *deest in G* 68 quęstus *G*

37 *cfr. Radbert. Pasch. egl. v.* 78; *Aen. IV,* 673 foedans et pectora pugnis. 38 *Ermold. III,* 425 Non caruere genae lacrimis. 39 *Ge. IV,* 439 Cum clamore ruit magno. 43 *Aen. IV,* 93 spolia ampla refertis. 48 *Aen. I,* 130 Nec latuere doli fratrem, *cfr. Sedul. V,* 32. 53 *cfr. Sedul. V,* 59 *sqq.* 56 *cfr. I,* 70. 63 *Iuv. I,* 769 concessa potestas. 66 *Aen. III,* 172 Talibus attonitus. 67 *cfr. I,* 624. 69 *Aen. II,* 274 Ei mihi.

Audio? quid tantum plebis concursus ad illud
Pervehitur? Verum, coniux, an falsa videntur?
Aestimo falsa magis vulgares ire per aures:
Martyrii dignas talem meruisse coronas;
Talibus auspitiis, credo, est delusa caterva.
Sed tamen, ut certos faciat nos, nuntius adsit,
Quique eat et redeat rapidis sub gressibus ad nos;
Certa ferens dubios curet dissolvere nodos.
Unde, age, care comes, aliquis mittatur alumnus,
Pergat et ad tumulum veniat, qui cuncta requirat'.
Portitor ad tumulum gradiens edicere iussit
Custodes, istis quae sit sententia firma
Rebus, quae populus resonat; qui vera fatentur.
Nuntius ille miser sanctum celebrare sepulchrum
Distulit ac vacuas deprompserat ore loquelas:
'Mortuus hic recubans vili sub cespite tectus',
Inquid, 'non poterit validam praestare medelam'.
Haec fatus vaecors, pedibus mox perculit urnam,
Despitiens abiit. Confestim pestis iniqua
Corripit hunc, donec, lacerans ac viscera torquens,
Tristibus exequiis vitam cum fine reliquid.
— Non risere tuo adventu, nec gaudia portas
His laetus dominis, qui te misere, viator.
Disce tuis poenis nullum contempnere sanctum:
Sanctos qui temnit, dominum contemnere certum est;
Poblitibus melius flexis orasse beatum
Namque foret, plantis quam sacram tundere tumbam. —
Pendulus expectans Ebroinus, portitor ad se
Quid ferat, et dubius varia cum mente nutabat;
Ac secum tristis tacita cum voce susurrat:
'Cur cessat toties famulus, qui missus abibat?
Cur etiam tardat remeans? vel non sine causa?
Aut istum suprema tulit sors? ut prius illum,
Qui caput ante suo vatis mucrone perempsit.
Illius in cineres extemplo membra redacta
Comperimus — simili hic etiam nunc sorte tenetur?
Forsan poena sequax redeuntem perculit istum
Et parili damno perduxerat usque favillam.
Quid facimus? late cuius nunc gloria crescit,
Nostra etiam nimium turpantur gesta priora.
Fama volat huius redolens rumore corusco
Nosque rei ferimur cunctorum vocibus acti.
Sed, ne forte magis placido sermone redundet
Huius fama viri, conemur sorte sinistra

---

71 uident *G corr. P* 80 at *G* *se dicere *G* 91 risero *G corr. P*² 103 perempsit B, *G*

74 *Aen. V*, 534 Talibus auspiciis. 76 *cfr. I*, 175. 81 *Aen. XI*, 295 quae sit magno sententia bello. 90 *cfr. II*, 46. 91 *Iur. I*, 200 gaudia porto. *cfr. Sed. V*, 329. 110 *Aen. VII*, 392 Fama volat. 112 *Iuc. III*, 400 placido . . sermone.

Obiectare malas illi falsasque loquelas,
Ne nostrae in populo minuatur gloria laudis.'
Talia tractantem maturis cursibus illum
Mors rapuit, saeva condebat fauce baratri:
Multos qui ad mortem stricto mucrone coegit,
Fervidus hunc gladius vita spoliavit et armis.
Est completa dei veris sententia dictis,
Ut, cuius quicunque furens maculaverit artus,
Fundat et ipse suum gladio feriente cruorem.
Tali sed tandem multatum fine tyrannum
Suffitiat dixisse; dehinc iam caetera dicam.
His ita transactis virtus iam proditur alma
Martyris et toto flagrabat fervida regno.
Utque, focis cum tura calent vel trita sinapis
Semina, depromunt nitidum flagranter odorem,
Aut pilis gravidis haerbae tunduntur olentes
Et preciosa micant vasis unguenta cavatis —
Haud aliter rumore pio per quosque recurrens
Fama volat: populi miracula magna frequentant,
Aemula quae a multis celabat perfidia ante.
Interea regis magni defertur ad aures,
Cunctorum vatum, procerum quoque fama beata.
Occurrunt alacres certatim calle citato
Pontifices, clerus, monachi maiorque minorque:
Unanimis celebrat virtutes sexus uterque.
Clara salutiferi miracula martyris omnes
Laudibus astrigero iungunt trans nubila circlo.
Pontifices terni surgunt ex agmine tanto:
Vincianus et Ansoaldus et Ermanacharius;
Quorum quisque sui corpus decreverat esse
Iuris, et e tumulo cupiunt auferre beatum.
'Ecce mei iuris tellus tenet ossa sacrata:'
Primus ait, 'requiem hic, hinc spiritus astra petivit,
Coeperat hic, primum signis est proditus almis.'
'Talibus', alter ait, 'contendere desine verbis,
Frater amate, mihi manifestum est carne propinquum
Hunc fore; hunc aluit parochia, quam rego presul;

---

129 haerbe *G* 133 que *G* 149 *amata *G* propinqm[a] *G* 150 caluit *G corr. P*

115 *Iurenc. II,* 683 terrenae gloria laudis. 116 *cfr. I,* 377. 117 *Elroinus necatur* 680. 119 *cfr. I,* 359. 121 *sq. Matth.* 26, 52. *cfr. Iurenc. I,* 527 *sq.* 127 *Aen. I,* 417 Ture calent arae. Trita sinapis *fortasse ex grammatici cuiusdam loco qualis est Bedae GL. ed. K. VII,* 291, 4. 129 *Ecl. II,* 11 herbas contundunt olentis. 132 *Iurenc. III,* 202 Tum populi pariter miracula tanta frequentant. *cfr. ibid. II,* 94. 134 *cfr. I,* 111. 136 *cfr. I,* 128. 137 *cfr. I,* 316. 138 *Aldhelm. VIII princ. vitia* 416 sexus uterque. 139 *Sedul. I,* 26 Clara salutiferi taceam miracula Christi. 141 *Aen. V,* 378 ex agmine tanto. 142 *Vindicianus (Ventianus in cod. C. monach. Morb. ap. Pitr. p. 556) episcopus Atrebatensis, Ansoaldus Pictavensis S. Leudegari consanguineus, (H)ermenarius (sic enim volgo nominatur, sed in plerisque codd. monachi Morbac. ibid. Hermenakarius) Augustidunensis.* 148 *Met. XIII,* 9 fictis . . contendere verbis.

Hinc oriundus erat, sumpsit primordia vitae:
Quare iure mihi martyr conceditur almus'.
Tertius his dictis, vatem compescit utrumque:
'Talibus adstantem verbis onerare catervam
Iam sinite et potius tandem mea dicta tenete:
Quam presul tenuit sedem, quam dogmate sacro
Instruxit felix, hanc sacrent membra beata;
Nec decet, alterius sedis quo in sorte quiescat'.
Conticuere omnes, digitis simul ora premebant.
His dictis melioris opem nanciscier optant
Consilii: statuunt precibus ieiunia iungi.
His pariter certant summum pulsare tonantem,
Cuius hunc meritis potius concedere vellet.
Totus namque dies hymnis extenditur almis,
Pervigili excubiis cura nox ipsa tenetur.
Post ventura dies, sacram cui tradere palmam,
Depulsis, vellet, tenebris Aurora rubebat
Interea et Phoebus rutilo surrexit ab ortu.
Pontifices aras ornant missasque celebrant,
Intentum populum sacro libamine pascunt,
Inque tribus cartis et nomina scripta tenentur.
Quaeque sui vatis specialis epistola gestat
Nomen et altaris medio sub tegmine tectae
Servantur. Sacris missis iam rite peractis,
Ignaro pariter solam iussere ministro
Pandere, quam meritis voluisset prendere cartam
Cuiuscumque deus; citius qui iussa peregit:
Declarat prima Ansoaldum reddita luci
Pagina ditatum tali mansisse talento.
Vocibus hunc cuncti dignum testantur honore,
Tam caro fuerat ⟨vatem⟩ qui munere nactus.
Huic palmam laeti pariter dextramque dedere;
Indubii tandem litis retinacula linquunt.
Tunc famulus domini fido mandavit alumno,
Olim quem martyr cauto nutrimine vexit,
Qui monachos rexit, martyr quos rexerat ante
— Audulfum vocitat quem nomine cura parentum —,
Officium peragat laetus vel iussa ministret,
Usque solum Pictavensem pia membra verenter
Ducat. 'Perge celer, fratrum duc agmina tecum;

158 *haec *G* 159 contiguere *G* 165 nox *G corr. P* 169 caelebrant *G* 171 Inquae *G* 172 Queq. *G* 179 dititum *G corr. P* 181 *vatem *deest in G*

151 *Iuvenc. II,* 203 repetit primordia vitae. 159 *Aen. II,* 1 Conticuere omnes intentique ora tenebant, *cfr. Fast. I,* 255. 161 *sq. Aldhelm. laud. virg.* 31 precibus pulsare tonantem; *Beda mir. Cuthbert. III,* 2. 167 *Aen. XII,* 77 Puniceis invecta rotis Aurora rubebit. 173 *cfr. Ecl. I,* 1 sub tegmine fagi; *Sedul. V,* 165 sub tegmine cocci; *Arator. II,* 551 sub tegmine tali. 174 *cfr. I,* 248; *Walahfr. Wettin.* 859 (*II.* 331) Laudibus interea domini iam rite peractis; *cfr. adn. ad V.G. V,* 98 *tom. II,* 431; *Gesta Apoll.* 458 (*II,* 497). *Aen. III,* 546 *sqq.* 182 *Met. VII,* 495 dextrasque dedere. 187 *cfr. I,* 47.

Precipitate moram', dixit 'vestrumque patronum
Hymnis ad propriam sedem portate canoris;
Ast ego sorte domum miram requiemque dicabo'.
Perrexere citi, pastoris iussa iubentis
Perfitiunt, onerant sacratis ossa canistris;
Optatis redeunt gaudenter callibus omnes.
Mox motis membris virtus non defuit ampla:
Sanati abscedunt diversis pestibus egri,
Languida membra diu optatam tenuere medelam.
Altithrono grates miracula tanta tuentes
Adstantes referunt et coeptum carpere callem
Disponunt. Sequitur vulgus seu turba pedestris,
Quaque ruit, sanctis devota mente ministris
Se iunxit alacrisque cucurrit: sexus uterque
Illius ardebant sancta virtute beari,
Dignis martyris ac meritis cupiunt benedici.
Qui feretri partem, sacrum qui tangere velum
Certabant, possint humeris quoque ferre beatum.
Luminibus, crucibus plures clarisque lucernis,
Partibus alternis properabant Christicolarum:
Civibus angelicis aequant ac sidera pulsant
Laudes turiferae nitido flagranter odore.
Quem validus morbus pressit vel languor iniquus
Aut quicunque diu vexatur peste gravante,
Si sacrum tetigit velum sanctumque feretrum,
Sanatis rediit membris ac sospite gressu,
Vera fides faveat si falso errore remoto.
Dum vehitur spatiis veloci corpus ab ipsis
Cursu, cuiusdam vici iam tecta petebant —
Vultibus at mesti properabant ecce parentes,
Gestantes ulnis caecato lumine natam:
Temporibus septem vocis dispendia muta
Senserat et membris iacuit defessa puella
Quamque triplex iugiter damnabat corpore languor.
Dum cupiunt natam sancti vel fila feretri
Tangere, caeruleis properans nox venerat alis.
Illic interea fessam sopor altus habebat;
Advenisse viros narrat splendente colore
Huc geminos, egram tali firmasse loquela:
'Ecce salus optata tibi, ne credere tardes,
Adveniet'. Sequitur medicina protinus illam:

---

191 *utrumque *G* 196 gallibus *G corr. P* 205 *beati *G* 206 *martyrii *G* 208 ferrae *G* 212 *turifero nitidos *G cfr. II,* 128 214 cuicumque *G corr. P* 220 *admesti *G* 221 lumine *G*

191 *cfr. I,* 159. 195 *Aen. VIII,* 180 onerantque canistris. 199 *cfr. II,* 58. 202 *Sedul. I,* 138 ac turba pedestris. 204 *cfr. II,* 138. 211 *cfr. I,* 690. 217 *Iuvenc. II,* 289 errore remoto. 222 *Iuvenc. I,* 81 miserae et dispendia vocis. 226 *Iuvenc. II,* 2 nox caerula; *Aen. VIII,* 369 Nox ruit et fuscis tellurem amplec- titur alis, *cfr. Aldhelm. laud. virg.* 628. 227 *Ge. IV,* 190 fessosque sopor suos occupat artus, *cfr. Aen. II,* 253.

Evigilans oculos, gressum linguamque tenebat.
Mox sanata deo laudes gratesque rependit,
Quod meritis vitae praesentis tempora longa
Martyris acciperet veteri languore fugato.
Nec tibi parva salus, mulier, medicante beato
Martyre, daemonii obvenit, qui pectoris antra
Iam dudum tenuit stringens, fugiente furore.
Dum traheris palmis geminis geminisque lacertis
Vinclatis, feretri possis quo tangere peplum,
Ne careas, demens, tanto languore, resultas —
Mitia dona tamen currebant ecce repente
Per sanctum Christi famulum: tangendo feretrum,
Spiritus infestus citius tua membra reliquid.
Inde viri variis laeti successibus aucti
Urbis iam Toronum fulgentia tecta subibant.
Hinc praesul promptus magna comitante caterva
Obvius amplifico meritis processit honore,
Urbem per mediam nitens perducere corpus:
Laudibus excelsis altus pulsatur Olympus.
En mulier trahitur duris constricta catenis,
Insimulata viri proprii pro morte nefanda,
Amissura cito caram de corpore vitam,
Auxilium dominus ni ferret forte misellae.
Martyris ecce pii cernens gestare feretrum,
Pervalido clamore boans, hanc pectore vocem
Rumpens: 'Ecce meas poenas nunc respice, clemens
Leudegar, miseram digneris solvere vinclis
Iniustis ac tolle minas auferque malignam,
Quae imminet iniuste damnatae nunc mihi, mortem.
Auxiliare, precor, veniam da audique rogantem:
Tendo meas, martyr, supplex ad sidera palmas'.
Talibus illa tonans lacrimis — nam lora repente
Dissiliunt collo, palmis cecidere catenae.
Opstipuere viri, tortores atque recedunt:
Hinc procul innocuam tandem liquere puellam,
Hoc populus factum crebro sermone frequentat.
Otia longa trahens animus torpendo tabescit,
Faucibus in mediis pigris compressa labellis
Lingua iacet, calamum digiti tractare venustum
Haut poterunt, oculi furvaque caligine mersi,

---

235 Martyres *G corr. P* 237 *couenit *G* 238 *stringes *G* 260 damnate *G* 264 *cedere *G* 265 recędunt *G*

233 *cfr. I,* 419. 236 *Sedul. IV,* 142 Nec tibi parva salus domino medicante, Maria. 237 *Iuvenc. I,* 624 Pectoris antra. 246 *Aen. VIII,* 359 ad tecta subibant; *Iuvenc. I,* 785 nam tecta subire. 247 *cfr. I,* 229. 250 *Aen. X,* 216 pulsabat Olympum, *cfr. Aldhelm. laud. virg.* 1537. 257 *cfr. I,* 624. 259 *Aen. X,* 451 Tolle minas. 262 *Aen. I,* 93 tendens ad sidera palmas; *Beda mir. Cuthbert. VIII,* 7 Expandit geminas supplex ad sidera palmas. 268 *Fort. V. M. III,* 2 Otia lenta trahens; *cfr. Walahfr. II,* 278, 18. 269 *cfr. I,* 37. 271 *Fort. V. M. II,* 38 oculum tetra caligine mersum.

Flatibus aucta nimis terrenis mens manet ipsa.
Excute torporem, segnem depelle teporem:
Offitium digiti solitum vel lingua loquelam,
Da, deus, ut captent; spiramina nota recurrant
Per venas, ructent praecordia carmina sacra.
Non canimus pugnas acres aut triste duellum
Haectoris infausti pariterque inmitis Achilli,
Quando Argiva manus regnum destruxit avitum
Pergameum, diro maculatas sanguine taedas
Vel canimus, gemino statuunt quas carpere ferro
Turnus et Aeneas (falsos duxisse Penates
Qui fertur, Latii tenuit dum regna Latinus):
Sed potius canimus sanctorum sacra trophea,
Sanguine qui proprio stabilem mercantur honorem.
Martyris intermissa diu miracula narrem,
Qui geminos propero cursu curavit egenos.
Claudus erat plantis, multis lassatus ab annis,
Pigrior atque diu marcescens, calle negato
Nec valuit pedibus dilectum carpere gressum.
Advectum sanctum supplex in vota vocavit:
Optatam meruit gaudens plantis meditinam.
Accelerans mulier morbo vexata maligno
Deformes digitis curvis ad sydera palmas
Protendit: 'Manibus mediis nunc, aspice martyr,
Ungula stat misere totiens infixa per artus
Qualiter et membris cunctis augere dolorem
Non cessat: nocuum citius decedere pestem
Da, medicus Christi, da iam fomenta salutis'.
Continuo pestis maculans cum voce recessit,
Luridus atque color vadens sicca ossa reliquid:
Prisca redit manibus Christi de munere virtus.
Presul ut audivit comitum properasse catervam
Ad villam quandam propria ditione dicatam,
Obvius, ut populo defesso alimenta ministrent,
Ansoaldus amore pio direxit alumnos.
'Ite', ait, 'et populo dapibus succurrite lasso;
Sint epulae cunctis largae, sit copia panis;
Dilitias prebete simul clarumque Lieum,
Quo corpus sanctum fas sit perferre citatim.'
Laetificata bonis tantis iam turba quievit.
Sed stupidam cunctis rem gesserat arbiter altus:

---

274 linguae *G corr. P* 276 uenias *G corr. P* 277 pugna sacras *G corr. P* 281 caminus *G corr. P* 283 *Latii] latus *G* 291 *Aduectūs *G* 301 osso *G corr. P* 308 aepulae *G*

274 *Sedul. IV,* 63 lingua loquelas. 277 *Aen. I,* 30 immitis Achilli. 279 *Aen. VII,* 794 Argivaque pubes | Auruncaeque manus; *Ge. III,* 228 regnis excessit avitis. 283 *Decastich. in Aen. VII,* 5 (*ed. R.* 5) Ad regem mittit Latii tum forte Latinum. 289 *Arator. II,* 26 calle negato. 291 *cfr. I,* 249. 294 *cfr. II,* 262. 300 *Cul.* 384 cum voce recessit. 301 *cfr. I,* 715. 307 *Aen. XI,* 24 Ite, ait.

Ille liquor duplis iterum remeaverat undis,
Dulcia musta madent perque et sua vascula crescunt.
Nec claustris contenta suis, iam vina per arva
Larga fluunt, rivis planum maduit pavimentum;
Additur et singno signum, miracula miris.
Inde petunt vicum veloci calle viando,
Quem iuxta fluvius vasto sub gurgite tranat.
Hunc adiit fluvium gaudenter turba pedestris,
(Vincenna et fluvius vocitatur, Sannona vicus):
Ecce minax tumuit vento stridente procella
Ac per terga freti furiis agitata cucurrit,
Turbidus et pontus undis incanduit atris,
Auras ad superas Nothus volvebat arenas,
Nec iteris spatium patuit nec apta carinis
Fluctibus in mediis via. Navita: 'Cernitis', inquid
'Personat e speculis (magno se murmure miscent
Et venti, pariterque parant confligere telis
Inque vicem pugnis contendunt Eurus et Auster),
Montibus e summis undarum personat echo.
His ripis satius rapidum conpescere gressum,
Quam tumidis navi fracta submergier undis:
Tandem desinite infidis vos credere ventis'.
At pater intrepidus, rerum cui credita cura est:
'Haec vada nempe deus poterit conpescere', dixit,
'Qui quondam ponti minitans confregerat iram:
"Tu, mare, cede loco tumidique silescite venti" —
Prisca quies rediit, cessavit cerula ponti.
Ipse etiam poterit commotos sternere fluctus:
Mergite fidentes puppim, submittite corpus'.
His gestis cecidere minae turbansque procella,
Inmitis conversa in mitem limpha quievit.
Huc mulier peregrina suo cum pignore caeco
Accessit cupiens nato captare salutem,
Excubiis precibusque simul, quo nocte sub ipsa
Martyris almifici medicantia membra quierunt,
Pernoctans: solita remearunt dona salute;
Sicque diu clausae reserantur fronte fenestrae,
Exultat genetrix tantis ditata medelis.

314 mandent *G corr. P* 315 *una *G* 316 pauimtum R *G* 321 *sannonavicus *G* Sannonavius *PP*[1] 322 *uente *G* 327 *uana uita cernitis *G* 337 *mundans *G cfr. Marc.* 4, 39 339 *nolim corrigas* cessarunt, *sed* cerula, -ae *adde metaplasmis p.* 3 *adn.* 3 340 fluctos *G* 341 *pergite *G* 349 clause *G*

314 *Ge. I,* 295 dulcis musti. 316 *cfr. Ge. I,* 132. 318 *cfr. I,* 153. 319 *cfr. I,* 502. 320 *cfr. II,* 202. 321 *Bolland. l. c.* 484 *qq.* '*Vigenna flurius* (*in textu habetur* Vincenna) *Gallice la Vienne oritur in Lemovicensi Galliae pror. fluensque per Pictariensem ducatum tandem in Ligerim . . . se exonerat. Vicus nomine Sannon* (*in textu:* in vico Sannone vocabulo) *verosimillime ille est qui hodie Gallice Senon dicitur quique in agro Pictariensi ad confluentem fluviorum Clanii (le Clain) et Vigennae situs est.*' 323 *Aen. III,* 331 furiis agitatus. 324 *Arator. II,* 1072 Rupta quies pelagi tumidisque incanduit undis. 328 *cfr. Aen. I,* 124. 339 *Sedul. III,* 219 sub caerula ponti. 343 *cfr. ib. I,* 132. 349 *cfr. I,* 423.

Iam suspensa diu presul sua vota meretur:
Comperit adventum celeris propiasse catervae.
Obvius ipse sua tandem de sede propinquat;
Quocum perplures proceres comitantur heriles.
Clericus ordo simul, monachorum examine pompa,
Pleps, vulgus, pauper, mixtus vel sexus uterque
Cum crucibus rutilis, claris, cum ture, lucernis:
Nubila cuncta tonant sursum, simul arva tremescunt.
Quisque alium certat rapido precurrere calle,
Cornua qui feretri tangat, qui fimbria pepli,
Qui subigat scapulis pondus, qui magna talenta
Ferre queat. Demum suscepto pignore tanto
Pictavem praesul laetus perrexit ad urbem.
Huc etiam venit mulier, quae corpore toto
Curvatis nervis spectabat cernua terram
Nec poterat sursum annoso languore coacta
Cervicem flexam, proprium vel tollere vultum.
'Et mihi, qui multis, martyr, concede salutem.
Largiris virtute dei' dixit. Resoluta
Corporeis poenis clarum reminiscitur orbem
Mox solis, domino laudes gratesque rependit.
Gressibus inde petunt laetis sanctam Radegundem,
Quae meritis fulget sacris super aethera nota.
Hic iacuit iuvenis diro torquente dolore
Ignavus, gelidus, totis membrisque solutis:
Martyris et meritis surrexit hic quoque sanus,
Protinus agminibus sospes comes additur illis
Prosperiore via populis. Iam tecta subibant
Doctiloqui vatis — quondam qui scismate saevo
Hilarius propriis fuerat depulsus ab oris,
Falsa pio doctor verbo dum dogmata damnat,
Arrius infelix quae sparsit partibus orbis.
Lis fuerat talis quoniam haec orta duobus,
Hilarius talem doctrinam pandit ab ore:
'Terna manet persona, deo substantia simplex',
Arrius ad ternas ternam coniunxit usiam —.
Hic binos bino medicans languore repulso:
Vir gelido iacuit stratis sub corpore segnis,
Luminibus fraudata diu sub nocte puella.
Ipsa puella sacram posthaec permansit ad aram,

352 propriasse *G corr. P* 378 *subibat *G* 382 que *G* 387 repulso R *G* 389 noctę *G* 390 *per haec *G*

354 *cfr. Aen. VIII,* 462. 356 *cfr. II,* 138. 360 *Aldhelm. laud. virg.* 1792 fimbria pepli. 365 *Sedul. III,* 200 incurva caducis | vultibus et solam despectans cernua terram. 366 *Arator. II,* 173 Annoso languore. 370 *sq. Sedul. III,* 204 Cernit et ardentem solis reminiscitur orbem. 371 *cfr. I,* 419. 373 *cfr. Aldh. l. v.* 712. 378 *cfr. II,* 246. 379 *sq. Fast. I,* 489 qui quondam pulsus ab oris. 380 *sqq. cfr. p.* 2; *Sedul. I,* 300 *et Fort. (personat.) II,* 15, 12 Arrius infelix, *cfr. Aldh. laud. virg.* 971 *sq.*; *Aen. XII,* 708 partibus orbis. 385 *Arat. I,* 157 Hunc numerum deus unus habet, substantia simplex | personis distincta tribus, *cfr. ibid. I,* 917 *sqq. II,* 901 *sq. et Aldh. laud. virg.* 38.

Offitiis intenta piis, dum vita manebat,
Martyris et tumulum magno celebravit honore.
Martyr amat placidam membris captare quietem
Et statione frui, dudum quo rexerat agmen.
— Iam tandem, praesul, (nec linquas vota mereri)
Perge celer populi magno comitante triumpho,
Cornibus ipse humeros supplex subnecte feretri:
Exspectant patrem monachi remeare priorem,
Sedibus et placidis spectat Maxentius almus
Ac secum refovere cupit iam membra beata. —
Pontificis scapulis martyr subvectus abibat.
Dum spatiis largis numerosum occurrit ovile,
Quis alimenta prius sacrato dogmate praebet,
Suscepitque patrem monachorum laeta phalanges.
His igitur populis tantis admixta meabat
Femina, seminecem tristis sup pectore natum
(Huic flatus modicus tantum sub gutture mansit)
Gesserat, a lacrimis oculos perfusa tenebat.
Vociferans genitrix supplex clamore peralto:
'Redde mihi natum solum, quia gesto cadaver:
Cerne infelicem matrem nec iam modo matrem:
Mors et ego inter nos pugnis confligimus', inquid.
'Haec tenebris furibunda meum vult condere natum:
Tu clemens concede iterum resipiscere, martyr,
Aut pariter coram capiat nos terra dehiscens,
Bassia nec potero dilecti linquere nati'.
Ecce repente puer gracili cum voce respondit:
'Dic, ubi sis, mater; mater, me suscipe natum'.
'Adsum', mater ait, 'fili carissime'. Matri
Gaudia magna tulit geniti pro munere tanto:
Laetificata redit genitrix cum pignore sano.
Luscus adit quidam feretrum cum coniuge caeca:
Vir gestans oculum solum sub fronte serena,
Coniunx ambobus caruit, quam fune maritus
Ingratus toties tardo sub calle regebat;
Credula corde tamen mulier, quod reddere possit
Amissum lumen martyr, sed vir dubitavit.
Vir dubius caruit posthaec sed lumine solo,
Ambobus mulier meritis donata recessit:
Sic infidus abit caecus cernensque fidelis.
Nec sileam, quae sint miracula facta beati
Maxenti septis. Monachorum haec agmina promta
Obvius ire parant patri dum, namque puella

---

395 *morari *G cfr. II*, 351 415 parit *G corr. P* 421 laetifica *G corr. P*^{2} 423 *serenum *G* 431 que *G*

391 *Fort. C. VII*, 9. 1 Officiis intente piis; *e. g. Aen. VI*, 608 dum vita manebat. 393 *cfr. Aen. I*, 691. 410 *Sedul. III*, 303 Redde mihi. 411 *Sedul. II*, 125 infelix mater nec iam modo mater. 412 *cfr. II*, 330. 415 *Aen. X*, 675 aut .. ima dehiscat | terra mihi. 423 *cfr. I*, 417. 433 *Aen. X*, 770 Obvius ire parat.

Offitio cessante iacens tardata quotannis
Membrorum, nomen sancti rumore frequenti
Expressum ut primum patulis simul auribus hausit.
Protinus una manus proprio redeunte vigore,
Pos ternos soles corpus veniente beato
Iam totum meruit solita gaudere salute.
Gaudia magna tuis, martyr spectate, reportas:
Te veniente salus penetrans optata per omnes
Percurrit, nullus poterat consistere languor.
Ut primum tetigit veniens sacer atria sacra,
Capta oculis mulier splendenti reddita luci est:
Et puer infestus, quem vexat daemonis ardor,
Femina hic etiam simili iactata furore,
Evomuere virus foedum cum sanguinis unda:
Annos per plures superat victura iuventa.
Cuncta quis expediet calamo? sed singula carptim
Nunc placet, ut tangam descripta ex ordine signa,
Quae gessit virtute dei iam redditus astris.
Unius horae spatium stat corpus in altum;
Percussor mediis flammis iniectus anhelat;
Cernitur in medio noctis lanterna refulgens;
Custodis raptor rapuit res arte maligna:
Fur mortem dominusque luit, sed reddita res est;
Morte obiit, pedibus, saeva, qui perculit urnam;
Auctorem gladius vita spoliavit et armis;
Oppressit litemque latenter epistola sumpta:
Morbida septennis lumen linguamque recepit;
Spiritus infestus mulieris membra reliquid;
Morte caret coniunx falsa pro morte mariti;
Claudus abit plantis multis lassatus ab annis;
Femina curvatis digitis sanata revixit;
Ecce liquor duplis iterum remeaverat undis;
Martyris adventu turbata procella quievit;
Et nato lumen meruit paupercula mater;
Cernua iam mulier solis reminiscitur orbem.
Solvitur et iuvenis diro torquente dolore;
Curantur bini gelido sub corpore: pauper,
Luminibus fraudata diu sub nocte puella;
Seminecem meruit puerum iam vivere mater;
Sic infidus abit caecus cernensque fidelis;
Corpore sic toto gaudet solidata puella;
Capta oculis mulier splendenti reddita luci;

---

437 uigore I rigore *G* 452 ore *G corr. P cetera mirus.* 460 septenis *G*

436 *cfr. Aen. IV,* 359. 451 *cfr. II,* 4. 452 *cfr. I,* 713 *sqq.* 453 *cfr. I,* 722. 454 *cfr. II,* 15. 455 *cfr. II,* 29 *sqq.* 457 *cfr. II,* 87 *sqq.* 458 *cfr. II,* 119. 459 *cfr. II,* 171 *sqq.* 460 *cfr. II,* 222—232. 461 *cfr. II,* 244. 462 *cfr. II,* 251 *sqq.* 463 *cfr. II,* 288. 464 *cfr. II.* 294 *sqq.* 465 *cfr. II,* 313. 466 *cfr. II,* 322 *sqq.* 467 *cfr. II,* 344 *sqq.* 468 *cfr. II,* 370. 469 *cfr. II,* 374 *sqq.* 470 *sq. cfr. II,* 387 *sqq.* 472 *cfr. II,* 406 *sqq.* 473 = *II,* 430. 474 *cfr. II,* 433 *sqq.* 475 *cfr. II,* 444.

Est puer ereptus, quem vexat demonis ardor;
Femina hic etiam simila iactata furore.
Gurgite de pelagi guttatim carpsimus ista,
Preterita ingenio gracili sed plurima restant.
Scrutari poterit miracula cuncta relatu
Quis, quamvis docili sensatus polleat arte,
Quae domini famulus rutila virtute peregit?:
Ad tumulum laeti calamum vertamus amoenum.
Sedibus ipsa suis tandem sunt ossa relata
Ecclesiaeque sinu pulchro tumulata sepulchro;
Ymnidicoque choro resonant hinc inde frequentes
Clericus et monachus, pariter iuvenisque senexque,
Obsequiis devotus adest maiorque minorque,
Donec cuncta dei famulo sunt rite peracta.
Pollet aecclesiae facies variante figura,
Parietibus distincta suis a fronte quaternis,
Planius in longum muris producta gemellis
Posthaec arte manet populo fabricata decora;
Subter cripta sinu sacratam continet aram;
Postibus e summis gradibus spatiatur ad illam,
Inde iterum scalis ad summas scanditur aedes:
Illic ara nitet fulvo constructa metallo,
Continet haec gremio sacro veneranda talenta:
Permeat inter has aras solidum pavimentum;
Hic requiem iuxta placidis Maxentius almus
Aedibus accepit servatque palatia sacra;
Pervius has una coniungens porticus aulas,
Quo monachi sacris recinunt concentibus ymnum.
Hoc tibi, magne pater, devotus defero munus:
Haec duo namque tuus famulus tibi porrigit aera.
Magna queunt alii thesauris ferre talenta
Inque tuas aurum, gemmas transfundere gazas,
Argenti pondus, pollent qui divite censu,
Quamvis frigidiora tegat praecordia sanguis.
Te tamen ardenti studio vult mens mea semper
Teque libens veneror, supplex tua numina posco
Meque tui iuris famulum, domine, esse fatebor:
Auxiliis solitis, martyr, me protege semper.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

---

485 quę *G* 486 quae *G* 495 illā R *G* 497 metalla *G* 502 coniunges *G corr. P*

476 *cfr. II,* 445. 477 = *II,* 446. 487 *cfr. I,* 123. 488 *cfr. I,* 316. 489 *cfr. II,* 174. 490 *sqq. cfr. p.* 3. 495 *Aen. IV,* 62 spatiatur ad aras. 503 *cfr. I,* 189. 504 *Arator. prol. II,* 27 Hoc tibi, magne pater, cum defero munus amoris. 505 *cfr. Luc.* 21. 2. 508 *Aen. I,* 359 argenti pondus. 509 *cfr. Aen. X,* 452.

PASCHASII RADBERTI CARMINA.

Radbertus[1] *matre a partu decedente*[2] *lucem adspexit: ambigendum est quo anno*[3] *et ubi loci*[4]. *In gremio sanctimonialium B. Mariae Suessionensis coenobi educatus et tonsus*[5] *inter Corbeiae Ambianensis monachos adscitur quantum suspicari licet Adalhardo*

---

1) *Duplicem cum soleo tum hic studebam exercere ἐποχήν et temerariae in quaerendo fiduciae et supervacuae in exponendo redarguendove loquacitatis. At canona iurat adponere quem computarunt de Radberti vita quasi Apollodoreum: natus intra annos 785 et 795, monachus fit* longe diu in saeculo exsulatus *ante 812, abbas est ab 844 ad 851 usque, moritur 865.* 2) *Cfr. Engelmod. III, 69 sqq.* 3) *Canonis ratio (adn. 1) in eo est posita quod ante annum 812* longe diu in saeculo exsulatus *Corbeiae monachus fit et obit 865. Ante annum 812 quod fit monachus, potest esse neque tamen idcirco, quia ut aiunt Adalhardo suadente huc adducitur. Nam neque Radbertus ipse ut ponunt hoc adfirmavit et Gualdo s. XI. Corbeiensis monachus, cuius ex testimonio adfirmat Mabilio (e. g. A.SS. saec. IV, 2, 123), cum diceret V. Ansk. prol. (ib. p. 115) v. 20:* hic tibi Paschasium genuit *(sc. Adalhardus), eorum accipiebat sententiam qui censebant eum cum Adalhardo ex Italia renisse (cfr. anonym. Corb. s. XI. sive XII. ibid. p. 569, c. 5). Qui error nescio an ortus sit cum legeretur alicubi Radbertum natione Romanum i. e. Romanensem fuisse. Catalogus vero monachorum Corbeiensium nuperrime in libro confraternitat. Augiensis. p. 289 editus, in quo Ratberti nomen bis legimus 451, 7 et 15, nequaquam ut Piper exsequitur compositus est ante 814, cum etiam Walae nomen obferat: immo ut mihi quidem ridetur, si tamen in tali fortasse contaminato quoque teste ex silentio licet coniecturam facere, quoniam Hildemani desideramus memoriam (de quo scite Mab. saec. IV, 1, 597), post 821. Contra Anskerus quod legitur 454, 13 (cfr. 452, 20, sed hic potest alius esse) non mirum, cum Rimbertus aut falsus de eo aut parum recte iudicatus V. Ansk. ed. Waitz. p. 26, c. 6; nam cfr. eundem ibid. 27, 7 (ubi Ansk. a Wala nominatur monachus Corbeiae veteris) et Simson. I, 264, 1 et II, 272, cui iam cur deesset in catal. Corb. ap. Iaffé. 67 scrupulus haesit, cum Waitzius l. c. et Dehio (cfr. ibid.), qui Gislemarum quoque et Witmarum Novae Corbeiae putat monachos, errore teneantur. Quod si recte significari, concludendum est Warinum, cum in Piperi catalogo non commemoretur, brevi postquam in veteris Corbeiae monasterium est susceptus novae factum abbatem, quicum cfr. transl. S. Viti ed. Iaffé. p. 12. Nam Odonem et Ratramnum, quorum item nulla fit mentio, in catalogo ante 826 composito nemo requiret; de Harberto et Autberto, qui et ipsi non enumerantur, nihil certum habemus ut nobis vel possint deesse vel adparere. — Neque, ut ad canona redeamus, longe* diu in saeculo exsulatus *fit monachus, quem ad modum scribunt Mabilionem secuti saec. IV, 2, 123, sed monachus factus et abbas quoque* longe diu in saeculo exsulatur. *Revolvatur enim locus ille ex quo Radbertum haec verba facientem fingunt (est in psalm. XLIV lib. III p. 1282 ed. Sirm.) et conferatur cum Matth. comm. V p. 385, ibid. IX p. 779 et seq., de caritat. ed. Mart. p. 543, in psalm. lib. I p. 1225. Nec denique obiit 865, cfr. p. 39 adn. 8.* 4) *Probabiliter Mabilio saec. IV, 2 p. 122 'natus est Radbertus in pago Suessionico aut forsan in ipsa urbe'.* 5) *In psalm. l. c. p. 1282, cfr. Engelmod. III, 58.*

abbate[1]. *Hinc anno 822 in Germaniam digressus eius legationis particeps*[2], *cuius opera novam in Saxonia Corbeiam construxit Ludowicus imperator. Postea quam per longum tempus in re publica est versatus*[3], *praefuit pristinae Corbeiae ab Adalhardo illo quartus abbas*[4]. *Tamen munus cum decem, ubi plurimum, annos sustinuisset, ante annum 853*[5] *abdicavit,* ut totum se referret ad studia *theologiae*[6] *et philosophiae,* quae inter varios rerum saecularium anfractus abiecerat[7]. *Quo in otio quantum tempus fato ei obtigerit prorsus nescimus: at conicere mihi ex re videor in pestilentiam saltem anni 856 incidisse senectutem*[8]. *Obiit a. d. VI. Kal. Mai*[9].

---

1) *Coniciunt Adalhardo 781 regimen mandatum esse, cfr. Enck. de S. Adalhardo diss. Monaster. 1873 p. 9.* 2) *Cfr. V. Walae I, 14 ed. Mab. 476 et Simson. II, 266 sqq.* 3) *Cfr. V. W. II passim et Rodenberg. die vita Walae Gotting. diss. 1877 p. 6 sqq.. Radbertus se ipse ib. II, 15* inremotum Walae comitem *appellat.* 4) *Cfr. nomina pastorum priscae Corbeiae ap. Guérard. polypt. de l'abb. Irminon Paris. 1844 II, 339.* 5) *'Tempus initi a Paschasio regiminis annum 844 signat Chronicon Corbeiense manu scriptum'; '(Odo) magistro suo (Paschasio) successit anno 851'. Haec Mabilio (saec. IV, 2 125 et 127); sed ex quonam Chronico Corbeiensi? An ex catalogo quem ad Adalhardi ritam adhibens saec. IV, 1, 307 (cfr. 455) sic descripserat: 'exstat in retusto codice membranaceo catalogus abbatum eius loci (Corbeiae veteris), definiens in Ratoldo Abbate, cui alii abbates secunda manu additi leguntur'? At in hoc catalogo a Guérard. l. c. divulgato — nam cfr. Guérard.: 'nomina quae sequuntur (sc. inde a Ratoldo) non manu eadem neque eiusdem antiquitatis scripta sunt' — anni non adduntur. Neque alter 'retustus Abbatum Corbeiensium catalogus' (saec. IV, 1, 133) quidquam videtur nisi modo adlati continuatio. Et distinguit Mabilio inter catalogum et chronicon manuscriptum: chronica autem duo adibat — 'recentius' enim 'chronicon ms.' (1, 307) non norum puto testem — et Antonii de Caudincurte (saec. IV, 2, 122; 133) et Iacobi Baronis (1, 454 sq.) s. XVI. scriptorum. Ex his duobus alter ater numeros si meditatus adscripsit, sic iuverat, ut binos annos adderet ultimae a se inventae Isaac abbatis commemorationi, subtraheret Odonis abbatis primae. Nos nihil habemus pro comperto praeterquam quod de Isaac Radberti decessore ut abbate mentio incidit in quodam Karoli Calvi diplomate 842 (cuius fides est apud unum Mab. Annal. II, 632), Radbertus abbas interfuit concilio Parisino 847 (Mansi XIV, 847 cfr. Fulconem in Gall. Christ. X instrum. 286 D) et 849 Carisiaco (Hincmar. de praedest. 2, p. 21 ed. Sirm.), Odo Radberti sucessor abbas subscripsit 853 Suessionensi (Mansi l. c. 982). De abdicationis causis recte opinor Mab. saec. IV, 2, 127 et Annal. III, 13 sq.* 6) *Ne pereat utilis ut mihi videtur libelli notitia, memoro F. Sardemann. der theolog. Lehrgehalt d. Schr. d. P.R Marburg. 1877 locos ut ipse ait collegisse, quibus quae de summis rebus cogitasset Radbertus adpareret.* 7) *In psalm. 44 p. 1225 ed. Sirm.* 8) *Nil si quaeris ex canone certius quam 865 mortuum esse Radbertum. Quem errorem peperit Mab. (nondum in A.SS. saec. IV, 2, 126, ubi ipsi non decessisse ante 860 videtur) in annal. III, 118 sq., ubi ad 865 '(obitus) vix ante hunc annum contingere potuit, ut ex eis quae de eo superius diximus facile intelligitur'. Dixerat autem superius (p. 61) loco nisus commentari in Ierem. threnos scripti IV, 1506 ed. Sirm. Radbertum Parisios iterum a Nortmannis occupatos i. e. annum 857 significasse et (p. 66) librum XI quo interpretatur Matthaei euangelium anno 858 scripsisse, postea quoque respondisse Frudegardo. Sed haec omnia, nisi quod re vera epistola ad Frudegardum missa est commentario perfecto, vanissime sunt excogitata. In threnorum enim commentario cum dicat Radbertus:* Quis unquam quaeso crederet quod latrones promiscuae gentis unquam talia auderent vel quis aestimare potuisset quod tam gloriosum regnum .... talium hominum humiliari vel foedari sordibus deberet? Et non dico hi quod censum plurimum asportare et praedas diripere vel captivos transducere : verum quis credere posset quod tam vilissimi nostros adire fines auderent? Fateor enim, ut ne *(sic Sirmond.;* ne *om. Mab. ann. III, 60 et Basilean. 1502)* aestimem (*ego, edd.* aestimo) non longe retro, quod nullus ex regibus terrae ista cogitaret neque ullus habitator nostri orbis audire potuisset, quod Parisium nostrum hostis intraret, *quis unquam quaeso, respondemus, crederet, talia potuisse referri ad annum 857 cum apertissime ad 845 pertinerent. Et tergiversatur prorsus Mabilio saec. IV, 2, 128, ut secundam incursionem a Nortmannis in Parisiorum fines factam interpretandam esse studeat evincere. Scripti*

Carmina[1] *Radperti supersunt nobis quattuor: eglogam*[2] *enim, quam subditivam numerant*[3]*, infra ei adiudicabo. Neque quo quodque anno ortum sit ad digerendum est difficile.*

Ac scriptum quidem de sanguine et corpore domini Wala exule[4] *i. e. intra 831 et 833 annum se dedisse ad Warinum Novae Corbeiae abbatem dilucide indicat dum praefatur; dilucide quoque ibidem cum dicit prologo metrico (carm. III):*

Regis adire sacrae qui vis sollemnia mensae, . .
Bachia nostra velim, puero quae misimus olim,
Et niveos casto condas in pectore flores, . .
Unde puer possit saltim restinguere sitim . .
Libertas etenim Fidei numquam abnegat ulli
Eximios vitae fructus . . . ,

hoc dicit: prius eius libri doctrina inbutus sis oportet quem ante tibi misimus quam ad hoc opus eucharisticum accedas; Fides praelucebit, qua itur ad Christum. Manserunt nobis nivei flores: habemus praemissum librum. Quin ipsum Radbertum audiamus Camenam invocantem:

Dic, nivei flores quo vernant cespite fosso,
Bucolicosque relinque favos, sublimia carpe.

Verba sunt ex prologo, quem adfixit òperi Warino abbati de fide spe et caritate inscripto. De fide[5] *igitur disseruerat ante annum 833 et post 826, quo cum Adalhardus mortuus esset abbas eligebatur Warinus. Sed Camena, cur dicit, relinquat favos Bucolicos? An quasi pastorali muneri soli faveat? Hercle negasset: faverat ipse interdum Radbertus.*

---

igitur sunt in threnos commentarii non multo post 845 — nam continuo sunt tenore scripti et simul editi — neque quidquam obstat, quominus Radberto etiam tunc abbate scriptos esse censeamus: nempe quod in operis primordio monachorum se omnium peripsema *ut solebat adpellat, neque abbatem se esse necessarium erat docere Odilmannum sodalem et apte potest conferri liber de corpore Christi, quem, dum praeest Corbeiae abbas, scimus eum obtulisse Karolo Calvo eadem usum inscriptione. In Matth. tamen commentario, quem constat inde a quinto libro, non a nono quod ait Mabilio, editum esse postquam regimen abdicavit et explicuit threnos (Matth. X p. 934 adlegat ad thren. II, 1364), XI, 981* Et tamen .. nondum est finis . Licet insurgant barbari in nos et nemo est qui auxilium ferat, quia civiles invicem magis saeviunt insidiae et strages .... Quibus omnibus fames ac lues praecesserunt et omnis pestilentia rerum, *cum aliquanto spatio post 843 et 845 interiecto sint scripta, non male mihi videor ea rettulisse ad anni 856* pestilentiam validam, qua magna pars hominum absumitur *(annal. Bertin. ad h. a.).* 9) *Cfr. Guérard. l. c. p. 337 et 339.*

1) *Trithemio sublestissimae fidei auctore (ed. Fabr. p. 76) 'metro scripsit non pauca'.* 2) *Sic scribam et edam ex codice P, de quo p. 44. Quo more cum iam antiquitus exaratum sit (cfr. Schuchardt. I, 124), tum quod medi aevi grammaticis ab 'egle' sive 'ege i. e. capra' vox videbatur originem ducere (cfr. Theodul. ed. Beck. Sangerhus. 1836 p. 8 Thurot. in notices et extraits XXII, 110 et 429 Maium auct. class. VIII, 191 et 193), volgarem fuisse scripturam patet, cfr. e. g. Vossian. Ausoni s. IX Schenkl. p. 9 et Porphyrionis Monac. s. X ap. Meyer. p. 199.* 3) *Praeter Polycarpum Leyser. hist. poet. med. aevi p. 242 et Wernsdorf. poet. lat. min. II, p. XII.* 4) *Primus perspexit Mabilio saec. IV, 1, 453 sq.* 5) *De fide dico, nam sensim coaluit opus quod inscribere solemus de fide spe et caritate, ut certe de caritate non prius ediderit quam abbas esse desiit; recte hac in re hist. lit. d. l. Fr. V, 306 sq. Quod adnotant ad 843 annales Corbeiae (Leibn. script. Brunsvic. II, 296):* Preratbertus lector eximium librum scripsit de fide spe et caritate, *hoc solum sufficit ad coarguendam Paullini perfidiam. Nam adulteratum est inscriptionis instar Norae Corbeiae codicis de f. sp. et c. (cfr. p. 44), ubi post prologum (c. II):* Preradbertus Warino salutem.

Sequitur in codicibus vitam Adalhardi utriusque Corbeiae abbatis ab eo primis anni 826 mensibus narratam[1] *egloga quaedam, utroque opere ita inter se conexo et indiscreto, ut si vitam discideris eglogam non possis intellegere, vita illa prosopopoearum*[2] *plena et ardoris efficacis quae epithalamium potius posteris visa sit quam epitaphium, modo eglogam legeris post eam, idonee finiatur dum etiam metro poeticum ad stilum accedente e fictis personarum perorationibus trahitur adfectus*[3]. *At Radperti ingenium non aequat, immo ut quidam ait eo indigna est egloga. Quonam modo, amabo, mortui hominis ingenium quantum litteris praestiterit perspiciemus? Ex scriptis eius opinor et poeticum ingenium ni fallor ex poematibus. Ergo conparanda Radberti cum soluta oratione scripta tum versus.*

Amabat fictis nominibus ludere[4]*: ut Warinum adpellabat Placidium, Severum Odilmannum, Adalhardum Antonium, Arsenium Walam, ipse malebat Paschasius audire. Personae quoque in eglogam Fillis et Galathea introducuntur senis cuiusdam — nomen reticetur — querelis alternis mortem flentes. Hanc esse Corbeiam Novam, Veterem illam adumbratur tantum; senex, ut hoc in transcursu memorem, qui sit nisi lecta prius vita nemo videbit.*

Porro praeter conformationes et apostrophas quibus viget vita Adalhardi veri

---

1) *Scripta esse dicitur intra annum 826 et 836 i. e. post Adalhardi et ante Walae obitus. Potest tamen adcuratius definiri, cum severe interpretamur V. A. 86 p. 339 ed. Mab. et acriter distinguimus inter verba ad Corbeias matrem i. e. Veterem et virginem i. e. Novam prolata. Quod ni facimus, totum perit Paschasiani orationis lumen; mecum si interpretatus eris, iam clarum fiet verba chartae esse dedita dum Wala adfectat Novae Corbeiae abbatiolam (removeas enim Simsonis dubia II, 274, 2 de verbis translat. S. Viti ed. Iaf. p. 12), immo tam clarum ut ne hoc quidem contra rationem videatur esse, quod dico V. A. 32, 321* qui ei successit postea monachorum pater eximius *et 35, 322* quem postea post decessum fratris vice Christi gaudens sibi exsultat patrem habere *interpolata esse, interpolata ab ipso Radberto Wala electo Veteris Corbeiae abbate. Neque adloquendae tantum bene discerni debent neque detectum ritium est solum, sed caute quoque quis* ille, *quis* hic *Radberto sit p. 339 sq. disceptes; iam mendum e. g. demes in verbis:* Iste namque est carissima mater fratrum amator et populi Israel. Hic (*leg.* ille) qui multum orat pro suis caritate perpetuus. Hic qui *(del.* hic qui *nere interpungas graviter)* iugis ut credo intercessor erit pro civibus. Ille *ubicunque est Adalhardus*, hic *et* iste *Wala; Wala est Iosue, Moyses Adalhardus. Quod ita a nobis demonstratum est, simplicissime declarat cur eglogam Nova Corbeia et exordiatur et finiat et prae matre Corbeia nimio paene honore adficiatur. Nempe Radberto 'abbas mortuus est, vivat abbas'; Wala autem praeferebat Corbeiam Saxonicam. Abbatis electio in hoc monasterio non dubito quin successerit Gallicae Corbeiae electioni, sed miror quod Warinus, qui, id quod Iaffé ad calculos revocarat, a. d. VI. Kal. Mai. renuntiatus est, nondum memoratur in Ludowici et Lothari diplomate dato a. d. XII. Kal. Iul. Sickel. act. L. 242. Vitae igitur et eglogae componendis relinquuntur vix quattuor menses. Eglogam aliquanto post Adalhardi mortem scriptam esse adfirmare, quippe qua celebrati sint Corbeiae Novae splendidi progressus, praetermittentis est ea quae Simson. II, 270 sq. collegit. Ante Adalhardi vitam Radbertus potest scripsisse in Matthaeum commentarios I—IV, quos e prologis patet et ex codicibus quibus seorsim traduntur (cfr. Delisle, bibl. d. l'éc. d. ch. I. tom. V. sér. p. 504) prius emissos esse quam V—XII: certe in libro de fide c. IX adlegat ad commentar. II.* 2) *Cfr. adn. 1 et 5, 309; 35, 322; 83, 338. Ne mihi obiciant, quod ipse Radbertus V. A. 4, 309* Neque, *ait,* more quorundam censeo pueros hinc inde super tumulum constituere, qui tuas fingendo laudes debeant decantare: *nam Corbeiarum personae altiore in loco Radberto positae pueris et iam in vitam inductae sunt.* 3) *Ut Agius quoque Hathumodae vitae continuo subiungi voluit dialogum, quo elegis se et Gandersheimenses sorores plangentes illam fingebat SS. IV, 176.* 4) *De consilio vitae Walae pseudonyma omisi.*

dialogi exemplum dedit Radbertus Walae vita Ciceronem secutus[1]*: a Vergilio*[2] *mutuatus in simili re poeta effinxit eglogam.*

Addo quod Radbertus priorum scriptorum locos ubicunque eosdem adhibendo proterere solet et decantare[3]*. Veluti quasi adsignabat sibi Bedae versum quendam ex carmine de die iudici*[4] *depromptum (13):*

Nunc, rogo, nunc venae fontes aperite calentes,

qui formatus est ad Ieremiae IX, 1 et interpretandus de lacrimis. Nam inveni has multimodas variationes: de fide prol. (III, 5):

Excipiam vitae fontes aperire calentes,

in Ierem. thren. III prol. p. 1407 Sirm. ad quosdam decrevi calentes prophetae fontes . . manum mittere (*ib.* eiulantium attigi venas), *V. W(alae) I, 2, p. 460 Mab.* plena clari recordatio vultus calentes lacrimarum aperiet fontes, *ibid. I, 9, 468* ex quo velim fontem aperias nobis calentem. *Quibus in aequo pones eglogae v. 8:*

Qui nobis studuit venas aperire calentes[5]**.**

Deinde pauca illa verba praefandi gratia eglogae praeposita satis sapiunt Radberti ampullantem et contortum et saepe mysticum sermonem. Ad id quod est unam sibi vice Christi ecclesiam in coniugium enutrisse *conferas praef. de spe ed. Mart. p. 520* mente

---

1) *Non Sulpici Severi sed Ciceronis dialogos imitari videtur; cfr. in Matth. V. praef. 391 S.:* Quoniam, sicut quidam ait, — ducantur = *Cato mai. 8, 26. Praeterea haec ut ex Cicerone sumpta congessi, serius tamen dum Radbertum lego huc animum adtendens ut certe plura possint congeri: V. W. I, 459 somnium Scipionis adiit; V. A. 20, 315 = in Matth. I, 6 = V. W. init ex Cic. de inv. II, 1, 1; in psalm. 44 p. 1226 = Matth. XI, 973 ex Cic. de off. III, 1, 1, ubi paene dolose se ipse substituit pro auctore. V. tamen W. 8, 467 non ex Laelio 25, 91, sed ex ipso Terentio, quem legebat, petita nec Matth. III, 194 ex somn. Scip., sed ex Fulgent. Myth. I Stav. p. 598, unde etiam (p. 597) et ex eius Verg. cont. p. 743 de Vergili commentario ibid.* 2) *Cfr. Ebert G. d. L. d. M.A. II, 294. Furta Fortunatiana primus detexit Duemmler. N. A. IV, 303 sq. In Adalhardi quoque vita 5, 309 Fortunatus nominatur, qui locus est app. Leon. XXI, 3 sqq. uno Corbeiensi cod. servati.* 3) *Cfr. praeterea quomodo Machab. II, 15, 14 in V. A. 86, 339 et V. W. I, 2 460 (quos locos perlegas totos, si Radberti velis scire quam exigua sit ars) et ad Adalhardum et ad Walam adhibuerit describendos. Etiam Horati verbis sat. II, 7 85* fortis et in se ipso totus, teres atque rotundus *utrumque depingere studebat V. A. 15, 314 et V. W. I, 9, 468. Unde fama orta Novae Corbeiae s. IX. Horati fuisse codicem (cfr. Grimm. lat. Ged. d. X. u. XI. Ih. p. 317 adn. 2), qua laude ne Vetus quidem Corbeia digna cum versum hauserit Radbertus ex Augustino de quantit. animae c. 27.* 4) *Sub ipsius Radberti nomine editum est a Mamerano Colon. 1550, unde errorem propagantes repetiverunt Rivinus 'ad B. Paschasii Ratberti carmen geminum (alterum est c. III) . . notae' Lips. 1552, Io. a Fuchte 'liber de sacramento etc.' Helmaestad. 1616. Tamen Bedae recte tribuitur cum in bonae notae codicibus, tum, ut docuit me Duemmler., in Simeonis Dunelmensis historia Anglica, ubi versibus aliquot sub finem additis Accae episcopo perhibetur oblatum fuisse. Neque usquam (ne in Coloniensi quidem Mamerani) prae se fert nomen, ne retorquens dicam ingenium Radberti, qui ad hoc candidum et animum perfringens poema nullo modo adspirare potuit. Atque Bedae ne solus sim praeco, cfr. Iessen. die Darstellung des Weltgerichts Berol. 1883 p. 5.* 5) *Alterum huius rei exemplum alius Bedae versus praebet. Dixerat Fort. IV, 26, 159* felices nimium *et I, 2, 27; VIII, 3, 299; 309* o nimium felix *Vergilium secutus Aen. IV, 657 et Ge. 2, 458; unde Bedae visum est dicere v. 124* O felix nimium; *Bedae subripuit Radbertus V. W. I, 5, 463* infelix nimium ego *et ibid. 26, 488* infelix nimium tempus *et in Matth. VI p. 465* vere misera et infelix nimium ... anima, *egl. vero 56:* O felix nimium. *Quae exempla eo magis probanda mihi videntur probare, quo rarius Bedae carmen inveni usurpatum, ut ap. Angilbert. Centulens. III, 19 sqq. (tom. I,* 363) *sunt ex Bed. v. 14 sqq., apud Angilb. Corbeiens. (Mab. anal. vet. 425)* quae sunt, quae fuerant, fuerint vel quaeque futura *ex Beda v. 67; [Alcuini] c. CXXIV (tom. I, 351), ubi v. 4 corrigas ex Beda l. c.* venas intrare calentes *pro* fatentes, *ante ipsum carmen de die iudici legitur in cod. neque Engelmodo scias an c. III, 61 obversetur Bed. v. 1. Ceterum de Fulberto Carnotensi s. XI. scriptore cfr. Barth. advers. 2077.*

pacisceris fidei coniugio *cf. V. A(dalhardi) c. 79 p. 336 ed. Mab.* quem ipse monachum nutrierat *(respicias formam quoque contractam), de corp. ad Warin. praef. ed. Mart. p. 378* vice Christi praesidente, *V. A. 35, 322* vice Christi patrem habere *(abbatem); ad* monasticam disciplinam, *si tanti est, e. g. V. A. 9, 311, de corp. ad Warin. praef. 378, V. W. I, 9, 470 ibid. I, 15, 476 I, 18, 481;* miro libramine *expressum est ex alio scriptore;* peroratur *cfr. de corp. ad Karol. (IV) 16;* porro *saepissime est apud Radb. e. g. V. W. p. 471, 476, 479, 484;* aliam consecrasse taxatum iri non ambigitur *cfr. V. A. 9, 312* idcirco dixisse non ambigitur, *ib. 51, 327* eius velle cunctos considerare manifestum non ambigitur, taxare *est in V. A. 5, 308 47, 326 saepius, formam futuri passivi habes e. g. V. A. 31, 420* cogitas te excusatum iri, *V. W. I, 21, 482* consultum iri tibi plaudebas, ambigere *e. g. V. W. pp. 456, 457.*

Iam ipsam videamus eglogam: nescivit poeta cuius generis esset caespes, *qui pro Saxonia v. 60* Saxonica cespis: *neque scivit Radbertus in W. V. I, 28, 488, cum ei excideret pro Italia* Auxonia (*leg.* Ausonia) cespis[1]: quam *cum adiectivi positivo coniungitur in egl. 24, 90, 119, 151, 153, 168*[2], *sed Radbert. quoque V. A. 21, 316* quam dignas victorias, *32, 321* quam felix quadriga: interdum *egl. 149 idem est atque* interim: *eodem id modo a Radberto poni iam Mabilio senserat (saec. IV, 2 p. 134, cui adstruas e. g. in Matth. I p. 6 Sirm. et ibid. VI p. 466); in interrogatione licet indirecta indicativus est egl. v. 20, quicum cfr. prol. de fide (c. II) v. 3; de pedestri illo* velim cognoscas *egl. v. 133 (cfr. 36, 88) dubitares, nisi prol. de corp. ad Warin. (III) v. 4 praeberet* velim condas, *ut praetermittam innumeros reliquorum operum locos:* velim perpendas, edicas, caveas, dicas, pandas, attendas, perpendas, *V. W. pp. 457, 458, 460, 462, 464, 473, 492, p. 1270 ed. Sirm. etc.;* componendo *egl. v. 3 sensus subest ornandi*[3] *neque minus prol. de fid. (II) v. 6.*

In egloga si tot ac tanta sunt quae Radberti prodant stilum, credideris contra eius ingenium eo peccari, quod graviora occurrant metrica vitia quam quae in ceteris poematibus admiserit. Verum enim vero percurras quae notanda fuerint[4]: *ne quod h consonans est c. IV, 1 et 6 pariter ac in egl. reprehendam ut in illo tempore,* mănare[5] *eodem more ponderavit in c. III, 6 et 13 quo egl. 110 et 162; contra* sitim[6] *prima producta III, 8,* idoneae[7] *pro diiambo choriambum esse voluit IV, 1;* ĕon *ei est αἰῶνα III, 13*[8]. *Quae tamen in egloga graviora aut crebriora affatim praebent offensionis, condonanda ea censeo et annis inferiori et vel longius opus praecipitanti*[9] *et poesin nescio an hoc carmine periclitabundo, ne dicam auspicato*[10].

---

1) *Quod cod. B' in c. II, 3 recte masculin. tradit, potest esse correctum.* 2) *Cfr. Audrad. pass. e. g. III, 14* quam sanis vivere membris. 3) *Cfr. Fort. spur. p. 379, 301 et Audrad. ibid. IV, 78* Omnique ornatu cunctos componere suadens. 4) *Pauca potuisse innotescere cum pleraque oblitteraverint et scribae et editores, libenter concedo ut minor fiat eorum culpa qui studia navaverunt Radberto ceterum tam infructuosa.* 5) *'Mănare' legitur e. g. apud Sedul., Arator., Eugen. Tolet., Alcuin. (cfr. Areval. ad Sedul. I, 156), recte tamen e. g. apud Engelmod. c. II, 149.* 6) *Tuetur Gezo et non interpolatus P'. Interpolatores ne parastichidi quidem qua c. II (et III)* Radbertus levita *efficitur parcebant, ut prosodiarum errores abolerent.* 7) *'Audenter' e coniectura Mabilio si scripsit pro 'idoneae', secundum rationem est non recipere ut in ceteroquin peccanti, in codice Aniciensi si legit, nihilo setius recusanda foret interpolatio, licet Aniciensem Radberti autographum praebere censeret Mabilio: nimirum ex eodem autographo Camenae nominarentur gelidae. Cfr. infra p. 45.* 8) *C. IV, 2 'Sŏphia' mensura volgaris, cfr. tom. I, 348 c. CIX, 6 (ubi* menti *recipias pro* sit, *cfr. quoque Huemer. acta acad. Vindob. 96, 519 adn.) Etiam volgariter 'cărĭtas' c. II, 9 quod a χάρις derivabatur e. g. Radb. de car. cap. 2:* Charitas ergo Graecum est, quod in Latino dilectio appellatur. 9) *Cfr. quae supra adnotavi p. 41 adn. 1.* 10) *Proprietatum et errorum ex egloga hoc delibabo: heptametri admissi 46, 133, 157: quinque pedibus currit 103; h consonans est post arsim et thesim 23, 126, 9, 23, 34; producitur arsi 69, 176; —e adverbiorum correpta (ut ap. Fort. e. g. et Bedam); ablativ. in —a correpta 13, 112 (cfr. supra p. 4 adn.); saepe nativarum syllabarum quantitates laesit: cāgitus, mūgitus 5 sq., tēgi 24, mănibus 49, ăras 53,*

Restat poema quod quarto exhibemus loco. Hoc Radbertus, dum abbatiolam Corbeiensem obtinet, eius loci quod nobis est tertium, eucharisticam commentationem a se iteratam et ad Karolum Calvum missam exorsus est.

Eglogam ad recensendam his uti licuit vitae Adalhardi codicibus: Parisino (P) 18296 olim Corbeiensi saeculo X. a librario valde rudi scripto — egloga est fol. 63—67, transscripta ab Ernesto Duemmler. cfr. N. A. IV, 302 —, Ambianensi (A) et ipso Corbeiensi 461 s. XIV. ex., ex quo f. 37'—40' eglogam cum unica a Mabilione saec. IV, 1 p. 340 sqq. instituta editione[1] *contulit Holder Egger cfr. N. A. l. c., Bruxellensi (B) 7569 saec. XVII. ex. sive XVIII., quo praeter alias schedas in Bollandistarum usum confectas continetur Radberti vita Adalhardi excerptim et integre egloga ex 'passionali Bodecensis coenobii dioc.' exscripta, quod*[2] *cum hodie deperditum videatur — Paderbornae enim in bibliotheca Theodoriana codicem non latitare certior factus sum —, Bruxellense exemplum Ruelens bibliothecae illius praefectus officiose curavit excutiendum, cfr. Arch. VIII, 520 et A. SS. Ian. tom. I p. 1086.*

Quibus ex libris hac via ad Radberti archetypum videmur adscendere:



Adalhardi vita una cum egloga.

Carmen II dedimus ex Novae Corbeiae codice ad annum usque 1875 Monasterii in archiv. Corb. I, 254 adservato, nunc reg. bibl. Berolinensis theol. Q. 212; saeculi est XV. . Ex unico hoc libro, quo aetatem tulerunt quae Radbertus de fide spe caritate disputavit primum emissa a Pezio in anecdot. thesauro I, 2 anno 1721, deinde codice iterum inspecto 1733 a Martenio in vet. script. ampl. coll. tom. IX, 447, novum carminis exemplum nobis praebuit K. Francke (B').

Radberti libri de sanguine et corpore domini ad Warinum missi duobus testibus crisis est nisa, cum Gezo quoque, qui saeculo X. abbas fuit Derthonensis, in opere quo et ipse transsubstantiationem docuit metrico prologo (III) non amputato[3] *'paene integrum exscripserit Radbertum'. Atque Radberti quidem codices, qui innotuerunt, enumerare longum est: non interpolatum novi tantum Parisinum 2854 P' (ol. Puteani 4356, ubi carmen fol. 1)*

Ambiānense 58 (sic Fort. c. X, 6, 25 V. M. I, 56), flēbilis 84, perfidia 102, glōriosa 103, sōbrius 126 (sic Eugen. Tolet.), querēlosus 67 et ceterum multotiens. V. 65 'stimplo' nescio an recte Mabilio 'extemplo' esse iudicavit, 'extimplo' saepe legitur e. g. Karol. M. et Leo P. v. 445 (I, 377) et 497 (378); 'arva', —ae 3, 52, 180 cfr. Leo ad Fort. IX, 2, 18 et Appel. de gen. neutro intereunte in l. L. Erlg. 1883 p. 48; 'Bachia' incertus sum utrum 'parvos urceos' interpreter ex Mai thesauro nov. Lat. p. 81 an simpliciter 'vinum'; 'sorbo' v. 71 cfr. Neue II², 427 et Leon. Fort. s. v. resorbere; 'comulare' cfr. Schuchardt II, 156, fr. 'combler' et e. g. codd. I, 272, 35; 390, 104; 419, XVIII, 3; 'ire' cum nudo accus. cfr. e. g. gesta Apoll. v. 298 (II 493).

1) *Unde ap. Migne. patrol. CXX, 1552 sqq.* 2) *Bodecensis videtur in N. Corb. monast. scriptus fuisse s. XI., cui fere tempori conveniunt, mea et quam pluris aestimo Gulielmi Meyer. opinio ut fert. versus qui codici olim praefixi legebantur (cfr. Boll. l. c.).* 3) *Muratorius primus censuit versus, quos apud Gezonem post eos invenerat, qui carmen efficiunt III, Radberti quoque esse. Ego tamen, cum etiam parastichidis exemplum c. II obstet, adduci nequeo, quin qui in integro opere non feruntur, exstant in excerptis, genuinos eos esse existimem. Sed sive ab ipso Gezone additi sunt quibus continuaret Radbertum sive aliunde rapti, pannum male quoque adglutinatum avolsi. At dicam tamen contemptis minutiis quo Duemmleri Bambergensis differat a Muratori exemplo: v. 20* verum quod, *21* mons, *37* fereque, *42* cernet, *49* hominis laetum facit, *51* mundo, *54* divi, *67* quam hoc, *72* liba tuae litamina (*leg.* libatve litamina), *73* abstrait. *V. 71 imitatur Odonis Cluniac. s X. abbatis carminis versum 1 ab eodem Gezone Radberti poemati praefixi.*

s. X., cuius lectiones rogatus misit A. Molinierus; ex interpolatis (ς) Wartmannus evolvit Sangallensem 681 s. XI., Monacenses ego 21516 s. XII. sive XIII., 23599 s. XIII.. Gezonis autem scripturas Ambrosiani Q. 98 (Ga) petii ex Muratori ed. Gez. anecd. III p. 250 sq. Patav. 1713, Bambergensis Q. VI, 44 s. XI. f. 5 sq. (Gb) ex Duemmleri apographo (cfr. N. A. l. c.). Inter editiones, quae tamen omnes quas quidem inspexi sequuntur deterioris classis codices, principem locum tenet Marteni, cuius l. c. p. 377 carmen legitur.

Libri qui est de sanguine retractatae editionis unus quantum scio exstat Parisinus 2855 s. X. (P[a] ol. Colbertinus 3682, Reg. 4357: poema est 1') altera parte post Hieronymi fragmentum ex epistola ad Lucianum sumptum inde a. f. 62 prius quoque editionis exemplar continens licet interpolatum. Qui codex thesauri B. V. ecclesiae Podiensis cum fuerit, non diversus est, opinor, ab Aniciensi ex quo Mabilio primus carmen et pedestrem praefationem edidit A. SS. saec. IV, 2, 134 sq. Scripturarum discrepantias in meum usum convertit Molinierus.

I.

EGLOGA DUARVM SANCTIMONIALIUM UNO FAVORIS PLANCTU CONPLOSA. QUAS ADALHARDUS VELUD UNAM SIBI IN CONIUGIVM VICE CHRISTI ECCLESIAM ENUTRISSE, ALIAM VERO EX EADEM SECUNDUM MONASTICAM DISCIPLINAM MIRO LIBRAMINE ADMODVM GENUISSE PERORATUR. QUARUM QUOQUE UNAM PROPTER CANDOREM VULTUS GALATHEAM VOCARI, PORRO ALIAM PROPTER AMOREM CARITATIS FILLIDIS NOMINE CONSECRASSE TAXATUM IRI NON AMBIGITUR.

'Plangite, queso, viri, mecum pie plangite patrem, GALATHEA
Omnis et inploret veniam provectior aetas.
Spargite humum lacrimis, conponite floribus arvam
Patris ad excubias; hinc fletibus omnia sudent.
Officio linguae prodant sic corda vagitus,
Ut passim resonent etiam simul astra mugitum.
Rustica concelebret Romana Latinaque lingua,
Saxo quibus pariter plangens pro carmine dicat.

[I.] *Inchoat titulum in codd.* sequitur — ecloga *B* ecloca *A* — complosa *A* — Adalhardus] idem *codd.* — velut *AB* — in *om. A* — vitae *B* — alium *P* — admodum *P* — perorat *B* — phillidis *A* — *post* ambigitur *in A* versus *add.* 'Galathea *supra versum P in marg. ut reliquae personarum notae add. s. XVI. in A, quae quomodo legantur in B nescio* 1 quaeso *B in quo orthographiam ceterum non curabo* 2 imploret *A et sic fere similia quae non adferam; item* e *pro* ae *ex A non adnotabo nisi cum P* 3 *arma *corr.* arua *A* arua *PB* 4 exuvias hic flentibus *B* 5 lingue *PA* si *P*, sic prodant *B* 8 *quibus] quo *P* qui *AB* quin *Diez. altrom. Sprachdenkm. p. 78 adn.*

[I.] *Max. Taur. tract. c. pag. p. 789 ed. Migne.* (deus) miro libramine ex omni parte compositam continet molem. 3 *Ecl. V,* 40 Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras. 7 *sq. Harum linguarum peritus Adalhardus, cfr. Radb. V. A.* 77, 336 quem si vulgo audisses, dulcifluus emanabat. si vero idem barbara, quam Teutiscam dicunt, lingua loqueretur, eminebat claritatis eloquio. quod si Latine, iam ulterius prae aviditate dulcoris non erat spiritus. *Quo ex loco Gerard. eglogae etiam similius haec c. 42 p. 355 ed. Mab. saec. IV,* 1: Qui si vulgari i. e. Romana lingua loqueretur, omnium aliarum putaretur inscius .... si vero Theutonica, enitebat perfectius; si Latina, in nulla omnino absolutius. *Cfr. Buchr. G. d. R. L. III Supplem. p. 61 sq.*

Vertite huc cuncti, cecinit quam maximus ille:
"Et tumulum facite et tumulo superaddite carmen".
Membra beata senis celebri conferte locello,
Qui nobis studuit venas aperire calentes.
Huius ad exequias clerus cum mixta caterva
Vocibus alternis divina poemata narrent:
Pastores, fuerit quod magnus, versibus edant,
Formosi pecoris custos formosior ipse,
Vulgus et econtra resonet: "Deus, alme creator,
Da veniam famulo: paradysi regna precamur,
Et petimus: miserere seni, miserere tuorum;
Tu quam dignus erat misereri, denique nosti".
Hinc, rogo, cordis amorque dolor gemitusque resultet,
Hinc pueri virtute, senes de nomine certent.'
'Quis, rogo, non plangat hominem super astra levatum FILL.
In cineres redigi, quam duro marmore tegi?
Cuius in orbe volat virtutum fama per omnes,
Prosapies augustorum est quod vermibus esca?
Heu, quid hinc facimus miseri sub morte locati?
Ploramus, gemimus — sed nec revocare valemus.
Ergo vocatur: abest — sed nec exaudit amantes.
Pectora rumpuntur, lacerantur viscera luctu —
Ille nec exaudit lacrimas nec threna dolentum.
Et quia torquemur, laceramur corde tumultu —
Luctus adest animis nec mors surdissima curat.
Pulveream servamus hinc de corpore glebam —
Clarus at ille choro laetatur ad astra relatus.
Unde velim: virtute, viri puerique puellae,
Plangite, corde pio salsos producite fontes,

---

10 tumulsum *corr. A* 11 conferre *PA* 12 canentes *A* 13 commixta *AB* 14 narraent *corr. P* 16 cunctos *P* 17 contra *A* 18 venam famulam *A* 19 senis *Mabilio, sed cfr. Rönsch. Itala p. 413 et V. Galli 713 (tom. II, 447), ubi cod.* miserere inopi, miserere tuimet. 20 Tu quia *B* 22 do *A* cernent *P* 23 Fillidis *ex eglogae titulo interpol. P* Philis *A* 24 cyneres *A* 26 qui *B* 27 huic *AB* facinus *P* 28 Ploratus *B* 29 vocatus *Mab., sed cfr. Fort. l. c. 59,* sed nunc *B* 30 lacerentur *P* 32 qui *B* 35 l relatus *P*

9 *Sedul. I,* 37 mentes huc vertite cuncti. *Radb. in Matth. II,* 117 *Sirm.* sicut quidam maximus poeta cecinerat: Pacatum etc. (= *Ecl. IV,* 17 *sqq.*), *id. V. A.* 42, 324 ut quidam poetarum eximius ait: Quam secura etc. (= *Ge. II,* 64 *sq.*), *cfr. Alcuin. LXXIV,* 13 *sq.* (*I,* 295). 10 = *Ecl.* V, 42. 12 *Beda de iudici die* 13 venae fontes aperire calentes. 14 *Fort. C. VIII,* 3, 7 Vocibus alternis *(sic Beda et cod. Sangallensis s. IX)* divina poemata psallunt; *cfr. V. W. II,* 32, 522 Ad (Walae) exsequias inter cetera hymnum: te deum laudamus ... alternis vocibus more ecclesiastico decantabant. 16 = *Ecl. V,* 44. 18 *Ex Pont. IV,* 3, 23 Da veniam fasso. 19 *Aen. XI,* 365; *XII,* 653 miserere tuorum, *cfr. Bernowin. t. I, p.* 416 *c. XI,* 5. 20 *Ecl. V,* 54 cantari dignus; *ibid.* 89 dignus amari. 23 *Fort. C. IX,* 2, 43 Quis, rogo, non moritur .. 25 *Aen. III,* 121 Fama volat. 26 *Adalhardus Bernhardi Karoli M. patrui filius.* 27 *Fort. l. l.* 53 Ergo quid hinc facimus. 28 *Fort. l. l.* 55 Ploramus gemimus, sed nec prodesse valemus. 30 *sqq. Fort. l. l.* 57 Viscera torquentur, lacerantur corda tumultu. 33 *Fort. l. l.* 56 Luctus adest oculis; *Fort. l. l.* 61 Quamvis clamantem refugit mors surda nec audit. 36 *Ge. IV,* 476 pueri innuptaeque puellae. 37 *Radb. V. A.* 85 salsis lacrimarum rigant fontibus.

Ut, quia tristis origo dedit, quod patimur omnes,
Atque una ex antiquo est haec natura priorum,
Una sit et cunctis etiam conpassio mentis.
Mesticiae, fletus, lacrimae simul aethera pulsent;
Hinc inde unus in ora fluat fletus monachorum'.
'Oro: senem senior tumulo, Corbeia, condas; GAL.
Porro minor ego mox tali viduata patrono
Vocibus alternis gemitum pro carmine pangam.
Quam dudum generans felix felicem mater ab uno
Atque tuo vocitans pridem de nomine faris:
"O formosa ego, tu mihi nunc eris alter in evum."
Quam fundavit ovans manibus ter ille beatus
Plura salutiferis tribuens oracula verbis.
Nam quo tunc demon seviebat, iniqua potestas
Et cultus fani totam fedaverat arvam,
Vertit aras, pecudum sacravit ovilia Christi.
Funditus inde procul luci radice recisa,
Sancta locavit ibi monachis caenobia plena'.
'O felix nimium, quos cogor inire dolores. FILL.
Munere divino, quamvis comulentur opima
Ambianense prius, qui dum meruisse videris
Corbeio preesse gregi, sanctissime pastor,
Te patrem esse novit etiam Saxonica cespis,
Ut commissa deo duplicata talenta reportes.
Sed tu, mors male fida venenis, parcere nescis
Ulli nec nobis; nec tu quoque munera curas.
Nescis amare viros, nescis servare patronos:
Omnibus una manes sors inrevocabilis horae.
Quae nobis stimplo rapuisti morte beatum
Illum, quem pariter querelosis vocibus omnes
Plangimus ac gemimus, flemus, lacrimamus, amamus:
Sed nescis, misera, miseris miserans misereri.

---

39 piorum *AB* 43 Gal. *P nihil A* 46 felix *om. Mab.* imo *B* 48 michi *A* altera *B* 51 *sic *PAB* 53 sancivit *B* 56 Fill *P nihil A* 57 cumulentur *AB* 58 Ambienense *AB cfr. Fort. codd. l. p. 43 c.* 60 esse *om. B* 61 dupplicata *A* 62 male fida *PB*] mala *A* 67 quaerelosis *P* querulosis *B*

38 *Fort. l. l.* 1 *sq.* Aspera condicio et sors inrevocabilis horae |, quod generi humano tristis origo dedit. 39 priorum *posuit pro* seniorum. 44 *V. A.* 35 *p.* 322 Corbeia ... flens cum se tanto viduata patrono lugeret. 45 *Cfr. v.* 14 *et* 8. 46 *et* 49 Quam *sc. me, Corbeiam Novam.* 48 *Ecl. V,* 49 tu nunc eris alter ab illo. 49 *Aen. I,* 94 terque quaterque beati. 50 *Fort. C. IV,* 11, 13 Plura salutiferis tribuens oracula rebus. 56 *Beda l. l.* 124 O felix nimium. 61 *Fort. C. V,* 2, 52 (*cfr. app. p.* 292, 22) Et commissa tibi dupla talenta refert, *cfr. V,* 3, 33. 62 *Cfr. Aen. II,* 23 .. statio male fida carinis *et Boeth. de cons. I, metr.* 1, 17. 62 *sqq. Anthol. lat. ed. R.* 683, 1 mors .. quae nulli parcere nosti, | nescis laetitiam, nescis amare *(sic libri et Ermenric. ep. p.* 10 *ed. Duemml.)* iocos. *Idem epigramma adhibuit et Sedulius, cfr. Duemml. 5 Gedichte d. Sed. Vindob.* 1860 *p.* 14, *et poeta ap. Mai. cl. auct. V,* 457, 40 *et Ratoldi abbatis Corbeiensis epitaph., cfr. N. A. X,* 622. *Ecl. II,* 56 nec munera curat Alexis. 65 *Fort. cfr. ad. v.* 38 *et C. IV,* 12, 1 Omnes una manet sors inreparabilis horae. 66 stimplo *i. q.* extimplo, extemplo. 69 *Cfr. Beda l. l.* 68 Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebant *et Fort. C. VI,* 5, 263.

Proh dolor, ecce trahis omnes sic invida tecum,
Ut, quicquid iam viximus actenus, omnia sorbas'.
Tum veneranda soror, nostrum parvissima, dixit: GAL.
'O verbo quam mitis erat blandusque magister.
Cur nos tam subito liquisti valde tenellos?
Tu siquidem moreris semper per saecula felix,
Sed ego virgo ferox, multis sanguinea bellis
Ymbrifero post te lacrimarum fonte madesco
Atque sub ingenti gemitu rea pectora tundo;
Hinc faciem guttis diluo salsis maculosam —
Quamvis nigra meis maculis sim et fusca venenis,
Ut niveo vultu respersa colore rosarum
Flavescam, niteam, flagrem simul atque madescam
Atque, tui nimium felix, in tempore plangam,
Quamdiu maneat flebilis pars ultima vitae'.
Tum quoque mater ait, cuius de nomine dicta: FILL.
'Non me tu lacrimis vinces aut fletibus umquam,
Non cantus resonare leves, non pandere vota.
Unde velim: tu misce favos, ego floribus ornem;
Tu quoque pallentes violas, ego lilia carpam
Et superaspergam tumulum quam suavibus herbis;
Hic quoniam condignus erat muneribus istis,
Dilicias nobis qui multas prestitit ipse
Et totam roseo te pinxit sanguine Christi.
Esaias vatis quod iam predixerat olim:
Sancta tibi hinc veniunt plaudentia ligna decoris,
Exultant inibi myrtus, abies sive pinus,
Vitis et uva, nitens etiam pinguescit oliva,
Ac tamquam paradysus et hortus diliciarum
Inriguis nutriris aquis de vertice caeli.

---

70 prop *ut saepius A* pro *PB* 71 hactenus *AB* 72 Tu *B, pro person. not.* † *P nihil A* 75 meroris *P* 76 fer ex *P* 77 Umbrifere *P* Imbrifero *B* 78 tondo *corr. P* 82 fragrem *Mab., sed cfr. Ellis. in Catull.*[2] *p.* 346 *sqq. et Luc. Mueller. in Fleckeisen. ann.* 93, 386 85 Tu *P*, Fill. *P nihil adn. A* 89 carpum *P* 91 quantum *B* 92 *et* 98 delic. *AB* 93 reseo *P* 94 Esayas *A* 95 plaudecia *B* 96 Exultem *A* exultent *B* 98 ortus *PA*

72 *Hervordia igitur ante Novam Corbeiam condita.* 76 *Cogitat de bellis a Karolo M. in Saxonia gestis, quorum monumenti causa Nova Corbeia et Hervordia conditae esse fingebantur, cfr. regis Arnulfi dipl. ap. Wilmans Kaiserurk. Westf. I,* 210 *et ibid. instrument Ludovici P. quamvis sublestae fidei p.* 18. 78 *Beda l. l.* 14 Dumque ego percutiam pugnis rea pectora. 79 *Beda l. l.* 17 Sed maestam salsis faciem perfundite guttis. 84 *Ecl. IV,* 53 O mihi tam longae maneat pars ultima vita. 94 *Isaias* 55, 12 *sq.* montes et colles cantabunt coram vobis laudem et omnia ligna regionis plaudent manu. Pro saliunca ascendet abies et pro urtica crescet myrtus; *cfr. ibid.* 41, 18 *sq. et ecl. VII,* 65 *sq.* 98 *Radb. V. A.* 85, 339 Unde interim quando aliud non valemus, iura sepulcri tui flentes circumsedemus et superadspergimus orationum flores ... Nam nostrum alii pallentes violas tibi et candentia lilia carpunt, alii narcissum et florentes rosas, alii serpillum beneolentem spargunt; isti colocasia et mollibus illud vaciniis pingunt, quidam et suaves intermiscent odores etc. *Haec et eglogae versus ex ecl. II,* 47: Pallentis violas et summa papavera carpens | narcissum et florem iungit bene olentis anethi. | tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis, | mollia luteola pingit vaccinia caltha etc.. *cfr. ecl. IV,* 20 99 *Sedul. VI,* 224 irriguis ora nutritur aquis. *Aen. I,* 225: sic vertice caeli.

Quae fueras regio sterelis, descensus Averni —
Porta poli iam facta pates sive ianua vitae.
Nec valet equiperare prior perfidia mortis
Tam celerem cursum, quo nunc gloriosa
Iam caput excelsa caelorum sidera tangis
Atque nitore tuo nimium splendescis in orbe,
Vel citius qua nulla prior nutrix monachorum
Cardine sub quadro poterit fecundior esse.
Unde, soror, facias planctum pro carmine, posco:
Octoginta pater quod vix conpleverat annos
Et necdum tua forte manarunt ubera lacte.
En subito periit vel fracta est idria fontis,
'Consilium patriae, Christi sapientia plenus". MICTON
'A mater', subnixa deo tum filia dixit, GALATHEA
'Quid tantos renovare velis narrando dolores
Aut memorare diei, qua nec sevior ulla
Vel fuit, esse potest poteritque aut esse futura?
Quae simul abstraxit nobis pereunte patrono
Omne decus vitae virtutum vota recidens.
Heu nos quam miseri, absentes qui vivimus illo,
Quod sumus in nimium depressi sorte maligna,
Qui pariter caelum nequivimus ire locati;
Cum quo namque mori melius quam vivere duxi'.
'Quapropter, populi, Christi quos abluit unda, (FILL.)
Flumineos latices producite pectoris imo
Virgineumque meum plangamus sorte maritum,
Prudentem, sobrium, castum, caritate repletum,
Mansuetum, humilem nec non iustum atque benignum,
Nobilitate probum, quo nec sapientior ullus;
Cuius in eloquio micuit sapientia Christi,
Fons patuit saliens vitae, doctrina salutis.
Moribus insignis, virtutum dogmate plenus,

---

100 sterilis *AB* 103 *post* gloriosa *add.* coruscas *B* superbis *Mab.* 104 sydera *A* 106 *Ut citius quam *PAB* 108 poste *P* 112 concilium *B*, Micton *post* plenus *in mary. P: voluit significare nescio qua de causa hunc versum (et fort.* 111*) ab utraque dici invocatione coniuncta cfr. Ermenrici ep. ed. Duemmler. p.* 41, 37: Est genus hic dispar micton, coenon, prece iunctum 118 rescindens *B* 119 absenteque *AB* 120 Sumus enim nimium *AB* 123 xp.. *P, in mary. add. Mab.* Philis, *nota deest in codd.* 129 *Christus *codd.* 130 vitae *PB*] in te *A*, *salutos *B* salitus *PA*

100 *Aen. VI,* 126 facilis descensus Averni. 101 *Beda de mirac. Cuthberti XXX,* 12 ianua vitae. 104 *Met. VII,* 61 et vertice sidera tangam. 107 *Cfr. v.* 45; *Radb. in thren.* 1310 sub quadrato caeli cardine, *cfr. Aldhelm. laud. virg.* 85 *et* 1887, *Alcuin. e. g. LXIV,* 4 (*I,* 282). 109 *Adalhardus annos c. quinque et septuaginta natus a vita discessit, siquidem anno ut videtur 771 monachus Corbeiae factus est vicenarius (Radb. vit. Adalh. c. 8), cf. Enck p. 6.* 111 hydria = urna *ex Vulgata.* 112 *A. saepius res publicas administrandas susceperat.* 114 *Aen. II,* 3 Infandum, regina, iubes renovare dolorem, *cfr. Radb. V. W. I init.* iuxta illud Maronis .... infandos iubet renovare dolores. 116 *Beda l. c.* 67 Qui sunt, qui fuerant, fuerint vel quique futuri. 119 *Cfr. Beda l. c.* 84 Nullus ibi meritis confidit iudice praesens. 121 *Cfr. v.* 27 *et Fort. C. IX,* 2, 69 Ibimus ergo omnes alia regione locandi. 123 *Cfr. Met. IV,* 740. 129 *Fort. C. I,* 15, 102 Cuius ab eloquio dulcia mella fluunt, *ibid. IV,* 8, 15 Cuius ab eloquio nectar per verba fluebat.

Mitis, pacificus, clemens et valde modestus —
Ista fuere sui, velim cognoscas, praedia iuris,
Ista meae redolent viritim sponsalia dotis.
Unde beatus amor tantum mihi crescit in illo,
Quantum vere novo se mundus floribus auget.
Sed proinde magis luctus successit in horis,
Quod nimium fraglet in eo insaciabilis ardor
Et quod nulla mei sit abhinc medicina doloris,
Si non vel liceat mihi sanctum pangere nomen.'
Ad quod quam nimium felix Galathea fatetur: GAL.
'Incipe sollicitos tales iam ponere questus.
Forte mirantur enim tanto pro funere Musae
Et stupefacta suos liquerunt carmina melos.
Omnia congemuere tuis — et saxea — threnis.
O si', inquit, 'veniat tunc ille recursus amoris —
Quae tantis in eo lacrimarum cogimur undis,
Ut tandem renovemur eius dulcedinis austu.
Interdum manibus iunctis pergamus ad arcem,
Ad thalamos regni, quo dudum nos vocat idem.
Ethereis pascamur eo quam perpete campis,
Quo meruit senior felix intrare Menalcha,
Qui nostros secum quam longe duxit amores
Et trahit e nostris post se suspiria fibris.'
'Illo etenim voti debentur iura coire, FILL.
Quamquam adeo nobis media est via triste sepulchrum.
Sed si constanter petimus, pulsamus, quaerimus, inquam,
Post cineres quin, haud dubium, veniamus ad urbem,
Qua pietas, bonitas, pax, lux, opulentia regnant;
Laetitiae, fructus, requies et gaudia fulgent;
Omne bonum renitet, dulcis concordia mulcet;
Gloria, laus et honor uno de fonte manantur;

---

133 velim *P*] veluti *A om. B Mab.* 134 sponsalia *P* 135. 140 michi *A* 138 flagret *B Mab.*, *cfr. v.* 82 insatiabilis *AB* 141 Gal. *P nihil A* 143 muse *PA* 145 sauxia *vel* sanxia *A* 148 haustu *AB* 149 iuncti *PAB corr. Manitius* archem *P* 151 praepete *B* 154 fybris *A* **post* 154 Fill *P nihil A* 155 Illo enim *A* *ante* 156 Fillidis *B* moesta *B* 157 petimus *om. Mab.* 158 cyneres *A*, quin *P* quando *B* haut *AB* *veniemus *PAB* 160 leticie *A* 161 One *P* 162 laus *AB*] lectus *P* de flumine manant *B*

135 *sqq. Ecl. X*, 73 *sq.* Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas | quantum vere novo viridis se subicit alnus. 139 *Ecl. X*, 60 nostri medicina furoris. 142 *Ecl. X*, 6 Incipe, sollicitos Galli dicamus amores. 144 *Ecl. VIII*, 3 *sq.* quorum stupefactae carmine lynces, | et mutata suos liquerunt (*sic in quibd. codd. pro* requierunt) flumina cursus. 145 *Radb. V. A.* 82, 338 Quis enim non fleret, etiamsi de silice natus esset etc. 152 *Ecl. IX*, 55 Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas. | Causando nostros in longum ducis amores, *cfr. ecl. V*, 64 *sq.* deus, deus ille, Menalca. | Sis bonus o felixque. 159—171 *Cfr. Beda l. l.* 135—147 Sed pax et pietas, bonitas, opulentia regnat. | gaudia, laetitiae, virtus, lux, vita perennis, | gloria, laus, requies, honor et concordia dulcis. | insuper omne bonum cunctis deus ipse ministrat, | semper adest praesens, cunctos fovet, implet, honorat. || Praemia perpetuis tradens caelestia donis | angelicas inter turmas sanctasque cohortes, | vatidicis iunctus patriarchis atque prophetis, | inter apostolicas animis laetantibus arces | atque inter roseis splendentia castra triumphis, | candida virgineo simul inter et agmina flore. 162 *Radb. V. W. I p.* 458 de fonte manabat.

Vita perennis ovat, virtutum pascua florent;
Angelicae gratulantur oves, caelestia vernant;
Premia perpetuis firmantur denique donis,
Quod deus semper adest presens, reserantur opima
Inter apostolicas patriarcharumque cohortes;
Spirat odor quam dulcis suavior omnibus herbis;
Martyrio splendente choro muscosa patescunt;
Castra prophetarum redolent dulcedinis austu;
Candida virgineo flavescunt agmina flore:
Omnia concelebrant inibi pia gaudia passim
Et resonant omnes uno de corde canentes
Mellifluas voces in talia carmine quisque.'
'Desine plura', soror tum, 'mater', ait Galathea, GAL.
'Ista quidem inspecta melius tum forte canemus,
Cum paradysus ovans nobis quoque sorte virebit.
Actenus agrorum flores et lilia carpe,
Donec alleluiatica circum gaudia stridant.
Sparge viam violis, virtutum floribus arvam,
Pinge rosis callem, plateis lilia sterne.'

II.

AD WARINUM CORBEIENSEM ABBATEM DE FIDE SPE ET CARITATE.

Rumpe, Camena, moras, virtutum federa pange,
Ad celi thalamos quo possim scandere perpes.
Dic, nivei flores quo vernant cespite fosso,
Bucolicosque relinque favos, sublimia carpe.
Excipiam vitae fontes aperire calentes,
Rauca licet pueris celestia munera pandam.
Tres sunt, quae veniunt uno de fonte, sorores,
Virgineo gressu, Christi de sanguine lotae.
Sed Caritas harum est cunctis precelsior una,
Laude Fides digna virtutum summa gubernat
Et petit arma prior, sancti quibus omnia vincunt,
Virgo beata Dei Spes tendit ad ardua gressum,
In solio recubans, Christi munimine tuta.
Tres istae nectunt virtutum federa quaeque,
Ad celi thalamos animam conscendere cogunt.

---

163 per hempnis *A* 164 Angelice *P.1* 166 referantur *P* 167 apostolicos *P* 168 spirati *P* 169 Martyreo *A* 170 haustu *AB* 172 concelebrant *P* 173 canentes *PB*] manantes *A* 174 in *P*] hinc *AB* 175 *tu. *P.1B* gall *P* *nihil A* 177 cur *P* 178 hactenus *A* 179 alleiuatica *A* *ridant *AB* rigant *corr.* ridant *P* 180 arva *P*

[II.] *Inscriptionem praefixi, deest in B'* 5 vite *B'* 7 que *B'* 8 lote *B'* 14 iste *B'* queque *B'*

170 *Cfr. v.* 148. 172 *Fort. C. VIII,* 4, 34 Gaudia perpetuo concelebrare choro. 175 *sq. Ecl. IX,* 66 *sq.* Desine plura, puer . . . ' carmina tum melius, cum venerit ipse canamus. 177 *Cfr. ecl. VII,* 59 nemus omne virebit. 180 *Cfr. v.* 3.

[II.] 1 Rumpe moras *e. g. Aen. IX,* 13. 2 *Cfr. Radb. c. I,* 150. 5 *Cfr. Radb. c. I,* 12. 6 Pueri *tirones sunt cfr. de car. epil.* 12 *Sedul. I,* 335 Spesque Fidesque meum comitantur in ardua gressum, *Fort. V. M. prol.* 29 Tendere .. cogor ad ardua gressum. 15 *Cfr. v.* 2.

III.

AD PLACIDIUM DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

Regis adire sacrae qui vis sollemnia mensae,
Almificum Christi corpus contingere votis,
Delicias vesci, roseum potare cruorem:
Bachia nostra velim, puero quae misimus olim,
Et niveos casto condas in pectore flores.
Rustica forte animo sordent, sed mella manabunt
Tantum, quae calamus Christi de fonte ministrat:
Unde puer possit saltim restinguere sitim,
Si libeat digne sectari iussa tonantis.
Libertas etenim Fidei numquam abnegat ulli
Eximios vitae fructus de cespite carnis.
Vita, salus, pax, lux, sapientia denique cunctis
Inde manat per eon caeli sub cardine quadro.
Tu quoque muneribus si dignus vixeris istis,
Accipies palmam regni virtute beatus.

IV.

AD KAROLUM REGEM DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

Idoneae nunc nunc gelida de rupe Camenae
Ut veniant, petimus: verum te, Sophia virgo,
Fulgentis niveum quae servas culmen Olimpi,
Aurea lux mundum inradians cui vertice surgit
Et Phoebae radios faties gratissima mittit,
Componit humeros ignitis purpura, gemmis,
Deprecor, ut precibus digneris cedere nostris,
Regis et ad solium pro maiestate verendum
Incessu properes gravido vultuque modesto.
Ut coram steteris, nitido sic ore loquaris:
'Rex virtute potens, sophyae quem splendor adornat,

[III.] *Inscriptionem praefixi. In G* Incip versus paschasii ratberti ad placidium discipulum, *in P nihil inscribitur* 1 sacre *Gb* solēpnia *Gb* mense *Gb* 2 contigere *Gb* 3 delitias *Gb* 4 Bachia *P^{i} P^{ii} Mon. 21516 Mon. 4608 nondum corr.*] Bachica *G* ς 6 manebunt ς *nisi quod verum etiam in P^{ii} et Sangall.* 7 Hic tantum calamus ς *praeter* Iste tamen calamus *P^{ii}* que *P^{i}Gb* 8 Unde sitim possis flammasq. extinguere (extingere *P^{ii}*) mortis ς saltem *G* 9 scitari *G* 13 manat per eon caeli sub *P* (*nisi quod* a eon, *ubi* a *sec. man. videtur additum*) *et* ς] manat caeli semper sub *G duo codd. Martenii* Inde fluit testor caeli sub *quattuor codd. Mart.*

[IV.] *Inscriptionem praefixi, deest in P^{ii}* 1 idoneae *P^{ii}*] audenter *M(abilio)* gelidae *M* 3 lumen *M* 6 componitque *M* 11 sophye *P^{ii}*

[III.] 1 *Sedul. c. p. prol.* 1 *sqq.* Paschales quicumque dapes conviva requiris ||| .. modicae contentus adi solemnia mensae. 4 *sq. Librum significat, quem Placidio Warino inscripserat de fide. De* bachia *vide p.* 44. 5 *Cfr. Radb. c. II,* 3. 7 *Trist. V,* 1, 37 de fonte ministrat. 8 *Ecl. V,* 47 sitim restinguere rivo. 13 *Cfr. Radb. c. I,* 107. Per eon *cfr. p.* 43. 14 *Cfr. Radb. c. I,* 91.

[IV.] 1 *Aen. VIII,* 343 gelida .. sub rupe Lupercal. 4 *Iuvenc. III,* 15 lux aurea vitae. 10 *e. g. Aen. I,* 614 sic ore locuta est.

Karole, cui nomen serie descendit avita:
En offert famulus devoto pectore munus
Abbas Radbertus, placide quod, diva potestas,
Accipias nec non oculis et pectore cernas,
Quid habeat seu quid calamo signante peroret;
Non terrenum aliquid, sed caeli mystica promit.
Nam corpus Christi roseam seu sanguinis undam
In lucem retegit, quae sint mysteria, monstrans:
Legerit, ut, quisquis devota mente fidelis,
Visibili specie coelorum archana pavescat.

---

21 pavescit *M*

13 *e. g. Iuvenc. I,* 645 devoti pectoris aptum *et Fort. app. XXVI,* 2.

ENGELMODI CARMINA.

Radberto videtur Engelmodum subiungere Radberti bucinatorem. De quo quaecquae conperimus admodum exilia sunt haec[1].

Rothado anno 862 deposito in cathedra viventis *provinciae Suessionensis episcopus suffectus est et ordinatus*[2]. *Iam vero paullo ante quam papae Nicolai I. iussu idem Rothadus esset restitutus, id quod erat anni 864 exitu initiove 865, de vita decessit.*

Nostrum ad munus tria eius carmina pertinent, praeter quae nihil videtur reliquisse, memoriae illa quidem mandata codicis Parisini 7499 (qui olim fuit Puteani 5047) fol. 59 col. 1—62 col. 1 s. X. exaratis et nobis a Karolo Foltz descriptis[3]. *E quibus Sirmondus operum S. Paschasii Radberti principio divolgaverat Lutetiae 1618 tertium*[4], *priora primus edo*[5].

---

1) *Congesserunt materiam Sammaurini in Gall. Christ. IX, 344; Schroers. Hinkmar Friburg. 1884 p. 245 adn. verbose retractavit.* 2) *In primis cfr. Rothad. lib. proclam. Mansi. XV, 685 A. Suessionensis concili, per quod exauctoratus est Rothadus, duobus privilegiis Engelmodus iam episcopus subscripsit, ibid. 634 A et 636 A. In chartis enim cum perhiberetur esse Angilmodus, Delalandium concil. supplem. p. 172 non fugit hunc eundem esse atque Engelmodum.* 3) *Cfr. Arch. f. d. G. XI, 510 et N. A. IV, 315.* 4) *Unde pendent max. bibl. vet. patr. XIV Lugdun. 1677, Migne patrol. CXX, Delalande supplem. conc. Paris 1616 p. 173 sq. ubi quidem aliquot erroribus depraratur.* 5) *Carmina I et II consonantiis Leoninis adstringi non est quod post doctas et subtiles Gulielmi Meyer. (academ. Monac. act. 1882 p. 68 sqq., 190 et eiusd. ac. dissert. tom. XVII p. 382 sqq.) curas adcuratius illustremus. Dixisse satis est singularum syllabarum esse rimas neque unquam (praeter I, 5 -ae -e) obscuratas nisi II, 43 (-unt -um): nam I, 67 ab elisione excusatur poeta. Hiatus autem quod admittitur in pentametrorum incisionibus, non cohaeret hoc cum Leonitate. Cetera quoque Engelmodus parem se praebet aequalibus, superiorem fere quod exacte norit quantitates; modo ignoscatur graecis vocabulis Ismenia I, 84, Boeotiae I, 83, Plato (cfr. Fort. ind. et poet. Carol. I) I, 35, et prosodiis ceteroquin titubantibus in cŭcŭlus III, 59 (ut modificant in vocum animantium carminibus anth. L. ed. R. 762, 35; 733, 13 et in conflict. veris et hiem. tom. I, 270; unde Alcuin. quoque c. LIX sq. p. 273 sq.), făbella III, 76 (sic etiam Arianius), iŭgis iŭgiter I, 39; III, 64: 84 (cfr. supra p. 4 adn.). — Indulgebat Engelmodus rariorum vocabulorum libidini. Quae fere erat causa haec ponendi: turpiloquus III, 11 (cfr. DC.), camillus III, 79 (i. q. puerulus), cucariter I, 34 (cfr. Mai. nov. thes. p. 193 eucharis gratiosus, gratificus), Borinus (Licent. ad Augustin. p. l. m. ed. Wernsdorf. IV, 527 v. 57, Fort. falsa quantitate cfr. Leon. ind.), regetamen II, 67 (Prudent. bis), aromaticus (e. g. Sedul. Fort.), fascire III, 70, verenter (cfr. Vita Leudegar. II, 189: Sedul., Fort. C. X, 15, 11 et 12, 65), pubes II, 17 (i. q. barba) et deminutiv. lacteolus, igneolus, organulum, horridulus (I, 62), rancidulus III, 15; I, 13 (de quib. ride suis locis), sordidulus III, 54 (cfr. e. g. Eugen. Tolet. praef. Dracont. hexaem. ed. Lorenz. p. 35 v. 11), rosulae III, 137 (Dracont. et poet. Carol. I, p. 72 v. 8). — III, 43 'penitrare' reliqui, cum sit optimorum huius aevi codicum scriptura e. g. cod. Petropolit. s. VIII. (Fort. ed. Leo C. VI, 10, 63 passimque et Bonifat. huius corp. I, 5, 72) et cod. Monac. 14000 s. IX. et 'marcessere', de quo Sittl. archiv. Woelfflin. I, 515. Dein rimarum legibus constrictus contra consuetudinem I, 67 'tigrum' posuit pro 'tigridum', II, 76 'Thylae'*

I.

VERSUS ENGELMODI EPISCOPI.

Expeteres fidi si, cartula, limen amici,
Qualem credideras, quem — sed amica — notas,
Dicendi nitido suras evincta coturno
Aspectumque croco picta colore bono,
Festum laetitiae primo quoque marginis ore
Ostentare modis debueras tacitis
Supplice cum voto: nam sic decet affore caro,
Oscula mellitis primaque ferre labris.
At modo nec vultum forsan meritura petitum
Non dico relegi, sed nec honore coli —
Esto atramento tantum titulata nigello:
Namque est commodior tristibus iste color.
Nec non rancidulam resones cum pene querelam,
Cultus quis deceat, quam nec abire iuvat?
Ito tamen humilis digno cum pignere honoris
Praetendens solitum sedula servitium.
Perquirensque meum, pridem quem credidi, amicum
— Indignus tanto sim licet ipse bono —,
Limine fortassis si non exclusa iacebis
Fictoris lotus limus ut e manibus,
Invento unanimis tot dicito iura salutis,
Quot caelum stellae condecorant rutilae.

[I.] 2 quem ad sed *P* **an* quem adsecla? 3 dicenti *corr. P* 7 decet *in ras. P* 8 **an* pronaque? 14 deceant *corr. P*

pro 'Thyles'. Aeque noto iteris III, 34 (cfr. V. Leudeg. II, 236, Neue. I², 187), querci n. pl. I, 87 (cfr. id. 509 sq.), fasces fem. III, 120 (ibid. 674): 'sibi' pro 'ei' I, 82, solari I, 108 blandirique I, 88 III, 123 passiva, qui sunt barbarismi usitatissimi. Dehiscere c. acc. III, 155 procul dubio valet idem ac hiulcare, disicere (cfr. V. Leudegar. I, 44, ubi eidem c. accus. iuncto sensus subest aperiendi).

[I.] *Engelmodi episcopi versus quamquam inscribit codex, statuendum tamen est conditos ab Engelmodo nondum episcopo facto, facto forsitan esse collectos. Agium, quem adfatur (I, 30; 90), facile adsentior Duemmlero l. c. eum esse qui a 843 ad 867 f. episcopus erat Aurelianensis (de quo vide Boucher de Molandon in mém. d. l. soc. archéol. d. l'Orléanais XI, 449 sqq.). Conveniunt enim nomen non tam frequens, quin aliquid momenti adferat, et tempora (una cum Agio Engelmodus subscripsit concilio Suessionensi cfr. p. 54 adn. 2) neque scio an etiam mores (cfr. Lupi Ferrar. ep. XXI ed. Baluz. p. 43); et quod Agius Aurelianensis antea fuerat presbyter palati Karoli Calvi (cfr. concil. Vernens. can. X ibid. p. 201), quadrat hoc in Engelmod. I, 58. Ac ne a v. 95 quidem quidquam obstare opinor, quin carmen prius scriptum sit quam ad episcopatum Agius gradum faceret.* 3 *Ecl. VII,* 32 Puniceo stabis suras evincta cothurno. 4 *Aen. IX,* 611 picta croco..vestis. 6 *Potest poeta praeter involucrum scripturamve miniatam libelli ornatus parastichidi adlusisse omissae.* 8 *Ex Pont. I,* 4, 50 Caraque mutatis oscula ferre genis. 9 *sq. Nunc tamen quia fortasse digna eris quae cum invocata venias non modo non legaris, sed ne coloris quidem ...* 12 *Trist. I,* 1, 6 Non est conveniens luctibus ille color. 13 *sq. Et cum gemebunda sis, quaero: quinam ornatus ei aptus videtur esse, cui ne gratum quidem est domo discedere? Cfr. Eugen. Tolet. ed. Lorenz. p.* 19 *praef.* 3 Quamvis rancidulum rugata fronte susurres. 15 *Fast. II,* 633 ut grati pignus honoris. 21 *Cfr. Alcuin. XLVIII,* 3 (*I,* 261). 22 *Amat. I,* 59 Quot caelum stellas.

At tamen ante, oculo, sollers captare memento,
Ut te respiciat quave manu capiat.
Mitior e facie si flaverit aura subinde,
Nostra loqui audeto, omine fisa bono.
Falluntur stolidi, crebro falluntur et ipsi,
Pollent qui summi viribus ingenii.
Me quoque saevus amor, non infimus abstulit error,
Primum ut te merui cernere, dulcis Agi
Dulcisque et merito praesagi nominis almo
Felix, qui sanctis annumeratus eris.
Totus mellifluus, spirans et nectare totus,
Eucariter totus cerneris eximius.
Tullius eloquio, sensus et acumine Plato
Verborum miros fundis ab ore tropos.
Indole, care, tua, qua delectatus ut esca
Illicitur piscis dum capitur laqueis,
Te iugiter carum, te duxi semper amandum,
Te veraque fide institui colere.
Te stertens crevi, vigilans te pectore traxi,
Coniciens nostri te quoque amore capi.
Iam didici certe, nimium sed stultus inersque,
Seria non nostri complacuisse tibi,
Somnos velle leves zephyrosve tenere fugaces
Quamque sit incauti cordis et insipidi.
Etsi sub rutilo mihimet tuus ignis ocello
Risit nativo lacteolus genio --
Ah, Choridon, Choridon! decuit, stultissime, sed non
Te fore fortunae immemorem propriae.
Regum deliciis apta est gemmata parabsis,
Vilis pauperibus testa ministrat holus.
Pes perone calet, vertex diademate fulget,
Gaudent et merito singula quaeque suo.
Vidisti, docuit qui te fixumque probavit,
Quod nequeant celsi tangier astra poli.

---

23 mento *P corr. Foltz.* 24 respiat *P corr. Foltz.* 32 felis *altera man. corr. P* 40 colore *P corr. Manitius* 45 levens *corr. P* 47 *timet *P* 53 diatemate *corr. P*

24 *Eugen. l. c. ex Dracont. hexaem. II p.* 51 Ut me respiciat; *cfr. Theodulf. XXXVI,* 6 (*tom. I,* 527). 25 *Cfr. ex Pont. II,* 3, 26 Dum flavit velis aura secunda meis. 29 *Amor. II,* 7, 19 At mihi saevus amor; *Ecl. VIII,* 41 ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error. 30 *Cfr. Fort. C. IX,* 1, 30. 36 *Fort. C. VII,* 7, 12 fundis ab ore salem. 41 *Fort. C. VII,* 16, 3 vigili te pectore vidit. 45 *sq. Nunc scio quam stultum sit ventosi hominis amicitiam putare constantem.* 48 lacteolus *i. q.* purus, venustus, *cfr. Prud. per. III,* 164 *ut* igneolus *Engelm. III,* 17 *ex Prud. Cath. III,* 186. 49 *Ecl. II,* 69 A, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit? 50 *Trist. I,* 1, 10 Fortunae memorem te decet esse meae. 51 *sq. Sedul. c. p. praef.* 13 *sqq.* Cerea gemmatis flavescunt mella canistris | conlucentque suis aurea vasa favis. | At nos exiguum de paupere carpsimus horto, | rubra quod adpositum testa ministrat, holus; *cfr. Fast. V,* 334 Aptaque deliciis munera *et Sedul. pros. praef. ed. Huemer. p.* 176, 3 At nos de pauperis horti seminibus holus vile decerpsimus, quod in rubra testae parapside voto magis quam splendore cernimur ministrare. 56 *Fort. C. I,* 9, 6 qui colit astra poli.

Est etenim dulcis, sed deliciosus Alexis,
Solius domini dignus amore sui.
Nobilibus solum capitur, contemnit egentum
Forsan vimineas vel penetrare casas.
Tanguntur faciles quorum dulcedine amores,
Ferreus ut ruscos proterit horridulos.
Credo femineae non natum semine vulvae
Et mammas matris non tetigisse labris.
Temnat naturae rigidus qui iura benignae,
Solus et affectum non habeat hominum:
E saxis genitum hunc lactarunt ubera tigrum
Durum perpetuo frigore Sarmatico.
Et demens quid ago? quid adhuc conamine casso
Damnosae persto credere semen humo? —
Ignem adamans ludit, calibem non denique sentit,
Non mollitur aquis effera vis lapidis.
Obsequio, quivi quantum, iam nempe sategi,
Non duplex animo, si minor officio;
Sique velim donis, aderit non copia nobis:
Altaque nobilitas quaerit opes nimias.
Experiar certe, valeat si forte vel arte
Illius aversus iam revocari animus.
Namque olim nobis dedit is pia pignera amoris,
Pectore quae servo non moritura meo;
Verum abeunti aurae flantes a fronte Borinae
Nidorem nostri diripuere sibi.
Boeotiae morbos cantus domuere molestos
Ismenia doctis concrepitante modis,
Consedit metrico iuvenis insania ludo
Empedocle hospitii iura tuente sui,
Vatis Treicii — fertur — modulamine querci
Blanditae Aonia deseruere iuga:
Tu quoque carminibus Musis sacratus alumnus
Ingenua arte capi, care, valebis, Agi.

---

72 *molitur *P* 78 er *in* aversus *in ras. P* 81 aure *P* 83 *boetiae *P*

57 *Ecl. II,* 1 Formosum pastor Corydon ardebat Alexin, | delicias domini. 60 vimineus *est Ge. I,* 95. 62 ferreus *cfr. Zingerle. Ovid. u. s. Verhältn. z. d. Vorg. I,* 42. *Ecl. VII,* 42 horridior rusco, *cfr. Ge. II,* 413. 67 *sq. Cfr. Zingerle. l. c., add. Aen. IV,* 366 *sq.* sed duris genuit te cautibus horrens | Caucasus Hyrcanaeque admorunt ubera tigres. *Ex Pont. II,* 7, 72 Frigore perpetuo Sarmatis ora riget. 69 *Aen. IV,* 534 En quid ago? 70 *Ex Pont. I,* 5, 34 Damnosa persto condere semen humo. 72 *Aen. X,* 898 Effera vis animi. 76 *Trist. IV,* 4, 32 altae nobilitatis. 78 *Trist. II,* 557 Atque utinam revoces animum paulisper ab ira. 83 *sqq. Boeth. inst. mus. I,* 1, *ed. Friedl. p.* 185 tarditate modorum ... furentem petulantiam consedisse (v. 85) .... Ismenias vero Thebanus Boeotiorum pluribus, quos ischiadici doloris tormenta vexabant, modis fertur cunctas abstersisse molestias. Sed et Empedocles, cum eius hospitem quidam gladio furibundus invaderet, quod eius ille patrem accusatione damnasset, inflexisse modum dicitur canendi itaque adulescentis iracundiam temperasse. 87 *Met. XI,* 2 Threicius vates, *cfr. Radb. V. A.* 84, 338 *et Anthol. l. ed. R. c.* 628. 89 *Trist. II,* 39 Tu quoque. 90 *cfr.* 77.

Alia Sterculio gratissima, musta Lyeo;
Et trahitur studii omnis amore sui.
Novimus: urbanis late ditatus amicis,
Illorum nitido affluis obsequio,
Gloria pontificum, pollens quem purpura regum
Diligit, attollit et sub honore colit.
Non vero invideo, stomachi non felle tumesco,
Non livore voror, mente nec excrucior.
Et mage cura iugis vestri me tangit amoris
Optoque, care mihi, te super ista vehi.
Foedus amicitiae tandem sed respice nostrae,
Quam, si forte velis, dissimulare nequis:
Profuit exigui precibus cessisse leoni
Muris complicito decipulae laqueo.
Et si fors gelidae riguit pro tempore brumae
Noster amor, laxis iam revirescat agris.
Atque utinam mihimet te sepe videre liceret
Solarique tuo crebrius alloquio
Nec non et collum cupido dare brachia circum;
Quod cum plus sitio, vota negata gemo.
Scito tamen, quavis absens regione moreris,
Umquam non animo temet abesse meo.
Iamque verecundas miseri cohibeto querelas
Carminis affectum, pagina, fata meum.

---

91 **An* squalida ? stelrculio *corr. P* 97 *invidio *P*

91 *sq. Augustin. ep. cl. I,* 17, *ubi est etiam ecl. II,* 65 trahit sua quemque voluptas, *cfr. Augustin. de morib. manich. II,* 12. 95 *Fort. C. III,* 21, 2 *et saepius* Gloria pontificum. *Ge. II,* 495 purpura regum. 101 *sq. Trist. III,* 6, 1 *sq.* Foedus amicitiae nec vis, carissime, nostrae, nec si forte velis, dissimulare potes. 103 *sq. Potest esse ut Engelmodus hanc et II,* 7 *sqq. fabellam iam in pleniore illo et in prosam converso Phaedro invenerit, ad quem qui easdem continent redire videntur cod. Wisseburg. II,* 11 *et* 10, *Romulus I,* 17 *et* 16 *(cfr. Oesterley. Romul. p.* 48 *sq.), anonym. Nilanti* 18 *et* 17; *possumus etiam suspicari Engelmodum ipsum illum fontem adiisse Babrium (cfr. Eberhard. ed. n.* 107; 132 *et Dosith. fab.* 2) *latinizantem, unde uterque apologus a Phaedri paraphrasta est petitus qui in primi sui secundive libri fine collocaretur. Meliorem certe quam hic lectionem sequitur* decipulam *scribens (Babr. ἐδικτυώθη), non* foveam (*sic Oesterl. p.* 49, 17). *Ge. I,* 181 exiguus mus. 105 *Trist. IV,* 7, 1 gelidae post frigora brumae. 108 *cfr. ex Pont. I,* 6, 18. 109 *Aen. II,* 792; *VI,* 700 Ter conatus ibi collo dare bracchia circum. 110 *Fort. C. VII,* 8 Et cum plus cupiam, vota negata (nugata *codd. consens.*) gemam. 111 *sq. Trist. III,* 4, 73 *sq.* Scite tamen, quamvis longa regione remotus | absim, vos animo semper adesse meo. 114 *Eugen. Tolet. part. I,* 24, 19 *ed. Lor. p.* 31. En quia deprompsit affectum pagina nostrum.

II.

ITEM CUIUS SUPRA.

Castalidum madidos divino rore corimbos
Intexens docto non satis articulo,
Devoto strophium, dignissime papa, sacratum
Compegi studio, si tibi complacito,
Absens, qui nequeo praesens, quo, sancte, saluto
Temet et aeternis opto vigere bonis.
Officio incautus fertur sed sicut asellus
Sero stultitiam ingemuisse suam
Infelix domini monitus sub verbere laesi:
Contentum proprio quemque placere modo —
Forsan praesumptor, id meque fatente videbor,
Ausim qui scripti mittere verba tibi
Indignus digno, modicus super aethera celso,
Rusticus urbano indocilisque cato.
Cuius si, primis qua nobilitaris ab annis,
Ferre velim palmam indole promeritam,
Omnis virtutum superatus mole tuarum
Fandi conatus deficiet citius,
Ut nec dulciloqui dives facundia Marci
Suppeditet, lepidi sed neque Virgilii.
Visceribus matris nam sanctificatus in ipsis,
Testatur vitae ut nitor innocuae,
Saltem lascivi numquam levitate cachinni
Mores ingenui dedecorasti animi;
A proavis regum generosa stirpe potentum
Nobilis, at dignis nobilior meritis,
Quorum, pube genas cum nondum spargeret aetas
Vixque novus cunis prodieras positis,
Inter morigeros grato splendore coaevos
Pollebas Phoebi assimilis rutili,
Iam tunc emeritos vere patresque togatos
Aequiperans cani laudibus ingenii.
Tunc ego — dignaris, credo, meminisse — ministris
Unus eram ex vestris, heu piger obsequiis.
Et velut in teneris et nondum falce resectis
Si fruticent gemmae palmitibus subitae,

[II.] HVIVS *corr.* CVIVS *P* 4 studium *corr. P* 5 sanctae *corr. P* 24 dedecoronasti *P corr. Foltz.* 36 *fluticent *P*

[II.] *Hac quoque epistola Duemmlerus censet Agium Aurelianensem episcopum praedicari. A quo dissentio: Agius homo est fingendus levis, ventosus, nobilibus studens, ortu ipse ignobilis; hic adpellatur episcopus genere speciosus, verecundus, fronte rugata. Qui quis fuerit nescimus.* 7 *sqq. Cfr. supra ad. c. I,* 103 *et ad Engelm. verba Avian.* 8, 1 Contentum propriis sapientem vivere rebus; *in gestis Rom.* 79 *p.* 396 *ed. Oest. eadem fabula inscribitur* quod quis nescit presumere non audebit. 26 *Fort. C. IV,* 13. 4 Nobilis et merito nobiliore potens. 28 *Met. III,* 313 primis . . . cunis. 31 *Aen. I,* 282 gentemque togatam. 35 *sq. Amor. I,* 15, 12 falce resecta Ceres. *Fast. III,* 238 Uvidaque in tenero palmite gemma tumet.

Mirabar, tibimet quod tam matura subesset
In verbis gravitas, in studiis probitas.
Digno exercitii sed enim cultore superni,
Mens fecunda deo aruerat vicio
Grataque nidorem late sparsura per orbem
Nardus rore pio floruerat domino,
Denique, quo tradunt interque crepundia magnum
Alciden ludo enituisse novo,
Iam pede virosi noras calcare chelidri
Colla neque astutis fallier illecebris.
Quis tibi pro meritis cessit, qui praesidet astris,
Supremum gradibus pontificale decus
Laturus nitidi posthinc super ardua caeli
Inter sceptrigeros florida serta choros.
Praestat namque: facem casto fulgore nitentem
Arce super celsi constitui tumuli.
At modo divinis iugiter animata fluentis
Semina, quae miro prodierant cumulo,
Fertilitate boni quantum felicia grani
Excrescant, mundus novit ubique pius.
Suppliciter qui te caro conplexus amore
Praedicat attollit glorificat recolit;
Undique diffusa iocundi nectaris aura,
Proluit ex arvo quae, benedicte, tuo,
Infula pontificum per quem decorata sacrorum
Evehitur merito, nobilis et proprio,
Cuius et ipsorum sublimis gloria regum
Subditur imperio te venerans animo.
Te quoque posthabito mundani culminis ostro
Diligit ut dulcem plebs trabeata patrem;
Qui pater es viduis, vegetamen quique pupillis,
Solamen mestis fidaque spes miseris
Quique, in praesidium non umquam pauper egentum,
Cunctos materno rite foves gremio,
Cuius ab ore sacrae decurrens vena sophiae
Ructat inexhausti dogmata larga favi,
Cuius et e digitis myrra stillante supernis
Infertur foribus ardor aromaticus,
Gratia quae, tostos cum iam perlustret et Indos,
Occupet et Thylae extima praegelidae.

---

60 roluit *ex* proluit *in ras. P* 65 *post* quoque *eras.* est *P* 67 ens *corr. P* pupullis *corr. P* 76 Thyle *P*

40 *Fort. C. VIII,* 9, 1 Mens fecunda deo. 43 *sq. cfr. Prudent. apoth.* 643 puerique crepundia parvi. *Aen. V,* 414 magnum Alciden. 45 *cfr. Eugen. Tolet. part. I,* 5, 5 *ed. Lorenz. p.* 21 viroso .. angue. 49 *Arat. I,* 5 ardua caeli. 50 *Fast. VI,* 312 florida serta molas. 55 *e. g. Matth.* 13, 31. 58 *cfr. I,* 96. 61 *Construas:* per quem *(i. e.* mundum pium *v. 56)* evehitur *(i. q.* defertur) infula *et* pontificum et proprio merito decorata. 66 *Fort. app. II,* 94 Teque sibi dominam plebs trabeata colat. 75 *sq. Cfr. Fort. C. VIII,* 1, 15 Eloquii currente rota penetravit ad Indos | ingeniumque potens ultima Thyle colit.

O quam felici meruerunt sorte beari,
Adsunt vicino qui tibi servitio.
De grege namque tuo numquam custode fugato
Fur valuit hedum tollere vel minimum
Aut lupus exiguam ieiunis morsibus agnam
Laedere delusa calliditate fera;
Sed niveo totus pietatis vellere amictus
Novit septa poli te praeeunte sequi.
Cuius lauriferis vallatus mille catervis
Iudice cum Christo ibis honore tuo,
Eius et in dextra praepollens dote beata
Exceptus roseo iura dabis solio.
Ah memorans paveo, cum me — pallensque tremisco —
Inter setigeros leva tenebit apros
Pro scelerum culpa damnandum vindicis ira
Tendentemque tuo lumina subsidio:
Lumina, nam geminas arcebunt vincula palmas,
Cervicem nodus atque premet rigidus.
Sed, posco, mediis te tunc oppone periclis,
Raptum meque pius adde tuis ovibus.
Nunc quoque, divinas roseum libamen ad aras
Cum fundis, famuli sis memor, oro, tui
Vel, cum ture precum redolent interna tuarum,
Sacrorum fumo astra petente bono.
Namque ego devotus, vitae dum flabilis haustus
Sufficiet fotum visceribus tenerum,
Corde pio carum temet memorabo patronum,
Cuius amor nostro non abit ex animo
Quique, licet nostris longe remoreris ab oris,
Laudibus et meritis non tamen umquam aberis.

---

85 cartervis *P* 94 rididus *P corr. Manitius* 97 libumen *corr. P* 98 meror *P corr. Manitius* 103 cameum *corr. P* 105 remorores *corr. P*

79 *sqq. cfr. Fort. C. IV,* 3, 2 *sq.* Te custode pio numquam lupus abstulit agnum | nec de fure timens pascua carpsit ovis, *cfr. ibid. III,* 3, 29 *sq.;* 11, 19 *sq.;* 13, 25 *sq.;* 15, 13 *sq.; IX,* 9, 13. *Sedul. I,* 173 Tradidit inlaesam ieiunis morsibus escam. 82 calliditatis *formae hoc versu loco saep. Ovid. e. g. [Or.] Ep. XIX,* 126 Teque mea laedi calliditate puto. 83 *Fort. spur. p.* 380 *L.,* 351 Vellere candidior niveo. 88 *cfr. Aen. I,* 506 *sq.* solioque ... resedit. | Iura dabat. 89 *cfr. Eugen. Tolet. part. I,* 12 *ed. Lorenz. p.* 26 Talia dum rite paveo, dum corde tremesco. 92 *sq. Aen. II,* 405 *sq.* Ad caelum tendens ardentia lumina frustra, | lumina, nam teneras (geminas *Sedul. V,* 2, 9) arcebant vincula palmas. 97 *sq. Fort. C. V,* 5, 133 Fudit aromaticum domini libamen ad aram. 98 *e. g. Eugen. Tolet. part. I,* 24, 22 miseri sis memor, alme, tui. 105 *sq. cfr. I,* 111 *sq.*

III.

CUIUS SUPRA AD RATBERTUM ABBATEM.

Eloquii cultu vernantem texere mitram
Bratteolisque auri fulgens diadema polire,
Quo te, sancte pater, devotio dulcis adornet,
Ingenii vires docilisque industria fandi
Nobilium poterit doctorum compote voto,
Qui te fertilibus satiati rite magistro
Doctrinae dapibus salientes dogmatis undas
Largifluosque vomunt arguti carminis imbres;
At nos exiguum sterili de cespite gramen
Devotum tibimet carpentes munus amoris
Turpiloquis liquidas temeramus lusibus odas
Materiesque virens calamo marcessit inerti.
Unde fuit pigri satius pressisse labelli
Organulum laesae vocis cohibendo fragorem,
Ne quid rancidulum lepidae mulcedinis aures
Exciperent nectarve favi turbaret amaror.
Sed tamen igneolus devoti pectoris ardor,
Quo te, carus amor, placido complector honore,
Non modo reflexae temnit retinacula habenae:
Septorum pariter praedura repagula rumpens
Cum campo sed enim sese committit aperto
Effrenisque iubis aurarum flabra lacessit,
Non se carceribus fusum per inania ferri
Sentit et oppositas ludens pede proterit ulvas.
Ergo, beate pater, decus et lux aurea mundi,
Aecclesiae columen, paradisi maxima cedrus,
Relligionis apex, fidei fortissimus umbo,
Ergo, precor, liceat cursim mihi plaudere agrestis
Ingenii nugis, rauca reboante Talia,
Festivos ludos simplexque retexere carmen.
Nam dignum tibimet laudum praeconia ferre

[III.] *Inscriptio in ras., sed prima man. P* 16 amoror *corr. P*

[III.] 2 *cfr. Fort. V. M. II,* 289 Tectus bratteolis vacuo diademate pulcher *et Alcuin. de SS. Eubor.* 279 (*I,* 176) Auri brateolis (*sic leg. pro Galei* blateolis) pulchre distincta coronas. 4 *Ex Pont. III,* 3, 34 Ingenii vires. 14 *cfr. Fulg. mythol. praef. ed. Stav. p.* 604 Nam me avium quaedam vernulitas, quae fragili quadam dulcedine crispantes sibilos corneis edunt organulis, ad hoc opus adlexerat. Laesae *pro* fractae *vel* raucae *posuit* (raucus fragor *Fort. II,* 9, 8). 15 *cfr. I,* 13. 16 *Ge. II,* 247 torquebit amaror. 17 *cfr. I,* 48. *Iuvenc. I,* 645 devoti pectoris aptum. 17 *sqq. Meus ardor [cum equi ardore conparandus est, qui] ... non temnit etc.* 19 *sqq. Ge. I,* 512 *sqq.* Ut cum carceribus sese effudere quadrigae, | addunt in spatia et frustra retinacula tendens fertur equis auriga neque audit currus habenas; *Aen. XI,* 493 Tandem liber equus campoque potitus aperto .... luduntque iubae per colla; *cfr. Met. II,* 155 *ad* repagula; *ibid. II,* 506 raptos per inania vento; *ibid. II,* 791 proterit arva. 25 *Iuvenc. III,* 15 lux aurea mundi. 26 *Fort. I,* 15, 91 Ecclesiae columen. 27 *Fort. C. V,* 10, 2 religionis apex. 31 *Ex Pont. IV,* 8, 45 praeconia laudum.

Mirandumque decus vitae vulgare verenter
Lampade iustitiae, qua cunctis celsa beati
Praemonstras iteris tendentis ad atria vitae
Et qua iam felix meruisti patris in albo
Conscribi caeli sociandus civibus almis.
Gloria te magnum praeclari monstrat honoris,
Quo tibimet cuncti, latus quos continet orbis,
Obsequiis parere piis et supplice voto
Exoptant, gaudent, certant, cupiunt sataguntque.
Gratia sed potior virtutum culmine surgit
Atque iubar fidei praefulgens solis ad instar
Caelestis penitrat solii sublime tribunal;
Qui meritis florens, morum probitate relucens,
Ingenio pollens, sensus moderamine gaudens,
Obsequio fervens pietatisque ignibus ardens,
Mansuetus, placidus, prudens iustusque, benignus,
Devotus, humilis, mitis blandusque probaris;
Quem non ira ferox, non atri ruga tumoris,
Virus non odii, invidiae non denique pestis,
Non lascivus amor, fedus non ardor habendi,
Non mentita fidem simulatio crimine fallens,
Non quoque latratus spumantis iurgia litis
Sordidulae labis coenoso polluit actu
Aut tempestivum mentis tenebravit acumen:
Sed pia simplicitas, virtus et conscia recti.
Quarum lacte sacro primis nutritus ab annis
Virgineisque simul blanditus rite fluentis,
Ut cuculum tradunt irruptis crescere nidis
Dum Lucina melos nocturnis personat hymnis,
Inter florigeros divini dogmatis hortos
Aetatis solidum crevisti tempus ad usque.
Galbanei nitido perflatum nectare roris
Ridentes docuere iugi gaudere sereno
Cunctorumque animis dulci bonitate placere.
His etenim temet vegetandum providus auctor,
Imperio qui cuncta tenens excelsa vel ima
Aeterna ratione regit, quod condidit ipse,

---

37 montrat *corr. P* 52 carmine *P corr. Sirm.* 58 fomentis *P corr. Rivin. ad Ratherti carm. gem. not. p. A* 5, *cfr. Engelm. II,* 53 61 ortos *P corr. Sirm.*

35 *Fulgent. mythol. praef. I, ed. Star. p.* 608 Iovis albo conscripta. 42 *cfr. Fort. C. II,* 4, 4 factoris ad instar; *Eugen. Tolet. l. c. p.* 56 molis ad instar; *Aldhelm. laud. virg.* 107 cotis ad instar, *cfr. ib.* 2015. 45 *Fort. C. IX,* 1, 120 Ingenio pollens *et III,* 24, 11 sensus moderamine firmus. 51 *Ge. IV,* 177 amor urguet habendi, *cfr. Boeth. de consol. II,* metr. 5, 26. 53 *Eugen. Tolet. part. I,* 1, 11 *ed. Lor. p.* 20 iurgia litis. 56 *Aen. I,* 604 et mens sibi conscia recti; *V,* 455 et conscia virtus. 58 *sqq. et* 69 *sqq. cfr. Radbert. s. p.* 38. 61 *Bedae de die iudici* 1 Inter florigeras fecundi cespitis herbas. 63 Galbaneos. *cfr. Ge. IV,* 264 *et III,* 415. 64 serenum *substant. cum adiectiv. coniunctum ut saepe Fort. cfr. Leon. ind., cui adde III,* 9, 1. 65 *cfr. Fort. C. V,* 9, 11 Vir bonitate placens. 67 *Sedul. V,* 427 Iure suo, qui cuncta tenens excelsa vel ima.

Legavit tenerum, cum prima crepundia matris,
Quae genuit, nigri fascirent tegmina panni
Expositumque vorax ambiret mortis imago.
Germine quae supero divini sanguinis ortae
Angelicique chori conserta dote gregales
Te quoque concivem caeli super ardua raptum
Rite ministeriis aptarent cunctipotentis.
Nec incerta fides aut rerum ficta fabella,
Ut quondam studiis praepollens docta vetustas
Prodigiosa vomens laesi documenta cerebri
Lascivos super astra toros mollesque camilli
Amplexus statuit rapti Ganimedis honores
Hocque deum Saturninum venerata decenti
Sacrorum ritu stupris maculavit Olimpum;
Verum pro meritis imitandae relligionis,
Qua iugibus votis Christo domino famularis,
Haec tibi Christicolae digno sacramus honore.
O veneranda viri simplex et sancta colendis
Mens moderata, bonis semperque intenta supernis,
Angelicis conserta choris exultat in astris,
Gaudet apostolicis felix sotiata catervis,
Agmina martyrii cernit decorata cruore,
Cum grege candidulo spatiatur virginitatis,
In patriarcharum solio requiescit ovando,
Conserto alloquitur vigiles sermone prophetas,
Mistica percurrens epulatur dogmata vitae
Hisque iugi studio caenis satianda recumbit.
Ac velut exemptis zephyro spirante pruinis,
Florida cum tellus pubentes parturit herbas
Vere novo pingens distincta coloribus arva,
Exercetur apum campis dispersa iuventus
Praeteritos hiemis metuens quassata labores
Purpureosque legit flores et flumina libat,
Nec mora nec requies, quin aut liquentia mella
Includat tenui compactis nectare cellis

---

69 crepundii *corr. P* 71 immago *corr. P* 77 doota *corr. P* 81 saturninunum *corr. P* 87 in tanta *corr. P* 89 apostolicus *P corr. Sirm.* 100 praetoritos *P corr. Sirm.* laboris *corr. P*

71 *Aen. II,* 369 et plurima mortis imago. 75 *Fort. I,* 15, 80 Rite ministerio; *Eugen. Tolet. part. III,* 59, 44 *ed. Lor. p.* 69 R. ministerium. 77 *Fort. C. V,* 5, 35 docta vetustas. 79 *sq. Aen. VIII,* 388 amplexu molli; *I,* 28 rapti Ganymedis honores. 81 Saturninum *i. q.* Saturnium. 87 *Fort. C. IV,* 26, 27 Divinis intenta bonis. 91 *Prud. Cath. II,* 157 de grege candidulo, *cfr. c. I,* 48. 94 *cfr. Radbert. c. III,* 1. 97 *sq. Cul.* 70 *sq.* Florida cum tellus gemmantis picta per herbas | vere novo *(sic Vossian.)* dulci distincta coloribus arva; *Aen. IV,* 514 pubentes herbae. Parturit *cfr. Ge. II,* 330 *et Ecl. III,* 56. 99 *Ge. IV,* 159 Exercentur agris (*sc.* apes); *ib.* 22 emissa iuventus. 100 *ib.* 156 venturaeque hiemis memores aestate laborem | experientur *(Engelmod.* laborum *legit, ut praebet Bernens. quidam s. IX).* 101 *ib.* 54 Purpureosque metunt flores et flumina libant. 102 *sq. Ge. III,* 110 Nec mora nec requies; *Aen. I,* 432 *sq.* aut cum liquentia mella | stipant et dulci distendunt nectare cellas *(hinc enim sumpsit Engelm., non ex Ge. IV,* 164 *sq.).*

Glutine vel lento fundamina dura favorum
Extruat aut croceas disponat in ordine ceras:
Fervet cura frequens, adolent purissima mella —
Sic tu, dulce decus, divino captus amore
Dum cordis speculo caelestia sola tueris,
Liber in excelsis animi ratione locatus
Eloquii sacri saltus et amoena virecta
Pervolitas, vitae liquido quae fonte rigata
Iocundis vernant foliis et flore perenni.
Quorum rore pio distentus viscera blande
Exceptoque recens oneratus brachia suco,
Impatiens animum somno relevare quietis
Aut documentorum nectar stillando refundis
Librorumve favos operoso construis actu.
Et cum iam meritis caput inter sidera tantis
Extuleris flavo redimitus tempora serto,
Ut te devota venerentur laude superbae
Imperii fasces et fulgens gloria regni,
Plausibus inque tuis populosa teatra resultent,
Ventosi numquam blanditus folle favoris,
Supplex atque humilis felici iure bearis.
Quem cum quisque adiit nebuloso pectore tristis,
Defecisse gemens exhausti farris acervum,
Vocibus aut querulis incusans sortis iniquae
Pondere se pressum miserandam ducere vitam,
Continuo largi recreatus munere doni
Consiliive cati blando solamine fretus,
Gaudens atque hilaris propriam repedavit ad edem.
Quodque magis stupeo mira dulcedine pastus:
Corporis in gestu radiant insignia mentis
Archanumque animi vultus redimicula signant.
Caesaries etenim niveo candore nitescens
Virgineum cordi praepandit inesse pudorem;
At rosulis facies similis formosa rubescens
Bellantis titulat victo serpente tropheum
Aut ardore suo flammas imitatur amoris;
Nam visus parilis ridens et honesta voluptas,
Castores ut credam laeto fulgere nitore,

113 distentis *corr. P* 114 honeratus *P corr. Sirm.*

104 *sq. Ge. IV,* 160 *sqq.* et lentum de cortice gluten | prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces | suspendunt ceras. 106 *ib.* 169 Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella; *ib.* 163 purissima mella. 107 *Fort. C. XI,* 5, 1 Dulce decus nostrum. 110 *e. g. Aen. VI,* 638 et amoena virecta. 114 *cfr. Fast. V,* 169 Atlas umeros oneratus Olympo *et infra ad v.* 168. 117 *Fort. C. VII,* 7, 74 nectare qui plenus construis ore favos. 118 *sq. cfr. Ecl. I,* 24. 119 *e. g. Ge. I,* 349 redimitus tempora quercu. 121 *cfr. Ge. II,* 495. 122 *Ex Pont. II,* 6, 28 In quorum plausus tota theatra sonant. 123 *cfr. Aen. VIII,* 449 ventosis follibus *et Aldhelm. laud. virg.* 72. 125 *Prudent. psychom.* 893 nebuloso in pectore sensus. 126 *Ge. I,* 185 ingentem farris acervom. 128 *Aen. II,* 641 voluissent ducere vitam. 131 *Iurenc. I,* 139 Ad propriamque domum repedat. 132 *Fort. C. IV,* 6, 11 placida dulcedine pastus. 139 *cfr. Met. II,* 2. 140 *Trist. II,* 357 sed honesta voluptas.

Actus et Fidei palmam pingit sotialem
Vel gustata refert caelestis gaudia regni.
Circumfusa iubis blando sinuamine cervix
More Spei latitat virtutum tegmine septae;
Gratia quae labiis vel quae sit in ore venustas,
Non capit ingenium, fandi nec copia perfert.
Largior unde fluens salientis vena sophiae
Eloquiique altos emanans profiua rivos,
Aureolas verbi glebas viridesque lapillos
Gemmantis sensus nitidis profundit arenis.
Quorum fulminibus armatus rite lacertos
Contortoque gravis Balearis verbere fundae
Semiferum facili prosternis cede Goliam,
Hostilis pariter cunei portenta dehiscens.
Huic te, sancte pater, iuvat insudare palestrae
Pro grege sacrifico, pro castris cunctipotentis,
His exercitiis duros tolerare labores,
Dum vitalis adest flatus, dum vesceris auris
Praemia multiplici laturus fruge beata.
Cum rex altithronus mundum discreverit urna
Iudicii cunctisque vicem dependerit actus,
Tunc te florigero — confido — clarificatum
Excipiet gremio sublimis gloria regni
Tuncque beatorum gaudebis consotiatus
Agminibus felixque frueris luce perenni.
At me (heu — lacrimosa fero referensque tremesco)
Pondere peccandi devinctum colla catenis
Tunc forsan misere cessum tortoribus atris
Damnabit nimium crudelis vindicis ira
Exceptumque rapax amburet flamma gehennae.
Sed tu, sancte, precor, mediis te oppone periclis
Auxiliique pio defendens rore misellum
Fumificos poenae placidus compesce vapores.
Et iam tempus adest funem religare carinae
Excursumque levem morsu stabilire saburrae,
Liberius, ne forte, ratem dum credimus austris,
Illisi scopulis sero revehamur ad agros.

---

153 belearis *P corr. Sirm.* 157 castis *P corr. Sirm.* 161 antithronus *corr. P* 165 consociatus *corr. P* 170 undicis *P corr. Foltz* 174 poene *altera man. corr. P*

142 *sqq. Laudes subaudiendae sunt Radberto oblatae propter opus quod de fide et spe scripserat.* 147 *Aen. I,* 520 copia fandi. 148 *cfr. v.* 7. 153 *Ge. I,* 309 torquentem Balearis verbera fundae. 154 *Sedul. hymn. I,* 47 qui sternis caede Goliam. 157 *cfr. Fulgent. mythol. l. c. p.* 615 Sudore hic opus est palaestrantis ingenii. 158 *e. g. Met. XV,* 121 tolerare labores. 159 *Aen. I,* 546 si vescitur aura. 166 *Fort. C. IV,* 14, 4 luce perenne frui, *cfr. ib. I,* 1, 13; *ib.* 12, 11; *IV,* 26, 135; *VIII,* 3, 79. 167 *Aen. II,* 204 Horresco referens, *cfr. Engelm. II,* 89. 168 *Amat. I,* 215 onerati colla catenis. 170 *cfr. II,* 91. 172 *cfr. II,* 95. 175 *e. g. ex Pont. II,* 2, 69 Tempus adest. 176 *Mire sibi haec confinxit ex Ge. IV,* 194 *sq.* Excursusque brevis temptant et saepe lapillos, | ut cumbae instabiles fluctu iactante saburram *et e. g. Aen. I,* 169 alligat anchora morsu. *Rectius in eodem simili Apollin. Sidon. c. XXIV, fin.* 178 *Ge. III,* 261 *sq.* scopulis inlisa reclamant | aequora.

AUDRADI MODICI CARMINA.

Audradus Modicus[1] *intra anni 847 et 848 Kalendas Martias*[2] *ex sacerdote*[3] *chorepiscopus Senonensis in synodo Senonensi electus et a Wanilone ecclesiae suae metropolita consecratus invidiarum tempestati chorepiscopatu impendenti anno 849 succubuit*

1) *De Audradi vita quae posui ut defendam, libri quem scripsit revelationum paucis ostendam liniamenta: quantum per fragmenta licet, quorum ab Albrico Triumfontium monacho in chronicis (ed. Scheffer-Boichhorst SS. XXIII, 733 sqq.) pars nominatim adfertur, pars e Sirmondi aliquo codice a Quercetano (hist. Fr. script. II, 390 sqq., unde iterarunt Bouquet rer. Gall. script. VII, 289 sqq. et Migne CXV, 23 sqq. patrol., ex Bouquet. Duru bibl. hist. d. l. Yonne I, 250 sqq.) seorsum est edita, particula utrobique invenitur, qua invicem se expediunt et operis perlucet commissura. [Hinc apud Albricum si modo operae est pretium 735, 8* Wanilo *scribas pro* Wavilo — *Wanilo Wenilo Guenilo promiscue usurpantur, praefertur ab Audrado Wanilo — idemque 735, 3, qui locus conparandus erat cum Odoramni ed. Duru l. c. II, 392; 735, 49* deiiciatur *pro* decipiatur; *apud Audradum cap. VIII ed. Q. p. 390 C* itidem *pro* eisdem *secundum Albrici* similiter; *c. IX, 391 C* ⟨vix⟩ vivus *certa Mignei (?) coniectura ex Albric. 736, 6; ad haec pro eo quod c. VIII, 391 A* Hl. *fertur apud Quercet. et a Migneo depravatur in* Lotharius, *cum Bouquetio enodandum* Hludovicus *et saepius pro* deus *quo patrem deum significabat* dominus *restituendum i. e. Christus.] Dupliciter autem et proprie indicavit Audradus, quae sollemni in visionibus apparatu usus* (rapuit spiritus, raptus vidit) *post eventum scripsit vaticinia, quibusnam ea annis sibi a domino sanctis angelis data fuissent.* Legatus *quippe* ecclesiarum *cum sibi videretur esse e divino numine, rerum memoriam non volgares in annos dispertiit, sed conputum sibi invenit a principio huius legationis. Quo factum est ut Albricum induceret et Scheffer-Boichhorstium. Nam verba ex quibus nobis incipiunt revelationes 733, 17* Mense tertio, 25. die, ebdomadis autem 4., dum .. letaniarum festa ab ecclesiis generaliter agerentur, sol conversus est in tenebras *scire velim quo pacto cum anni 842 rationibus coeant. Sed aperte palamque notissimam ad eclipsin spectant quae* per universum mundum *facta est 840 a. d. III. Non. Mai.; qui dies et fuit hoc anno feria quarta et cecidit in litanias minores (cfr. quoque de his annal. Fuld. SS. I, 362, 14). Unde ut Audradiani anni primordium recuperamus fere a. d. IV. Id. Febr. 840 hoc anno caput ieiuni. Altero conputo in* induciarum annos *insequentium temporum facta digessit denuo interpretes decipiens ut puta Mansium et Domnum Riretium. Etenim quae apud Albricum sunt Audradi 734, 40 sqq.* Mense primo vicesima die mensis aurora diei eram orans pro salute ecclesiarum .... et ait angelus ad me: 'Scias Nortmannos Parisius esse venturos et inde reversuros et huic genti decem annos ad penitentiam dari'. Factum est autem, ut ascendentibus Normannis per Sequanam fluvium occurreret eis Karolus rex ... et non potuerunt prohibere, quin Parisius .. intrarent vigilia Pasche 5. Kal. Apriles etc., *ubi ea cum Quercet. c. XXIV, 393 B sq. contuleris,* decennes inducias *orante Audrado patri deo invito a Christo pro Francorum gente extortas esse efficies. Ac quod Normanni a. d. V. Kal. April. Lutetiam intrarunt anno 845, primo videtur obtutu ab ipso illo die et anno indutiarum primum annum numeratum esse Audrado. Verumtamen ex Querc. XV, 393 A cum discamus Martini Tur. monasterium destructum esse anno nono indutiarum nono mense et ex c. IX, 292 A indutiarum anni sexti mensem tertium pleno anno fuisse antequam occisus erat Virianus, hoc autem sciamus factum a. d. X. Kal. Sept. 851 illud a. d. VI. Id. Nov. 853: eo adducimur*

depositus in concilio Parisino.[4] *Post annum 853*[5] defunctus in basilica B. Desiderii *prope Nivernum*[6] est sepultus XVII. Kalendas Februarii.[7]

---

ut indutiarum annos non a Parisiis expugnatis computemus, sed ab angeli qui praedixerat adparitione; quae fuit Audradiani anni mense primo vicesima die i. e. circiter Kal. Mart. 845. Quibus ex calculis ratiocinati praeter ea quae supra usurpavimus aliquanto quam fiebat rectius intellegimus Quercet. c. XV, 392 B sqq.: Anno DCCCLIII hoc est induciarum IX tertio mense iterum evocavit me rex Karolus ad se. Et cum principibus ecclesiarum testibus Wanilone Hincmaro Amalrico Pardulo *(ego;* Leopardulo *edd.)* . . praesente . . Ermentrude coepit percontari . . . . Sed ad provocandam adhuc iram omnipotentis accersivit quendam diaconum nomine Burchardum qui erat partibus Hlotharii regis et commendavit illi ecclesiam Carnutensium, ut esset in ea pontifex . . . . et dixit Weniloni Senonum archiepiscopo, ut eum ordinaret episcopum . . . . Et ego conventui episcoporum, qui ob hoc Senonas convenerunt, rettuli . . . Sed . . . mense quarto anno induciarum nono ordinatus est episcopus. *Nam consentaneum est Audradum intra Mai. et Iun. ad regem venisse post ipsam synodum Suessionensem quae habita est April., conventum Senonensem fuisse peracta Suessionensi Senonasque convenisse qui Burchardi ob causam ex can. III. concil. Suess. (Mansi. XIV, 980) huc* directi sunt — *secus haec et versa vice putabant —, Burchardum intra Iun. et Iul. ordinatum esse eodemque vel posteriore tempore iterum actis Suession. (Mansi. 989) subscripsisse. Unus Cellotius hist. Gotteschalci Paris 1655 p. 272 verum subsentiebat, qui cum alia tum haec: 'Quis sit ille mensis quartus (sc. Audradi) non facile dixero. Non potest enim duci a Ianuario, quia exeunte Aprili, qui quartus anni mensis est, habitum est Suessionense Concilium, quo causa Burchardi cognita decreta est ordinatio. Credat quis annum induciarum numerari a Propheta: sed ille quo mense incipiat penitus ignotum est, in Codice manuscripto deficiente visionis initio, quo probabile est mensem et diem orationis annotatum. Nulla lex chronologiae vetat' — neque tamen cogit ulla — 'nos ab mense Martio inchoare et mense quarto i. e. Iunio factum Burchardi . . . . coniicere potius quam asserere'.* 2) *Albric. 735, 8* Anno induciarum tertio . . evocavit ipsum archiepiscopus Wanilo (Wavilo *Sch.-B.*) Senonem et habita synodo eundem per electionem corepiscopum Senonensem consecravit. 3) *ib. 733, 19. An in Nivernensi, ubi sepultus est? cfr. adn. 2.*

4) *Albric. 735, 17* Anno induciarum quinto . . . . . Inde *(Roma)* Senonas reversus Parisius ad concilium evocatus est et non solum ipse sed etiam omnes alii corepiscopi qui erant in Francia *(sic Sch.-B. ex cod. Hannover.,* sed et omnes alii corepiscopi q. etiam i. F. erant *cod. Paris. de summa igitur non diversus)* in eodem concilio depositi sunt. *Quo loco tametsi omnes in Francia chorepiscopos deiectos esse ultra verum dictum videtur esse cfr. Wenck. d. Fraenk. Reich p. 391 sq. et iam Mabilionem annal. II, 685 sq., tamen incuriose Schroers Hincmar p. 50, 98 verbis ut XIII. s. scriptoris fidem omnino habendam esse negat. Quis enim non videt haec esse hausta ex Audrado? Dudum certe a Mabilione (l. c.) erat perspectum.* 5) *Quae in revelationum fragmentis narrantur non supergrediuntur anni 853 terminum et errat Wenck l. c. p. 22, 2 cum aliter censeat. Neque totum opus, cui si fuisset non 'excerpta libri revelationum, quas scripsit 853' Sirmondum Quercetanumve inpositurum fuisse credo titulum, plura unquam videtur continuisse neque splendidius poterat finiri quam conloquio a deo cum Christo de ruptis indutiis habito, quali nunc finitur. Ad annum post 853 ut producamus Audradi vitam etiam eis commoremur, quae leguntur apud Clarium Senonensem s. XI. ex. (ed. Duru bibl. hist. de l'Yonne II, 473) de* Otrado — *quemadmodum hic scribitur et corruptela hinc orta* Occradus *apud Gaufridum de Collone Clari conpilatorem (ed. Iulliot Sen. 1876 p. 296, 9)* — in illis diebus erat Otradus huius urbis corepiscopus vir honestus et per cuncta laudabilis *usque ad* Otradus . . . est sepultus XVII. Kal. Febr. *Quae Clarius neque ex Odoramno sumpta neque opinor ex Odoramni quem et ipse adibat fonte scilicet annalibus istis Senonensibus nunc deperditis unde praeter Odoramnum hauserunt annales S. Columbae et ceteri quos Wattenbach conposuit D. Gq.*[5] *I, 387 sq., sed nescio unde interpolans digessit per annorum seriem, ut hinc pro Audradi morte, cum tenemus minimum, adipiscamur 854; si quidem SS. Columbae et Lupi elevatio quam ante refert facta est 853 (SS. I, 103 eaque a. d. IX Kal. Aug., sicuti Clario quoque reddas ex Gaufrido); nam quo anno Dido Anastasio successerit abbas S. Petri nescimus et suspicantur tantum Sammarthani Gall. Christ. XII, 135 annum 848.* 6) *Cfr. Gall. Christ. l. c. 666 et ibid. instrum. 311 D.* 7) *Cfr. Clarium l. c. adn. 5.*

[1]De mandato beati Petri, qui ei in visione apparuit, et de licentia archiepiscopi sui Romam profectus est *anno 849 post Kal. Mart.*[2] et libros suos obtulit Leoni *(IV.)* pape, qui reverenter eos excepit. *Horum unus potest*[3] *fuisse quod primo loco edimus carmen paschale, de quo nescio quem*[4] *sibi in somnis adesse visum dicentem facit (revel. ed. Quercet. p. 393 B):* 'Audi me, frater: hic est fons, de quo multo labore et studio edidisti venerabilem librum, quem bene titulasti de fonte vitae.' Et dixit mihi doctor:

---

1) *Albric. p. 735, 16 sqq..* 2) *Albric. l. c., 18* anno induciarum quinto. *Cum itineris tempore egregie congruit concili Parisini tempus, de quo vide Mabil. annal. II, 686.* 3) *Primum tenendum est carmen, cuius mentio fiat in revelationibus, utique editum esse ante 853 (cfr. p. 68 5). Deinde Audradus par ut parem, ut amicus amicum adloquitur Hincmarum; qui simul atque episcopus est factus adversus chorepiscopos agere coepit inimicitias, qui* de corepiscopali temeritate *Leoni papae litteras misit (cfr. Flodoard. hist. Rem. III, 10 SS. XIII, 482, 45), ut et conexum esse quendam inter Audradi iter Romanum Hincmarique has querelas merito tecum statuas (cfr. p. 68 adn. 4, quem conexum qui negat Schroers. neque fidit Albrico, is cur nihilo setius Hincmari epistolam 847/850 adtribuerit p. 520, causa mihi in obscuro versatur; meo ipse iure adtribuerim 847/49), quo denique praesente (Mansi. XIV, 923) Audradus exauctoratus est. Igitur vitae fons etiam ante 845 editus, si tamen Audradi amicus Remensis est Hincmarus; id quod quamquam a probis testibus non traditur, Laudunensis tamen Hincmari reputantibus naturam moresque et fortasse etiam annos — iuvenis 870 ab avunculo licet in carmine adpellatur (Sirm. II, 382) — ad probabilitatem quandam redigitur. Gravius de carminis tempore inde suspicioni nostrae argumentum adcrescit, quod post annum 848 fieri non potuit quin controversias de praedestinatione gratiave dei motas vel leviter adtigerit. Adfectasset sicuti Antigothescalciani et ipse Augustini doctrinam, cuius nunc tantum versu 325 tenuis memoria inest. De libero iudicio trivialem tunc temporis (cfr. Weizsaecker. Jhrb. f. d. Th. IV, 533 iure Wenckio obloquentem) opinationem, si post 848 scripsisset, eum inmutaturum fuisse non dico, nego admittere potuisse dei verba 192 sqq. Quod autem IV. concili Carisiacensis (853) capitulum his verbis* poculum humanae salutis, quod confectum est infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur *(Hincmar. de praedest. ed. Migne. p. 63 et [Remig.] de tenend. script. ver. ed. id. CXXI, 1118) Audradi 'scyphum' in memoriam revocat, nisi qui pater forte similitudinem subpeditaverat, neque Audradus opinor capituli memor carmen scripsit neque Hincmarus carminis memor capitulum: sui ipse Hincmarus de fonte vitae carminis meminisse videtur, quale eum scripsisse Audradi versibus 4 7 8 sqq. 124 sqq. ultra omnem dubitationem ponitur. Itaque cum Hincmari de fonte vitae codices saeculo XI. ex. exstitisse doceamur ex S. Apri monasteri Tullensis catalogo cfr. Becker. catalog. 68, 192 207? 211:* Iohannes Scottus de compoto et natura canonum *(ego;* canum *cod. Mon.)* et Hincmarus de fonte vitae vol. I, Avianus *(cod.;* Anianus *Becker.)* cum Esopo et Hyncmaro *(cod.;* Hincmaro *Becker.)* et Vualthario vol. I, liber differentiarum Ciceronis cum epistola (epistolis *Becker.*) Gunzonis *(ad Augienses?)* et Hincmaro de fonte vitae cum Aviano et Prisciano de nomine et verbo vol. I *scrupulus haeret, rene vera catologi scribam statuendum sit eodem errore deceptum esse, quo Oudinium qui Audradi carmen inde a. v. 100 Hincmaro vindicaverit. Magis etiam mirum, quod Buciliaci in ordinis Praemonstratensis abbatia prope Laudunum erat codex* Hincmari Remensis Archiepiscopi de fonte animae *cfr. hist. lit. d. l. Fr. VIII p. XV.* De origine *enim* animae *Flodoardus refert III, 15 SS. XIII, 502, 13 Hincmarum disputasse in carmine de ferculo Salomonis. At hoc opus multos annos post Audradi, plures post ipsius de vitae fonte carmen scripsit Schroersioque ratiocinante 853/56, utique peracto trinitatis et praedestinationis lite cfr. Hincmari expl. in fercul. Salom. ed. Sirm. I, 756 sqq. Quem commentarium data occasione moneo ἀνέκδοτον esse (cfr. in ipso primordio verba* ut supra monstravimus) *et particulam deesse quomodo triginta primorum versuum explicarerit rationem, quibus* media *i. e. ipsum ferculi pulvinar descripserat; nam (30) + 210 + 160 + 30 + 8 + 8 = 446. Quamquam inter Audradi de fonte vitae codicem Reginensem et Hincmari de fonte vitae Tullenses utrisque post ipsum carmen continentibus Avianium adfinitatem quandam intercedere non est negandum.* 4) *Fortasse episcopum aliquem ex eorum grege, quos in alia visione conspexerat Albric. p. 733, 45.*

'Recognosce scyphum istum: de eo quidem carmina clara in memorato libro vitae fontis composuisti.'

Carmen de fonte vitae poetarum Christianorum corpori, quod moliebatur, inserere habuerat in animo Philippus Labbeus (nov. bibl. mss. libr. Paris 1653 p. 57); expedivit tandem editionem Casimirus Oudin[1] *in 'veterum aliquot Galliae et Belgii scriptorum opusculor. sacr.' fasciculo primo L. B. 1692 'ex M. S. Codice' ut titulo indicatur 'Abbatiae Floreffiensis in Tractu Namurcensi'. Ego praeter Oudinium adhibui librum olim P. Danielis nunc Vaticano-Reginensem 1424, quem Ferdinandus Duemmler mihi descripsit ipse postea contuli. In quo post Hieronym. de vir. ill. XII Senecae et Pauli epistolar. initium (— ep. III ed. H. p. 477* statum eis de*) pauca de inst. mus. (non Boethi) et de pronom. decl. antiphonam neumis instructam sententias Senecae (Sen. monit. ed. Woelfflin p. 18, 1—25, 38) Catonis disticha (ed. Baehrens p. l. m. III, 214—235) excerptum ex Cic. Catone et ante Aviani fabulas (cfr. Bs. l. c. V, 32 et 315) Maximiani eleg. I, 1—120 (Bs. l. c. p. 315) commentariolum in Persii prolog. (ed. Iahn p. 241 sq.) Persii satiras Probi vitam Boethi de cons. phil. (ed. Peiper p. 1—55, 37) carmen de ponderib. (ed. Riese anth. l. 486 — v. 163 cfr. codd. PB) formatam quandam episcopor. commentum in Boethi de arithm. Schepssianis simile — quae omnia s. X. sive s. X./XI. scripta sunt neque tamen antiquitus cohaerebant — Audradi de fonte vitae a f. 20 ad 34' legitur manu s. X./XI. exaratum, ab aliis paullo postea perversis scholiis obrutum. Quod totum, ut erat intellectu*[2] *difficile, iam in communi qui erat meum inter (R) et Oudini librum (O) archetypo haud levi corruptela affectum est.*[3]

Alterius Audradi de BB. Iuliani eiusque sociorum passionibus poematis, quod posteriori quam primum tempori esse referendum non sine causa existimo[4]*, haec editio ex*

---

1) *Septem Oudini libri fasciculis in exemplis praepositus esse debet titulus generalis cum auctoris nomine.* 2) *Notissimae sunt Christianorum* de fonte vitae *opiniones; qui quod ab Audrado dicitur* vivus *(39 128 198) confero praeter Vulgatae* fontem aquae vivae *e. g. v. 25 Phoenicis quem quin scripserit Lactantius omnino non erat dubitandum; quod* saliens *(16 128 199), ne respiciam quid provectius finxerit medium aevum, declarant picturae veluti euangeliari Suessionensis a Louandre expressa les arts sompt. tab. VIII. (cfr. Piper Karls d. G. Kalendar. Berol. 1858 p. 11). — De paschatis et lunae praeter astronomicum mystico conexu plures dixere, Audradus hausit aut ex Isidoro aut ex Isidori compilatore nescio quo. Suum videtur esse quo modo per aenigma coniunxerit fontem cum luna paschateque. Fons utrimque rupe septenas ulnas alta cingitur (cfr. Phoenic. v. 8), ipse est VII ulnarum sive quia tot salit in auras sive quia exoriens tantam habet largitudinem, supra eum 'septem ulnae tenebris mixtae'. Triplex igitur est singulis partibus septenarium numerum continentibus. Atque rupes quidem significant terminum paschalem vel lunam quartam decimam, fons septimanam paschatis vel lunam a quindecima usque ad vicesimam primam, 'septem ulnae tenebris mixtae' idem sed ut paschatis diem dominicum intra lunae decrescentis tempus quaerendum esse adpareat. — Ex fonte si voles bibere, uti debebis scypho et ipso triplici septemplicique forma: VII habeat pedes, VII ansas, septiforis quoque sit (v. 43 sq. corrigendi erant alius aliam ob causam). Fons tripliciter inaccessus* triplum nodum *(82 379) proponit, scyphus triplex prodit* nodi displosionem *(340). Fons vitae est Christus pascha, scyphus per quem possis haurire paschatis mysteri lunarisque in eo rationis est perspicientia. Perspicientiae potestas est penes Christum, is non prodit nisi per fidelem, Audrado prodiderat per Hincmarum; qui est iuvenis ille, fontis custos sicut Phoenix Lactantianus (cum Audradi v. 52 cfr. Lactant. v. 38 sq.).* 3) *Repetierunt textum ceteri editores Gallandius bibl. patr. XIII Oudini, Gallandi Migneus patrol. CXV.* 4) *In passionibus adlegat quodam modo lectorem ad narrationem ex systemate suo in vitae fontis libro exhibitam. Cfr. ea quae sub textu collegi, in primis IV, 34 sq.* sed quia nos unus docuit salvator et uno | fonte simul donat vivos haurire liquores, *ubi nihil simile in actis, et ib. 245 sq. de diaboli suggestione. Atque IV, 192 qui hanc eandem ob causam non potest esse ficticius egregie demonstrat carmen scriptum esse dum de praedestinatione litigant et versant illam Augustini de Adam* massa perditionis humani generis facta *sententiam. 'Gratis' quoque v. 188 non omittendum est pro 'gratia' dictum.*

perboni s. XI. in. codicis, qui est Cheltenhamiae in bibliotheca Philippsiana 1826, p. 7—44 paratur princeps. Quo in libro quae antecedunt carmina ab eadem manu perscripta p. 1—3 in honore S. Petri, *p. 3—6* in honore B. Martini *carentque, ut sunt ultimi duo maioris* in honore ecclesiae *operis libelli, poetae nomine, certis pro his rebus evinci potest argumentis Audradi esse et ipsa*[1]. *In edendo autem libro P(hilippsiano) — neque enim praeter haec Audradi quidquam continet — traditum ordinem servabam, ne forte meae editionis gratia turbarem vestigia olim factae Audradi carminum recensionis.*

Passionibus oportebat me subicere acta Iuliani martyris eiusque sociorum a Bollando A. SS. Ian. I., sed contaminate divolgata[2]. *Horum fundamenta ita ieci in cod. Mona-*

---

1) *Dativos 'olli, 'ollis' amabat ponere Audradus (d. f. v. 54 pass. IV, 322) neque tantum versuum initiis (d. f. v. 84 pass. IV, 335 435), veluti qui imitabantur Vergilium qui hoc more praeter quinque exempla (cfr. Neue. II², 210) et Iuvencum qui semper (L. Mueller d. r. m. 387, cfr. Huemer in Wiener Studien II, 84 sq.): ita quoque in hon. Mart. 31. 'Meme' (Neue. II², 182 et Alcuin. cfr. ad tom. I, 187 v. 814) et in pass. II, 126 et in hon. Petri 28; 'misellus' d. f. v. 47 pass. II, 726 in hon. Petr. 66. Etiam trisagii memoria ex Is 6, 3 sumpta Audradi peculiaris et propria est, cfr. exempla in hon. Petr. 67. — 'Carmen in honore ecclesiae', quem e. g. elegi titulum, plenum erat septem libellis neque hoc puto sine lege. Norimus septenarii numeri rationem ab Isidoro (de eccl. off. I, 32, 5* septenarius numerus solet in scripturis ad quamdam perfectionem mysticus apparere) *eodemque capite prolatam, ex quo paschatis aenigma sumebat Audradus. Primi libri quid continuerint ne coniectura quidem efficere possumus; Petrum autem (cfr. Albric. 735, 17 35; Quercet. p. 392) et Martinum (cfr. Albric. 733, 49 sqq. 735, 35; Quercet. 391 sq.) scimus quanta cura intentus fuerit ut qualibet data occasione maximo inter omnes fere sanctos celebraret honore. Horum igitur elogia cum ultimis locis posuerit, pro sat probabili habemus in aliorum sanctorum honore non versatos esse quinque qui desunt libellos. Neque supplentur ut sperareram altero cod. Cheltenhamensi 1717 s. XVII., qui Audradi nihil continet praeter passionem eamque ut Theodorus Mommsen iudicat ex P descriptam.* 2) *Debebam hoc in primis Audradi singulari saepe absonaeque suis temporibus in passionum carmine linguae: veluti ex actis repetiit 'populos' 'hominum' significatu (cfr. Sittl. d. lokal. Versch. d. lat. Spr. p. 108 sq.), genitivum comparationis IV, 433 (cfr. eundem p. 144), 'quia' pro accus. c. inf. III, 33, accusativos participi absolutos I, 5 II, 25 III, 229 etc.; neque haec tantum iis locis, quibus cum fide vertenti ansam dabat exemplum: nam prorsus sese in eius linguam insinuarerat. Atque alteram actorum partem omisit vel breviter constrinxit, inde a libri II. initio omnia planissime et plenissime cum altera congruere voluit. Quorum quo utebatur exemplari, dirisum id erat ut cod. B; cui unde Audradi liber II. incipit inscribitur (f. 104')* SEQENTIA PASSIONIS SCĪ AC BEATISSIMI IULIANI ET SOCIORUM EIUS. *Ceterum meis codicibus ullius distributionis vestigia omnino desunt neque in Audradi P genuinos esse arbitror capitulorum numeros. — Iustam actorum recensionem dare neque volui nec si voluissem potui. Ipsa res poscebat inter eos actorum codices, quos mihi ut adirem contigit — nam Bollandi artes interpolatrices ut simpliciter repeterem a me impetrare non poteram et longius eae distant ab Audradi verbis —, cum ut seligerem qui proxime talem accederet, quali usus erat Audradus. Adhibuit autem librum meo N simillimum et procul dubio cum eo ex eodem fonte derivatum. Cur vero cum aliorum quoque lectionibus subinde consentiat atque ego eas textu ex N fideliter prompto inseruerim, facile ex hoc stemmate redundabit, quod non vereor ne a veritate nimis aberret:*



censi 16106 s. X. f. 28 sqq. (N), ut ab eo praeter aliquot minutias ne in orthographia quidem recederem; addidi ubi e re videbatur lectiones ex Monacensibus 4554 s. VIII./IX. (B) et 14031 s. XI. (E) 4653que s. XII. (β) petitas.

Monacenses ego contuli, P summa cum diligentia totum descripsit F. Liebermann[1].

Ex quo simul elucebit de Bεβ scripturis nequaquam permissum esse ut e silentio meo fiant coniecturae. Atque ne his quidem uncinis ⟨....⟩ quidquam efficere volui nisi ut brevitati et commoditati consulens significarem, quid e cod. x potuisset in Audradi exemplum fluere, ubi N deficeret. Quo neque N interpolare volui neque suspicionem movere tamquam codicum supplentium praeter uncinas enuntiata plane consentirent cum supplendi forma. Addo meam de Iuliani actis opinionem neque tam iniquam esse quam Tillemonti mémoir. p. serv. à l'hist. ecclés. V, 799 sq. Venet. 1732, cum si nova actorum martyrum quae valde necessaria est pararetur editio suaderem ut Iuliani reciperentur in sincerorum appendicem (cfr. passim Le Blant mém. d. l'inst. nat. d. Fr. XXX, 339), neque tam falsam, quam Kuhfeldti de capitoliis imp. Rom. Berl. 1882: nam non potest dubitari quin Iulianus passus sit 'Antinoiae Aegypti'; quod nomen paene necessarium erat in duplicem triplicemve abire correctionem. Pro 'Antinoia' enim ponebatur magis formam respicientibus 'Antiochia', quo facto et pro 'Aegypto' 'Syria'; sensum ubi magis curabant 'Aegypti metropolis' efficiebatur 'Alexandria'.

1) *In universum si Audradi metricam contemplamur non multa contra normam instituit: 'h' consonans esse, — e adverb. corripi, arsi produci potest; frequentantur synizeseis (Celsii Antiochiam totius gemitui hauriebant); 'spiritŭs' gen. — ubi nihil addo, numeri sunt passionum — III, 134 (sic Aldhelm e. g. 147 653 1449) fructŭs acc. IV, 439; pālam III, 28 IV, 25; mĕror II, 176; ănulus II, 132 (Fort. V. M. III, 464); margārita prol. 5 (cfr. L. Mueller d. r. m. 354 et Fort. VIII, 3, 266), tĕter d. f. v. 322 sed recte in Mart. 50; in aliis quoque Graecis falsus est: idŏlum III, 139 (ut semper Christiani cfr. Fabric. in poetar. eccles. commentar. p. 71), Plĭades IV, 63 (cfr. tom. II, 645, 10), stŏla IV, 306, ĕvangelicus e. g. III, 30 (cfr. Mueller. 261, sic e. g. Alcuin. quoque et [Sulpic.] ed. Migne. LXXIV, 671; 'e' cum brevis est, vox per 'v' est scribenda ex orthographiae norma in hoc corpore usurpata cfr. Bedam G. L. ed. K. VII, 228, 20), peripsima II, 255 (cfr. Aldhelm. d. l. v. 2057 ubi* squalet *legendum), 'hĕresis' in Mart. 16 (cfr. Mueller. 358 et Leon. ind. Fort.). Contra 'blasphēmus' II, 43 saep. semper recte et Audrad. et alii huius aevi poetae. Quod cum plerumque de quantitate Graecorum vocabulorum disceptaverit accentus, sane mirum et est et erat iam Lupo Ferrar. ep. 20 ed. Bal. p. 40 sq. Altvino respondenti:* 'Blasphemus' Graecum esse non dubitabit, nisi qui id per 'p' et 'h' scribi parum attendit. Itaque Graecus quidam Graecos 'blasphemus' dicere correpta penultima *(sc. vlasfimos)* mihi constanter asseruit et id ipsum Einhardus noster astruxit. Tamen Aurelius Prudentius, qui apud plerosque vehementissime celebratur, id nomen sic posuit .. Hinc igitur longe lateque manavit ut 'blasphemus' et 'blasphemo' accentum in penultima syllaba sortirentur. *Quapropter lectionem supra V. Leudegar. I, 488 receptam revoco* blasphemis ... actis *correcturus. Addo quaedam ad verborum eius usum et copiam cognoscendam: nova videntur 'gratisonus' d. f. v. 45, displosio (i. q. solutio) ib. 341, nebulonius (a nebulone derivat.) IV, 8; sensu novum 'diffumigare' d. f. v. 76; girare aliquid (i. q. velare) ib. 56 iam ap. Hraban. est et cfr. Boehmer Rom. Stud. II, 228* cingeo cingo giro; *ex Vulgata adscita e. g. scopare II, 255 irrugiit IV, 240 inferus d. f. v. 258 (i. q. Tartarus). Spectare (i. q. expectare, ut saep.) est II, 113 159 194 I 252, viridentia d. f. v. 54 (cfr. Sittl. arch. Woelfflin. I, 532) et radientia IV, 201 (cfr. Ribbeck. prol. Verg. 385 et Symphos. cod. Salmas. v. 223, quod exemplum Sittelio debeo); transitiva sunt 'ardere' III, 232 et IV, 333 (nisi hic 'Flegetonta' nominativ.) defluere III, 144 tepescere d. f. v. 66 vernare III, 106 (cfr. Theodulf. LXXIV, 4 sqq. tom. I, 573 quem ita lego:* Quo, paradise, tuus vernat amoenus ager | florigeras sedes, iucundo et murmure rivos | undique stipatus floribus atque rosis); *'extunc' II, 267 usurpabant e. g. Commodian., Alcim. Avit., Fort., Paul. Diac., V. Galli v. 1270 tom. II, 460* 'Fratribus externor *(ego;* efficior *cod.)* congnatis atque propinquis', | extunc *(cod.)* quo domino valeam famularier uni | liberius, propter *etc.; festa (i. q. festum cfr. Appel. d. gen. neutr. inter. in l. L. p. 59) IV, 422; 'omnia quaeque' abundanter d. f. v. 161 II, 319 in hon. Petr. 27;* vos ... vivere laxat *II, 257 i. q. 'il vous laisse vivre' (cfr. IV, 130 'permittere' ex actorum usu), opposit. e. g. in hon. Mart. 35 sq. 'aliquem ad vitam reverti facere' (cfr. II, 60 'agere') i. q. 'faire vivre'. De 'quam'*

I.

INCIPIT LIBER DE FONTE VITAE.

AUDRADUS. HINCMARUS.

Nobilis ingenii linguam, facunde poeta,
Caelitus esse tibi dulci modulamine pandis,
Dum flagrans animo virtutum pascua lustras,
Dum salientis aquae perfundis lumina rore;
Ocius hinc lectae lauri succedis et umbrae:
Pallentis hederae nec non et pinguis olivae
Dans miro nexam capiti de fonte coronam.
Denique, quos dudum sitientis ire per agros
Cernebas miseros, studio florente monebas,
Ut fontis vitae clarissima cernere templa
Irent et votis peterent sibi dona salutis.
Me quoque iam dudum, carum quem ducis amicum,
Talibus Audradum dictis, Hincmare, monebas:
'Ut vivas felix, monitis nunc utere nostris;
Rumpe moras cursu properans: quo moenia cernis,
Fons ibi de medio sedis diverberat auras;
Et mihi largitur vivos haurire sapores
Atque tibi faciam praecedens limina pandi'.
Credulus his equidem dictis festinus amici
Explorare locum, cernens sed culmina veni.
Sive fides (horret dictu) seu fictio fratris
Fama mox facili sancto me clausit ab imbri,
Vertex cum subito paret de margine bino

[I.] UITE *et sic passim* e *pro* ę *R; etiam* cecus celum celestis demon hec pena pre- que que- sevus seculum EPISTOLA AUDRADI EPISCOPI AD HINCMARUM *O; quae in O cum R ex orthographia sunt discrepantiae, eas non subscribam* 8 sitientes *O; cfr. pass. IV,* 467 nitentis *et* 469 omnis 13 haudradum *R* 18 Utque *R* fatiam *R* pande *R; cfr. v.* 127 21 fratris] i *in ras. R*

cum positivo coniuncto (II, 3 28 III, 14 207) vide supra p. 43. Praeterea quae ad grammaticam spectant accedant haec: domui i. q. domi (cfr. Neue I², 519) III, 232; particip. absol. (cfr. supra p. 3 adn. 3) III, 151 et IV, 84, quamquam hic locus aliter potest expediri ut Erm. quoque in hon. Hlud. I, 605; 'si' pro 'num' II, 141, qui usus postea increbruit. 'Dispicere' pro 'despicere' quam ob causam non modo in Audrado, sed ubivis toleraverim, adscribam Alcuini locum ep. 252 ed. Iaffé p. 804: Secunda vero interrogatio *(sc. Angilberti)* fuit inter di dis de *(ego;* de dis des *cod.):* an debuisset esse dispexeris sive disspexeris *(ego;* despexeris *cod.)* sive despexeris. Sed dispexeris esse non potest *etc. Ergo praefert ille quidem 'dispiciendi' scripturae a Cassiodorio aliisque praelatam 'disspiciendi'; quod vero hanc inter et 'despiciendi' formam sit discrimen prorsus ignorat.*

3 *Ioann. Scot. ed. Floss p.* 1224 *v.* 45 Litora virtutum lustrans. 5 *Ge. III,* 418 succedere et umbrae. 6 *Ecl. III,* 39 hedera . . pallente. *Ge. II,* 85 pingues . . . . olivae, *cfr. Met. X,* 176 et suco pinguis olivi. 7 *Trist. V,* 5, 10 nexa corona. 9 *Boeth. phil. cons. I metr.* 1, 1 studio florente peregi, *cfr. florileg. Sangall. v.* 184 *Rh. M. XL,* 278. 11 *Arator. I,* 286 pete dona salutis. 13 *Aen. II,* 336 Talibus Othrydae dictis. 15 *e. g. Ge. III,* 43 Rumpe moras. *Aen. III,* 501 moenia cernam. 16 *Aen. V,* 503 volucris diverberat auras. 18 *e. g. Aen. VI,* 525 limina pandit. 21 horret *inpersonale; cfr. Aen. IV,* 454 — horrendum dictu —. 22 fama facili *sc.* ut facile erat cognitu.

Sacratum tereti fontem circumdare saxo:
Si foret emensus, septem bis redderet ulnas,
Candida septenis species fulgebat in ulnis
Ac totidem mixtas nebulis obduxerat Eurus.
Illic dum frustra duodenis atteror horis
Tuque domi placidis celares tempora ramis,
Incusare fidem coepi fallacis amici
Nec desunt lacrimae, cur te praecedere sivi.
Occiduis quoque surgebant iam partibus umbrae,
Vesper et hesperias ornabat lampade terras,
Cum fletu victos oculos per moenia volvo
Vocibus his dominum, votis iterumque reposcens:
'O quicunque loci custos rectorque videris,
O dignare sitim misero restinguere tantam'.
Mox de sede sacra vox est allata per auras:
'Sum rerum custos, sum vivi fontis origo;
Sed sine vase suos mortalibus abnegat haustus.
Sit cui — cognoscas — talis compacta figura:
Scilicet ut calamis septenis surgat ab imo,
Erigat et summum distinguens ansa cacumen,
Ora quidem totidem colli de vertice flagrent'.
O quam gratisonis celebrabat talia verbis.
Demum quid facerem, docuit sermone paterno:
'Curre domum manibusque refer, quae mando, miselle.
Aut si pauperies te illud non sivit habere,
Invida seu furtim rapuit de nocte noverca
Aut si nulla domi mansit spes inveniendi:
Audi consilium +cur his exureris auris.
Huc quidam iuvenis ter nocte dieque frequentat
Et scypho nostris libamina fundit in aris:
Olli nos nostris dedimus viridentia pratis
Tecta, quibus maneat, iussus seu prosit amicis.
Cignea iamque sibi cortinis atria girat,
Utitur et claris nostro moderamine lymphis,
Iam ceu dives amat pictis recubare tapetis.

---

25 rederet *corr. R* 26 ulnas *R corr.* ϱ *(correctoris man. fere coaeva)* 29 Tu quoque *corr. R* **an* velaris? 37 restringuere *O; cfr. v.* 235 *et Verg. cod. Bern. c* 38 alla *R corr.* ϱ 43 *an** Porgat septenum d. ? 44 *an** Orae quin t. ? *cfr. v.* 384 *et* orae *vocem apud Theophil. presbyter.* 48 sinit *RO superscr.* ł siuit *R* 50 manspes *corr. R* 51 cur] *in ras. R (ante* c *dinosco* q*) : an* *quoniam ? 52 te *O* 53 cipho *O* libamina *in ras. R* 54 viridantia *O corr. R* 55 maneant *corr. R* 56 costinis *O in cod. Brux. 10066 sqq. s. X/XI. inter Miconis exempla interpolatum legi:* Cortina· cignea namque sibi cortinis atria gyrat ʀ 58 seu *O*

24 *Fast. III,* 431 saxo lucum circumdedit alto. 29 *e. g. Aen. V,* 71 cingite tempora ramis. 30 *Am. II,* 9, 43 fallacis amicae. 31 *cfr. Aen. V,* 173 Nec lacrimis caruere genae. 33 *Aen. IV,* 6 *sqq.* Phoebea lustrabat lampade terras | . . Aurora . . ., | cum. 34 *e. g. Aen. VIII,* 618 oculos per singula volvit. 35 *e. g. Aen. II,* 770 iterumque vocavi. 37 *Ecl. V,* 47 Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo. 39 *Hilar. metr. in gen.* 9 tu fontis origo *de Christo.* 49 *cfr. Verg. e. g. Ecl. III,* 33 *et Ovid. e. g. Met. I,* 147. 52 *e. g. Sedul. II,* 255 hoc nocte dieque precemur. 53 *cfr. Fort. C. V,* 5, 133. 56 cortinis *i. e.* aulaeis, *cfr. Kaulen p.* 15 *e. g. Num.* 3, 26 cortinas atrii *et Io. Scot. l. c. p.* 1227 *v.* 71 Cortinis patulis et longa per atria tentis. 58 *Aen. VII,* 277 pictisque tapetis.

Ocius accelerans illi haec mea dicta referto:
"Hospitio sanctam requiem meruisse fideles
Sis memor, o iuvenis; nunc et sine fine valeto".
Auribus haec capiat, tectis de vimine textis
Temperet atque sitim, somnum sub nocte quietis
Sternat et arentes recreet per viscera fibras.
Et prima cum luce dies deiecerit umbras,
Molliat argyllam, primo vel sole tepescat
Et nota tornet specie, quam novit abunde:
Obducat cera ceramque recondat harena;
Innocuos ignes iuxta mox collocet illud;
Aequet lance metalla, placet cum pondere librae,
Quae commissa sibi meminit, lucrique memor sit,
Per quae pollet ovans nostris vernantibus aulis;
Ambabus manibus post omnia follibus efflet
Et vacuet formam cera repleatque metallo;
Post aliquod spatium vas testis exuat assis
Effigiemque novam ferro diffumiget unco
Concilietque tuis manibus venerabile pignus.
Illud huc tecum veniens deferre memento:
Hoc libabis aquae fontem salientis ad astra.
Insuper et causam reseret, quid vase figurem,
Et dubios verbis animos tibi firmet amicis.
Interea triplum solvat cum carmine nodum,
Quem poterit fusum reserans ornare metallum.
Hunc tibi mente locans olli sic pangere mando:
"In gemina specie lunae distinguitur orbis:
Scilicet obscura claraque fugante tenebras;
Luminis et faciem terras dum vertit ad imas,
Altera pars caelo tenebris obducta tenetur;
Denique bis septem lumen mirabile visu
Evomit in terris glomerata fronte diebus"

---

62 hec *R* hoc *O* 64 hęntes *R corr.* ϱ haerentes *O* 67 spetię *R et passim* speties otius sotius commertium 70 cum] *an* *quo ? 71 fit *O* 72 Perq. *R corr.* ϱ 75 aliquot *corr. R* 80 figuram *corr. R* 85 geminae *O cfr. v.* 341 90 fonte *corr. R*

62 *Ge. IV,* 34 vimine texta. 65 *cfr. Aen. IV,* 7 Aurora polo dimoverat umbram; *cfr. Met. I,* 328 Nubila disiecit. 65 *sqq. Quandam scyphi formam iurenis fingat ex argilla macerata* (66 tepescat *v. supra p.* 72 *adn.*) *argillamque cooperiat cera, ceram rursus argilla* (68 harena). *Argilla ut exsiccescat, hoc opus foco adponat modice calefacto* (69 *cfr. Sedul. I,* 127 Ignibus innocuis). *Tum metallum quoddam paret in quantum ei videbitur. Et hoc et scyphi formam* (omnia 73) *ferrefaciat, [ut ceratura liquescat et metallum fiat fusile. Converso scypho] ceram effundat, metallum infundat [unde effuderit ceram. Metallo refrigerato utrumque argillae latus confringat:] iam perfectus est labor, restat unum ut fuliginem abstergeat* recurvo ferro rasorio *ut ait Theophilus presbyter* (*ed. Lessing rec. Schoene Berol.* 1878 *p.* 504 *et* 518), *qui ceterum non describit hunc simplicissimum fingendi modum.* 77 *[Iurenc.] de laudib. Christi ed. Areval. v.* 136 venerabile pignus *de Christo.* 81 *Aen. II,* 372 verbis . . amicis. 85 *Sedul. V,* 329 Qui gemina specie. 85 *sqq. Isidor. etym. VI,* 17, 10 Antiquitus (patres *v.* 92) ecclesia pascha decima quarta luna cum Iudaeis celebrabat, ... sancti patres in Nicaena synodo prohibuerunt constituentes diem resurrectionis dominicae observare et ob hoc pascha a quarta decima luna usque ad vigesimam primam (*v.* 95) extenderunt, ut dies dominicus non omitteretur. 89 *e. g. Aen. XII,* 252 mirabile visu.

— Nam (mirum dictu), coeunt dum lumina Phebae,
Instituere patres nimium sollempnia paschae —;
"Sed, sursum pallens ut primum condere lumen
Coeperit et terris nigra vilescere forma,
Ter septem numerant, quos non excedere soles
Sit, sed in his licitum sanctum sollempne requiri".
Quid hic pascha pium, numerus seu luna figurent,
Explicet et triplum poterit dissolvere nodum.
Hic memor esto: locum iuvenis responsa capessant'.
AU. 'Sum praesens, iuvenis, referens haec ordine iusso.'
'Iussa refers, agnosco quidem mandata relatis. HIN.
Immortale decus domino regnumque perenne,
Qui mihi dignatur geminas mandare salutes
Quique dedit vivo faciem perfundere rivo
Vimineasque domus frondenti tegmine cessit,
Excipit ac nostri scypho libamina voti:
Illius (haud dubium) nobis praecepta tulisti.
Da, dilecte, manum mecumque hac nocte quiesce
Florentemque domum iam nunc fidissimus intra
Atque sedens animum recreato salubribus undis,
Utere vel stratis somno sub nocte tapetis;
Cetera quaeque refers, Aurora teste facessam'.
'Non meritis indigna tuis tibi gloria crevit AUDRA.
Tanta, bonus hospes; sacro de fonte bibisti:
Namque vales doctis aegrum sanare loquelis.
En quaesita manus: quovis properemus, amice;
Nec fraudabo thorum menbris nec pocula labris.
Illius aeternum maneat per secula nomen,
Hospitis electi qui me direxit ad aulam.'
Sed cum tanta tibi virtus laudesque manerent,
Miror, cur tantis voluisti subdere poenis
Me, qui nil nocui, iuvenem sed semper amavi:
Dicere si liceat, placitum culpabo magistri.
Nam quondam, placidis caneres cum vocibus odas,
Me ceu dilectum mulcebas carmine tali:
"Consule festinus propriae, dilecte, saluti;
Te quoque paulatim praecedens limina pandam;
Intra, qua saliens fons vivus verberat astra".
Ficta fides placiti rapuit vestigia pacti
Condictoque loco veniens incognitus erro.
Bisque quaterque vocans Hincmarum vocibus addo:
Hauriebant vacuas crebra de voce loquelas

---

91 *crescunt *RO* Phoebae *O* 97 figur . . . *R* 99 capes . . . *R* *post* 99 INCIPIT LIBER DE FONTE VITAE *(cfr. titulum cod. R p. 73)* AB HINCMARO ARCHIEPISCOPO AD AUDRADUM EPISCOPUM *O* 100 Tum *O* *personarum notas omnes om. O* 103 michi *R et sic fere* 115 sa . . . e loquelis *R* 128 Intra quae *O* 129 pati *corr. R* 130 Condicto . . . . oco *R*, horror *O* 132 Hauriebant] *eras.* e *et* t *R* Hauribam *O*

103 *cfr. Hraban. XIX,* 1. 111 *cfr.* 63. 127 *cfr.* 18. 128 *Aen. III,* 423 sidera verberat unda. 131 Bisque quaterque *mire confluxit ex* bisque terque *et* terque quaterque *(hoc initio versus e. g. Ge. II,* 399*); sed cfr. codd. ad Martial. I,* 103, 6.

Aurae tuque fidem velans responsa negabas,
Altitonans donec misit me partibus istis
Cunctaque, quae retuli, docuit sermone paterno'.
'Confortare, precor, violet ne cura quietem;
Sit tibi nunc requies spatio sub noctis opacae,
Et veniente die dictis responsa parabo'.
'Pallida Luciferum sequitur iam filia Solis: HI.
'O meus Audrade, sospes, sis, somnia linquis'.
'O venerande nimis, sanum me somnia linquunt. A.
Principio lucis, pacti vel temporis hora
Perfice namque, precor, multum laudabilis hospes,
Pignus et exponas missum cum carmine nodum'.
'Incipe nunc mecum, caelestis gratia, carmen H.
Aeterni fontis, scyphi, paschalis et horae.
Sit regi domino virtus, laus, gloria semper;
Illius et faciem precibus poscamus uterque,
Sensibus ut nostris adspiret iussa fateri.
Qui tibi differri iussit sua pocula, donec
Aeternum fatearis eum credasque colasque.
Incipe nunc mecum, caelestis gratia, carmen
Aeterni fontis, scyphi, paschalis et horae.
Vult etenim sciri, mundi qui tempora ducit,
Pontum telluremque polosque creavit et illis
Aere subtili formam speciemque reducit,
Astris qui caelos, variis animalibus arvam,
E grege squamoso fluvios volucrumque perornat
Aera, post hominem fecit ratione refertum,
Talibus et dictis affatur conditor illum:
"Quaeque moventur in orbe novo frondentque virentque,
Omnia trado tibi, mihimet tu subditus esto:
Illa tuis vivant, nostris tu cedito iussis.
Confero multa tibi, nobis vel pauca rependas:
Unius ut ligni tangas ne mala, memento;
Nam te de limo feci vitaque replevi,
Ut semper vivas, si non neglexeris illud,
Et mecum regnes senio non fractus in aevum.
Quod si de vetita gustaveris arbore malum,
Continuo mortalis eris, captivus et ibis
Fonsque tibi vitae claudetur cum paradiso.

---

133 Aure *O* 134 me misit *O* 146 sciphi *ut passim R* ciphri *ut in vers. interc. semper O ante* 154 186 303 *et post* 222 H(incmari) *notas add. R, quas omisi cum cod. non sibi constaret et inde a* 145 *omnia Hincmaro adtribuenda essent* 155 tellurem *corr. R* 157 *arua/ *R* arva *O cfr. pass. Iul. II,* 333 *et supra p.* 44 158 E grege squamoso *in ras. R* perornans *R* ł peror(nat?) *add. ϱ* 159 *repertum *RO* 161 urentque *R corr. al. man.* 163 *condite *RO* subdite *F. Duemmler* 164 vel] tu *O fort. recte* rependens *R corr. ϱ* 168 segnes *corr. R* fractis *corr. R* 169 arbore] a *ex* u *R*

135 *cfr.* 46. 136 *Aen. IV,* 5 dat cura quietem. 137 *e. g. Aen. VIII,* 658 noctis opacae. 138 *Ge. IV,* 466 Te veniente die, *Fort. V. M. I,* 73 Ac veniente die. 139 *Met. IX,* 736 filia Solis. *Quam ignoro unde Auroram sumpserit; cfr. Haupt op. III,* 320. 145 *Audradi versus intercalares cum Ecl. VIII* Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus *comparavit Ebert L. d. MA. II,* 275, 2. 154 *cfr. Sedul. V,* 389 Non vult agnosci.

Nam te qui terrae dominum concedo manere,
Carcere flammivomo, tristi nec torqueo fumo
Horrisonique canis rabiem non cernere cogo
Nec feci gelidum tenebris sentire dolorem,
Alterius fugias domini succumbere iussis.
Cuius suggestu misero si riseris actu,
Quas retuli supra, merito succumbito poenis".
Eheu — qui primi recinam nunc facta parentis?,
Qui sprevit praecepta dei vitamque reliquid
Et mortis domino consensit et intulit orbi
Atque suis natis, omni sobolique sequenti,
Quas meruit poenas, domino mercatus iniquo.
Qui vetiti malum ligni porrexerat Evae,
Eva viro, mortem cunctisque sequacibus ambo:
Sic homo, cum voluit, vitam pro morte reliquid.
Incipe nunc mecum, caelestis gratia, carmen
Aeterni fontis, scyphi, paschalis et horae.
Sed tamen omnipotens, rerum cui summa potestas,
Quem fecit hominem, doluit, miseratus et illum
Dulcibus alloquiis et celsa voce reclamat:
"Quo fugis, o factura mei? per devia vallis
Tendis ad ignotas et caeci carceris aedes
Sulphureasque domus flammas sine fine vomentes.
Illic mors inimica sedens tua funera sarcit,
Obvia mille tuo praemittens spicula cordi.
Flecte, miser, cursum, quo sol consurgit eoo,
Est ubi nostra domus et vivi fontis origo
Et septem palmae faciem salientis amictant
Fecundae fructu, quarum non poma putrescunt,
Temperies veris, flores et roscida mella
Et miranda suos emittunt gramina flores —
Pulchrius in toto rerum nil cernitur orbe —:
Huc plangens lacrimansque redi veniamque preceris
Et votis exposce tibi pia pocula fontis
Et fructu palmae peccati vincula solve;
Namque tuae mortis tu conscius esse videris".
Haec celebrante deo clementi carmine verba
Infelix oculos, gressum nec flexit ad illum,
Sed mortis dominum loetali sorte secutus
Excepit dignas tanto pro crimine poenas.

---

177 si siseris *corr. R* 183 *mercatur *R* mereatur *O* 186 reliquid *R* 190 miseratur *R* 194 domos *O* 203 verum *RO corr. F. Duemmler* 206 *solvi *RO* 210 fonte *O*

177 *Quo auctore si faceris rei nefandae* . Suggestionem diaboli *Augustinum secuti multi dixere.* 180 *Aen. V,* 517 vitamque reliquit ... 189 *Aen. X,* 100 Tum pater omnipotens, rerum cui summa (*sic plerique codd. et cfr. e. g. Paulin. Nol. c. IV,* 1 *et Pseudocyprian. ed. H. carm. VI,* 83) potestas. 191 *e. g. Fort. app. X,* 1 *ed. L. p.* 282 Dulcibus alloquiis. 192 *Sedul. II,* 103 Per loca ..... devia callis. 193 *Aen. IV,* 734 carcere caeco. 195 mors inimica *e. g. Fort. C. IV,* 2, 2. 197 *Aen. III,* 588 primo surgebat Eoo. 198 *cfr.* 39. 201 *Ecl. IV,* 30 roscida mella. 204 *Aen. III,* 144 veniamque precari. 211 *e. g. Sedul. V,* 132 tanto pro crimine culpae.

Hostis, ut agnovit revocari carmine vinctum,
Fraude dolos acuit figitque cacumine culmi
Mortiferum pomum, nexit calamumque dracone,
Extulit et virga signum pomo colubroque
Ante patrem prolemque suam; non intulit illis
Vim, quod sponte sua cuncti periere sequentes.
Sic victor serpens victricia signa levavit
Et sibi per campos urbesque domusque petivit
Et nemora sculpi simulachra deumque precari
Se iussit hominumque genus sibi subdidit omne.
Incipe nunc mecum, caelestis gratia, carmen
Aeterni fontis, scyphi, paschalis et horae.
Sed deus aeternus hominem servire metallo
Indoluit legitque viros, quos esse prophetas
Iussit et errantem docuit revocare parentem.
Hi domini videre domum fontemque biberunt,
Gustarat palmae fructum sed nullus eorum,
Vincula nec potuit captivi solvere quisquam —
Aequalis patri donec de virgine natus
Filius advenit homines retinere labantes
Et revocare sibi mortis de carcere lapsos.
Ipse quidem praesens dominus haec verba salutis
Eloquio dulci, saliens fons, intulit orbi:
"Terrigenae, quicunque sitim restinguere rivo
Vultis, ⟨ad⟩ aeternum cursim contendite fontem:
Unicus ecce dei fons vitae iure perennis
Effluo nunc largos vobis sitientibus ymbres.
Namque meas hominum quisquis gustaverit undas,
Ultra non sitiet, felix sed vivet in aevum.
Cernitis ecce quidem praesenti corpore natum
Me, patris aeterni genitum sine temporis hora:
De me deque patre procedit spiritus almus,
Quem septem palmae, faciem quae fontis amictant
Multiplici dono distinctae, mistice signant.
Nam dederam mundo vitam, quam respuit Adam
Humano generi gignens loetale venenum:

214 calamoque draconem *O* 218 victricum *R corr. F. Duemmler cfr. v.* 294 victorum *O* 219 domosque *O* 225 elegitque *Oϱ* prophetis *corr. R* 227 Hii *R* 228 gustavit *O* 231 labentes *O* 235 restringere *R* 236 ad *add. F. Duemmler* 237 perenni *O fort. recte* 245 multiplican *R*

218 *Alcim. Avit. II,* 408 Tum victor serpens. *[Orient.] ed. Mign. p.* 1002 *v.* 67 victricia signa cruoris, *cfr. Fort. V. M. I,* 2 *Aldhelm. l. v.* 852. 219 *Met. e. g. I,* 301 urbesque domosque. 226 *Ge. III,* 262 revocare parentes. 234 *cfr.* 181. 235 *cfr.* 37. 237 fons vitae *Christus nominatur e. g. ab Hincmaro in fragment. ferculi Salomon. ed. Sirmond. II,* 844 *v.* 3. *E. g. Sedul. I,* 30 iure perenni. 237 *sqq. Io.* 4, 14 qui autem biberit ex aqua quam ego dabo non sitiet in aeternum, sed aqua quam dabo ei fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. 238 *Ge. I,* 23 largos . . . imbres. 243 spiritus almus *in fine hexametri e. g. Arator. I,* 958. 244 *cfr.* 199. *Isidor. etym. VII,* 3, 13 Spiritus sanctus ideo septiformis nuncupatur propter dona, quae de unita eius plenitudine particulatim quique, ut digni sunt, consequi promerentur. Ipse enim spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, spiritus timoris domini.

Unde fluit totum morti tenebrisque pererrat.
Illum, qui feci, praesens nunc ipse requiro:
Eligo namque hominem moriens absolvere loeto.
Namque per excessum vitam pro morte reliquid
Proque suis meritis paradisi perdidit aulam;
Cognitione dei vacuus simulachra deosque
Effigiare sibi studuit dominosque precari:
Hunc ego decrevi soli mihi subdere colla.
Quid facit? ah — furis rapitur deceptus amore
Utque deum veneratur eum, cui claustra gehennae,
Inferus et flammae tenebrisque obducta vorago
Atra manet sedes spirantibus undique flammis.
O factura mei, tristi sub sorte laboras;
Quam feci manibus faciem vitaque replevi,
Ad me deflectas: nam, qui voco, corpore sumpto
Te revocare volens veni moriturus in orbem".
Signifer ille quidem loeti mortisque repertor
Talibus auditis furiis accensus et ira
Artibus insultat fidis: "Sat possumus?," inquit
"Cum mater hominum nostro sine numine tantum
Ediderit terris culpati nescia partus.
Conditor ille potens, caeli qui possidet arcem,
In terris hominem primum quem fecit, adivi
Deiecique suis, clausum quis sepserat, aulis,
Et mihi subieci et natos vulgusque nepotum,
Insuper et proprio complevi dogmate mundum;
Me sine nec prolem matres genuere maritis,
Ex quo nostra volens Adam praecepta secutus
Seque suosque dedit nobis servire parentes —
Legibus hic donec, pacto quo nescio, fractis
Tantus in orbe puer nullius criminis heres
Intrat et antiquas praesumit frangere leges,
Dum mihi prostratum quaerit sibi surgere mundum.
Hunc ego ter temptans hominem cognoscere purum
Arte mea volui: hem — pulsus dubiusque recessi.
Ergo decet maiora virum sentire pericla:
Mors, mihi te sociam solito cum foedere iungam.
Qui nisi cognoscat, semper quid possit amica,
Esse potest: totum revocet per carmina mundum".
Mors dedit econtra tales de pectore voces:

---

248 fuit *O* 249 feci iam pr. i. r. *O* 256 ab *O* . 260 laborans *O* 261 Quem *corr. R* 262 sumpt. *R* 266 insimulat *O* 268 partis *R* 271 Disiecique *O corr. R*, quem *O* 276 Seque /// suos d. *R* 277 nescia *O* 282 heu *O*

251 *cfr.* 186. 253 *sq. cfr.* 220. 256 *Ecl. VIII,* 18 deceptus amore. 257 *Sedul. V,* 230 claustra gehennae. 260 *cfr.* 192. 261 *cfr.* 166. 264 *cfr. Aen. XII,* 819. 265 *Aen. XII,* 946 furiis accensus et ira. 266 *Avit. II,* 411 Acrior insultat victis (*cfr. supra ad v.* 218). 267 *Aen. I,* 133 meo sine numine. 270 *cfr. Sedul. II,* 177 Insidiis temptator adit. 275 *Ge. IV,* 448 deum praecepta secuti, *unde saepius apud poetas Christianos.* 276 parentes *i. e.* consanguineos. 287 *Aen. XI,* 840 deditque has imo pectore voces,

"Foedera si quaeris, tecum sum semper ubique.
Perfice, quod gaudes: totus quam suscipit orbis,
Aemulus ille tuus morsu degustet amaro;
Erige, nil tardes, virgam: pomum colubrumque
(Quo lato digne dominus veneraris in orbe
Lexque manet priscos subdens tibi iure colonos);
Illius in faciem victricia signa levato.
Humano qui more nisi tua sceptra sequatur,
Sorte mea calidam divellam corpore mentem
Tuque potens animam rapias raptamque tenebis,
Corpus inoptata claudetur morte sepultum:
Sic quoque cessabit nostros inrumpere fines".
Dixerat: et daemon concusso culmine signi
Audet — in aeterno torquendus sulphuris igne —
Infestare dei faciem pomo colubroque.
Incipe nunc mecum, caelestis gratia, carmen
Aeterni fontis, scyphi, paschalis et horae.
At patiens dominus, hominum cui cura perhennis,
Signa levat contra lignum: pomum chelidrumque,
Pro furto pomi sacrum dans in cruce pomum.
Huius non speciem potuit mors ferre nec hidrus;
Moxque fugam caperent, si non vis proxima Christi
Maiestasque dei leviathan prenderet hamo
Et natus hominis mortem moriendo necaret.
Qui ponens animam sancto commisit ab ore:
"Protinus, alma, iubeto hostis saevissima colla
Divinis stringi vinclis" — torvumque draconem
Iam tormenta premunt suspecta trahuntque gementem
Ad portas Herebi; dominus quas obruit atque
Tartara disrupit. Caeci tunc carceris aedes
Lux domini inradians evertit: luce tenebras.
O nova captivis facies tunc visa tonantis,
Qui genus humanum rapuit de fauce draconis,
Vincula dissolvit, praedam patrique reduxit
Armillaeque tetras percussit cuspide fauces,
Posse nec indulsit sanari vulnus apertum.
Tunc mortis morsus praedictus voce prophetae
Extitit: et partem rapuit partemque reliquit,

---

291 Erigo *corr. R* 296 mantem *corr. R* 306 *pomumque deumque *RO* pomum colubrumque *F. Duemmler* 313 *iubet *RO* 315 p̃ / munt *R* 316 A *corr. R al. man.?*, quas dominus *R* 318 Lux deus O

289 *sq. cfr. Sedul. V,* 180 necem degustaturus amaram. 291 *cfr.* 215. 306 *cfr.* 291. 307 *cfr. Sedul. I,* 70 *sq. et Fort. C. II,* 3, 10. 310 *Iob* 40, 20 An extrahere poteris leviathan hamo? 312 *e. g. Ioh.* 10, 15 animam meam pono. 317 *Fort. in laud. Mar.* 329 *ed. L. p.* 379 Tartara disrumpens, patriae captiva reducens. *Cfr.* 193. 319 *cfr. Sedul. II,* 48. 320 *Sedul. I,* 73 *et Fort. C. III,* 9, 55 *(de pascha)* Qui genus humanum. *Fort. C. II,* 7, 15 animas rapiens de fauce tyranni, *cfr. Arator. I,* 40. 321 *v.* 317. 322 *Io. Scot. l. c. p.* 1224 *v.* 6 Cuspide Tartaream percutit ipsa Stygin; *cfr. Met. II,* 767. 324 *Osee* 13, 14 ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne.

Primus et ad vitam devicta morte triumphans
Ter redeunte die posthaec surrexit ab umbris
Christus et e tenebris lumen resplenduit orbi,
Ut sol post tenebras consurgit luce choruscus.
Condere quem densae nunquam potuere tenebrae.
Sic chaos exuperans Christus de morte migravit
Atque pium celebri cum nomine pascha sacravit.
Quo transivit enim, lux est et vita perennis
Dans formam nobis tenebris emergere posse;
Si tamen illius celebremus dogmatis horam,
Lumine quam lunae, numero signavit et almo.
Inferiora legas, si vis haec, carmina, nosse.
Perfice nunc mecum, caelestis gratia, carmen
Aeterni fontis, scyphi, paschalis et horae.
Nunc audi, frater, quae sit displosio nodi.
In gemina specie lunae distinguitur orbis:
Scilicet obscura claraque fugante tenebras.
Dicitur hac specie pars terrae parsque polorum:
Effigies hominis manibus plasmata creantis;
Actenus et terris conversum lumen ad illum
Vertere luna monet. Quae dum sua lumina terris
Volvit et ad caelum tenebris obducta tenetur:
Dat hominis formam, qui, dum terrestria quaerit,
Ingenii lumen terras convertit ad imas,
Excipit, et, vulgi gaudens dum murmure laudes,
Dispectus caelo, tenebris obductus habetur;
Interea minimum poterit sollempnis haberi.

---

326 ad vitam] adam *corr. R*, trium .... *R* 328 respuit *corr. R* 329 luce cho ..... R 331 migr .... *R* 332 sac ..... *R* 334 D . ns forma . no . . s tenebris emergere ..... *R* (*cfr. Iuv. pers. de laud. Chr. l. c.* 132 tenebris emergere plebem), exsurgere *O* (*cfr. Commod. c. apol.* 140 Dat nobis exemplum post funera surgere posse) 336 qua *R*, signavit et . lm . *R* 340 dis . . . sio *R*

326 *Iuvenc. IV,* 758 devicta morte ... *Hincmar. de Mar. v.* 37 *ed. Mai cl. auct. V,* 453 devicta morte resurgens. 327 *Sedul. V,* 300 Ter redeunte die. 328 *sqq. Arator. I,* 178 *sqq.* pavidis resplenduit umbris | pallida regna petens, propria quem luce coruscum | non potuit fuscare chaos, fugere dolores. 331 *Iuvenc. II,* 653 migrat ab atra | morte. 340 *sqq. Isidor. de ecclesiastic. officiis c.* 32 *ed. Areval. VI,* 399 *sq.* Quia vero in toto tempore saeculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio domini triduana est (*cfr. Hincmar. explanat. in fercul. Salom. ed. Sirm. I,* 757). Primum (*v.* 356 *sqq.*) enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertium (*v.* 369) sub gratia, ubi iam manifestum est sacramentum quod erat ante in prophetico aenigmate occultum. Hoc ergo et in lunari numero significatur. Quia enim septenarius numerus solet in scripturis ad quandam perfectionem mysticus apparere, in tertia hebdomada lunae pascha celebratur i. e. qui dies occurrerit a quarta decima in vicesimam primam. Sed et non solum propter tempus tertium, quia inde incipit hebdomada tertia, sed etiam propter ipsam conversionem lunae. Tunc enim illa ab inferioribus ad superiora convertitur et haec nobis de luna similitudo assumitur (*v.* 343 *sqq.*) de visibilibus ad invisibilia et de corporalibus ad spiritualia sacramenta transire, ut magis magisque huic saeculo moriamur et vita nostra abscondatur cum Christo omnemque lucem studii nostri, quae ad interiora vergebat, ad superiora convertamus. *Contractiora haec in etymolog. VI* 17, *compilata a Hrabano de clericor. inst. II,* 39 *ed. Migne CVII,* 350. 341 *sq. cfr.* 85 *sq.* 343 *Sedul. II,* 262 Altera pars etenim caeli sumus, altera terrae. 346 *sq. cfr.* 87 *sq.*

Bis etenim septem glomerata fronte diebus
Evomit in terris lumen mirabile luna,
In quibus est vetitum sanctum sollempne requiri:
Qui duo, quae Christum praecedunt, tempora signant,
Ante datam legem primum, sub lege secundum;
Per quae terrigenae peccati pondere pressi
Ingenium vitae sibimet conferre volentes
Indigni caelo tenebris mersere senectam,
Morte nec abiecta meruerunt cernere pascha.
Sed, sursum pallens ut primum condere lumen
Coeperit et terris nigra vilescere forma,
Ter septem numerant, quos non excedere soles
Sit, sed in his licitum sanctum sollempne requiri:
Sic lacrimans primum caelo cum vertere vitam
Coeperit et terris vilis, despectus et esse,
Iam caelo carus ter septem supputet illud
Scilicet in mundo, Christi quo gratia fulget,
Tempus et ex toto conversus corde requirat
Pascha salutiferum celebri ratione repertum
Deque tenebrosa saliens caligine noctis
Transeat ad lucem, Christus quam contulit orbi,
Ut tribuente deo felix per saecula vivat.
Perfice nunc mecum, caelestis gratia, carmen
Aeterni fontis, scyphi, paschalis et horae.
Auxiliante deo, cuius mihi verba tulisti,
Archanum fidei reserans sub nomine paschae
Explicui, triplum potuique resolvere nodum.
Marginis et geminas cecini iam forte figuras,
Clara septenis specie qui fulget in ulnis
Ac totidem mixtis variatur cortice nigro.
Vas quoque iam fudi: venerabile pignus honoris,
Septenis calamis, oris totidemque perornans.
Hoc sine quisque sitit, frustra contendit ad imbres
Aeterni fontis: hic est sapientia patris.
Non intrabit enim commercia pectoris atri,
Subdita peccatis nec mens amplectitur illam;
Spiritus ipse dei sed quam dignissimus hospes
Expurgans vitiis septeno munere dotat
Perpetuoque sibi mansuram dedicat aulam,
Haec sitiens limphas poterit haurire salubres.
Hoc vas quisquis habet, fontis festinet ad undas,
Hauriat et sacris fundat libamen in aris.
Cursibus aetheriis sonitus fit maximus orbi;

---

359 confere *corr. R:* re volentes *in ras. R* 368 clarus *O* 372 tenebroso *corr. R* 383 Vos *O* 384 horis totidemque ter ornans *O* 385 fine *O* umbras *O* 388 paccatis *corr. R* 389 qua *O* 390 Expugnans *R*

353 *sq. cfr.* 89 *sq.* 362 *sqq. cfr.* 93 *sqq.* 372 *Gen.* 15, 17 caligo tenebrosa. 379 *cfr.* 82. 383 *cfr.* 77; *cfr. Heirici Autissiodor. V. Germ. V,* 359 Tum pater admirans fidei venerabile pignus. 384 *cfr.* 42 *sqq.* 394 *cfr.* 53.

Qui regit hunc, somno monuit me sensibus imis
Haec, Audrade, tibi modulari carmine dulci
Pignora cara satis, recinas quae saepius oro:
Sic quoque felici tractabis gutture fontem
Quaesitum longo certamine, dulcis amice.
Maxima dona tibi caelestis gratia confert
Haec: memor esto mei, sacris cum funderis aris,
Obsecro, mi frater; nunc felicissimus esto.'

EXPLICIT.

II.

⟨CARMINUM IN HONORE ECCLESIAE LIBER SEXTUS.⟩

INCIPIT CARMEN IN HONORE SANCTI PETRI APOSTOLI.

Pastori magno totum qui tradidit orbem,
Et caeli claves Petro commisit et omne
Christus ovile suum modica de puppe vocato.
Ille deo plenus, hominem dum cernit Hiesum,
Credidit esse deum natum genitoris et illum
Inquirente deo per saecula vivere clamat.
Denique de superis decimus quia corruit ordo,
Dum nollet laudare deum, locus ipse polorum
Auxiliante deo Petro piscante repletur.
Quem deus et Christus sublimat honore potenti,
Ut portae mortis nequeant obstare iubenti,
Invitae tanti pateant sed principis ori.
Umbra quidem Simonis sanat, quos repperit aegros;
Claudit lingua polos et solvit morte ligatos;
Membra regit membris et mentes mente resolvit.
Praedicat hunc dominus clementi voce beatum,
Cui pater ipse sui geniti patefecit honorem.
Quemque fide stabilem tali cognomine laudat:
'Ecce ego te Petrum dicam, quia vivere Christum
Cum patre semper ais: haec est confessio Petri.
Aecclesiamque meam super hanc petram aedificabo
Et tibi caelorum claves curamque mearum

---

396 *tegit *RO* somno] sonito *O* 400 certamini *corr. R* *versus* 401—403 *et* Explicit *mutilus om. R* funderis *sic O ut apud Alcuin. I,* 264, 4 *et* linquisse *ap. Aedilvulfum*

[II.] CARMINUM—SEXTUS *om. P cfr. p.* 71 *adn.* 1

400 *e. g. Fort. C. VII,* 12, 122 dulcis amice.

[II.] 3 *Arator. I,* 69 *sq.* parva de puppe vocatus | . . Petrus erat. 4 *Alcuin. ex Lucan. IX,* 564 *V. Willibr. II,* 1 (*tom. I p.* 209) Ille deo plenus. 7 *cfr. pass. II,* 81. *Ignoro quid sit* decimus ordo. 9 *d. f. v.* 377 *et Alcuin l. c. VI,* 8 (*p.* 210) Auxiliante deo. *Sedul. V,* 392 (*cfr. III,* 314) Petro piscante per aequor. 11 *cfr. Matth.* 16, 18. 13 *cfr. Act.* 5, 15. 21 *cfr. Matth. l. c.*

In terris ovium tradam: te nempe ligante
Arva polique simul claudentur, apostole Petre.
Nunc tibi magna datur caelo terraque potestas:
Annuet imperium mundi tibi, Petre, subactum.
Solvere quaeque velis, solventur et omnia sursum.
Pasce meos agnos, si meme diligis', inquit
'Et, lavi niveas proprio quas sanguine caulas;
Nam cruce complexum totum tibi subiugo mundum.
Me mandante quidem solido quia marmora quondam
Trivisti gressu fidei meditatus honorem,
His plantis furias calcabis in orbe draconis.
Te monstrante viam mundus regesque feroces
Ad lucem venient dominumque deumque rogabunt,
Ut tecum certam mereantur habere salutem.
Non mare, non tellus, non te superabit Avernum.
Rete capis pisces, verbo post collige gentes;
Evacua tenebras et lucis regna repleto.
Non mors ulla meos agnos, non ignifer ille
Spiritus adtingat, hominum deceptor et hostis,
Quos tua, Petre, manus sacro concludet ovili.
Te carcer timeat ferrique catena tremescat.
Tu quoque te cinges iuvenis, securus et ibis:
Ferrea sponte tibi reseret se porta vianti.
Tu claudis gressum, tu caecis reddito visum,
Tu morbos omnes verbi medicamine sana
Et loeto clausos vitae revocare valeto.
Perveniesque crucis senior succinctus ad aram
Clarificansque deum capies in agone coronam,
Quam mecum genitor clausam tibi servat ab aevo'.
Haec tibi dicta deus complevit, apostole Petre;
Teque regente suam reficit per pascua plebem
Et recipit humilem caelis revocante catervam.
Quas tibi dicemus laudes, lectissime pastor —
O caeli custos, mundi clarissime rector,
Quem deus ad dextram iussit residere tonantis
Te proni petimus: laudum reminiscitor harum
Et placidus nostras digneris noscere mentes,
Iudicis ante thronum steterint cum carne solutae;
Cumque resurgendi generalis venerit hora,
Poscimus, ad dextram statuas nos omnipotentis,
Ignis ne noceat, sanguis quos diluat agni.
Non nos ob culpas iubeas tunc ire sub umbras,

---

25 potastas *P* 43 tremiscat *P*^{1} *(i. e. P a 2. man.)* 51 clam sam *corr. P* 58 *laudis *et* *huius *in ras. P*^{1} 60 *steterunt *P* 63 deluat *P*^{1}

26 *cfr. pass. II,* 1. 29 *Arator. ad Vigil.* 11 Transferor ad niveas Petri sine turbine caulas. 31 marmora *ut Sedul. III,* 228 *in eadem narratione.* 43 *sqq. cfr. Act.* 12, 8. 50 *Arator. I,* 586 agone coronam. 51 *cfr. pass. Iul. III,* 178. 56 *cfr. d. f. v.* 36. 63 *Arator. I,* 203 in flumine diluit agni.

Sed pius absolvas cunctorum vincula nostrum
Et patriam lucis gaudens reserato misellis;
In qua 'ter sanctus', laudes et cantica regi
Perpetuo celebrant summissa voce beati,
Quem nos laudantes trinum veneramur et unum.

EXPLICIT.

⟨LIBER SEPTIMUS.⟩

Septimus hinc recinit Martini pontificatum
Praesulis eximii, toto qui pollet in orbe.

INCIPIT CARMEN IN HONORE BEATI MARTINI.

Inmortale decus Martini praesulis almi,
Quod pius in terris hominum salvator honori
Contulit, o socii, modulemur carmine dulci.
Plebs electa deo, mentem sociato canori,
Quae, summo, properas, ut solvas vota patrono
Sollemnemque diem celebres illius amore.
Inter regales specie sub militis alas
Ante lavacrum dum nudum vestiret egenum,
Indutum propria miratur veste tonantem.
Denique dum totus bello fervesceret orbis,
Martini meritis sumpsit sine sanguine pacem.
Post patris magni famam Pictavis adivit
Deponitque comam, vestem commutat et illic.
Dum flagrat meritis, toto resplenduit orbi
Nec valet abscondi virtutum culmine pollens.
Illirico rutilans heresim superavit et omne
Hostibus obiecit Christi pro nomine corpus,
Dum docet, ut deus et trinus credatur et unus,
Eloquio pollens, divino dogmate fultus.
Aegrotos omnes verbi medicamine sanans
Et revocans animas extinctos vivere fecit.
Inclita dum sancti virtus resonaret ubique,

‖ LIBER SEPTIMUS *om. P*

67 *pass. Iul. IV,* 322 Olli 'ter sanctus' cantarint semper et 'amen', *ibid.* 471 Qua didicere deo 'ter sanctus' dicere proni; *cfr. ib. II,* 337 *sq. et inscript. apud Mai. script. vet. V,* 82 Te circumstant dicentes 'ter sanctus' et 'amen' | aligeri testes. 68 *Sedul. II,* 195 laudat . . . . submissa voce. . . . ‖ 1 *d. f. v.* 102 Immortale decus. 3 *d. f. v.* 397 modulari carmine dulci. 7—9 *cfr. Sulp. Sev. V. M. c.* 2 *sq.* 7 *ibid. ed. Halm. p.* 111, 29 militiam in adulescentia secutus inter scolares alas. 8 ante lavacrum *i. q.* ante baptismum *S. S. p.* 112, 15. 10 *sq. cfr. S. S. V. M. c.* 4. 11 sine sanguine *S. S.* 115, 1, *cfr. Fort. V. M. I,* 77 sine sanguine vicit. 12—15 *cfr. S. S. c.* 5. 14 *d. f. v.* 328 resplenduit orbi, *cfr. pass. II,* 75. 15 *S. S. p.* 132, 10 virtutum culmen. 16 *sqq. cfr. S. S. c.* 6, 4. 20 *sq. cfr. S. S. c.* 7 *sq.* 20 *c. i. h. Petri v.* 47. 21 *pass. Iul. e. g. III,* 17 vivere fecit.

Hunc sibi pastorem petiit populus Turonorum;
Quod deus et sacri firmavit lectio libri.
O gens cara deo, tanto servanda patrono —
Nam vir apostolicus, nulli bonitate secundus,
Ut sol in caelo, Martinus fulget in axe.
Huius non mores virtutum gloria mutat,
Dum primo monachus, praesul quoque permanet idem.
Quem Christi genetrix in terris cernere venit;
Angelicae facies olli super omnia certae;
Namque beatorum Petri Paulique loquelis,
Vultibus et claris crebro veneratur amore.
Hunc deus omnipotens tanto sublimat honore,
Ut tres ad vitam devicta morte reverti
Exemplo Christi faceret sermone potenti.
Quis fuit aegrotus, quem non sacer iste iuvarit?:
Innumeras pestes precibus verboque medente
Pellit et in Christo miserorum milia sanat.
Utque fugat tenebras, dum, sol, consurgit eoo,
Et pandit lumen mundo facieque serenat —
Haud sequus hic relevat, quos vexat spiritus atrox.
Ille diem novit, gaudet qua carne resolvi,
Discipulisque suis praedicit voce paterna:
Qui flentes nimium planctu movere patronum,
Ille polo faciemque manusque levavit et, illis
Exorans vitam caelesti munere caram,
Commendat domino natos, quos ante regebat.
Cum videt adstantem formam nebulonis iniqui,
Hunc secum tetrae dicit nil sortis habere,
Colligit in caeli quem iam patriarcha secretis.
Et pater haec complens saccum cineremque suumque
Non mutans habitum rebus sua dogmata firmat
Et gaudens animam caelo iam dirigit almam.
Virgineis ornata choris pia virgo Maria
Et Michahel venit cum sanctis omnibus illuc
Et laeti sanctum caelo comitantur euntem;
Quique fuere patres, quos actio sancta regebat,
Occurrunt animae, cantu famulantur et illi:

---

43 cernere solvi *corr. P*

23 *sq. cfr. S. S. c.* 9. 26 *cfr. pass. IV,* 294 *et epit. Pippini tom. I,* 405 *v.* 15 *Franconisque t. II,* 636 *v.* 1 nulli bonitate secundus. 28 *sq. cfr. S. S. c.* 10, 1 *sq.* 30 *sqq. S. S. dialog. II,* 13, 5 *sqq.* 33 *pass. Iul. III,* 53 digno veneratur honore. 34 *c. in h. Petri v.* 10. *[Iuvenc.] in gen.* 1230 celso sublimat honore. 35 *S. S. dial. II,* 4, 3. *D. f. v.* 326 ad vitam devicta morte triumphans, *pass. Iulian. III,* 227 (*cfr. II,* 104 *et IV,* 235) ad vitam devicta morte reduxit. 37 *cfr. S. S. V. M c.* 16. 40 *d. f. v.* 197 sol consurgit eoo. 43 *sq. cfr. S. S. epist.* 3, 6. 44 *cfr. d. f. v.* 46 sermone paterno *et pass. Iul. II,* 134 more paterno. 45 *cfr. S. S. ep.* 3, 10. 49 *pass. Iul. II,* 270 nebulonis plenus amici *item pro diabolo.* 50—53 *cfr. S. S. ep.* 3, 16 *sq.; cfr. ib.* 14. 51 *S. S. l. c.* Abrahae me sinus recipit. 53 *pass. Iul. III,* 30 roborans sua dogmata verbis. 57 *cfr. pass. Iul. II,* 93.

'Hanc deus in caelum tanto deduxit honore'.
Martini vitae laudes non sufficit omnis
Mundus et ex obitu virtutes pangere cunctas:
Credimus et verum vero sermone fatemur.
Gloria pontificum praesul Martine, faveto,
Ut tibi caelestis pateat famulantibus aula
Et nobis tribuas precibus per saecla salutem.

EXPLICIT.

---

62 ex obitu *i. e.* eas quae post mortem claruerunt. 64 *cfr. ad Engelmod. I,* 95. 65 *coniung.* tibi famulantibus.

III.

INCIPIT PROLOGUS PASSIONUM BEATORUM IULIANI ET SOCIORUM EIUS.

Sanctorum meritis facies tranquilla tonantis
Aspicit absolvens homines de crimine mortis,
Qui voto fidei venerantur pignora, quorum
Cum Christo laetae regnant super aethera mentes,
Virtutesque canunt librisque dedere notatas;
Qualiter exemplo domini certamine summo
Hostem congressi superarint atque coronis
Paecipiente deo caelesti in sede receptis
Exorent pacem terris hominumque salutem.
Diligit hos tantum celsus rex ipse creator,
Ut sibi praesentes semper consistere gaudens,
Quaeque petant iuste, tribuat largissimus illis
Illorumque pius servet clementer amicos.
Ergo, viri fratres, prostratis vultibus omnes
Atque sacris votis veneremur pignora clara
Sanctorum veniam mundo nobisque rogantes.
O quam clementer poscentum verba receptant
Auribus et gemitus plorantum corde recondunt,
Ante thronum domini donec concentibus almis
Exponant flentum lapsus veniamque reportent.
Horum nempe preces semper sententia vitae
Consequitur hominesque levant super aethera caeli.
Nos vero, quamvis modicum Iordanis ab amne
Potati indigni simus sermone vel actu,
Actus illorum celebremus carmine vero;
Et quos non meritis sequimur, non viribus ullis,
Laudis amore fideque simul tangamus et illis
In caelo positis victricia facta canamus.
Me quoque ferventi Iuliani martyris almi
Pangere conflictus, caelestis gratia, mecum,
Obsecro, digneris certantis promere palmam.

EXPLICIT PROLOGUS.

[III.] 30 conflictis *corr. P*

[III.] 6 *Aen. V,* 197 olli certamine summo | procumbunt. 8 *Met. IV,* 446 caelesti sede relicta. 14 *e. g. Act.* 2, 29 viri fratres. 17 *cfr. de fonte vitae* 45. 23 *cfr. Areval. ad Iuvenc. I,* 34. 25 *Arator. ad Vigil.* 20 carmina vera loquar. 26 *Aen. VI,* 147 non viribus ullis. 30 *de fonte vitae* 145 Incipe nunc mecum, caelestis gratia, carmen.

AUDRADI MODICI PASSIONUM BEATORUM IULIANI ET SOCIORUM EIUS LIBER PRIMUS INCIPIT.

Antiochiam genitus decorasti, rursus eandem
Sanguine martyrii, o Iuliane, tui.
Omni te doctum studio sapientia mundi
Reddidit insignem civibus et generi.
Interea margaritam inventam preciosam,
Sprevisti mundum unius intuitu
Postque tibi iunctam Basilissam more iugali
Servasti intactam virgineo thalamo.
Praefuit illa choris imitanda puella sacrarum
Virgo puellarum iure fovenda suo;
Omnes quas primum caeli praemisit ad arcem,
Post victrix virgo mater et ipsa migrat.
Et tu, sancte puer, monachorum milia dena
Pascebas dapibus ordine continuo
Quosque iuvante deo tanto fervore regebas,
Ut longe fama cresceret inde tua.
Martianus praeses, Christi saevissimus hostis,
Aegypti cunctas dissipat aecclesias;
Compulit hic omnes a sedibus ire fugaces:
Quos Iuliana choors suscipit intrepide.
Quo iubet excepto cunctos comburere preses
Huncque sibi exhibitum proterit et cruciat.
Non valet humanus tormenta exponere sermo
Cuncta ingesta viro carnificis rabie;
Continet historiae sed multa volumen ab ipsis
Digestum sanctis, qui hunc meruere sequi.
Principio tortus divos dissolvit et aras
Quingentos, caeci restituitque oculum.
Unica Martiani proles seu matris id ipsum
Perfecit corde: Celsius hunc sequitur.
Bis denus miles, germani denique septem
Haeserunt iuveni et sacer Antonius.
Hos omnes Christus Iuliano in carcere donat
Atque novam recreans consecrat ecclesiam.
Audiit haec praeses mortemque interminat illis
Nec sibi sufficiens Caesarea arma petit.
Sint haec, ut cecini, titulorum nomine digna,
Quos sibi praecedens vindicet aecclesia.
At nova bella novam excipientia carmina poscunt
Uberiora, sequi historiaeque fidem.

AUDRADI MODICI PASSIONUM BEATORUM IULIANI ET SOCIORUM EIUS LIBER I. EXPLICIT.

|| 10 *fovendo *P* 38 *Quae *P*

|| *lib. I cfr. A. SS. l. c. cap. I—VIII.* 4 *Aen. V,* 705 insignem reddidit arte. 5 *Matth.* 13, 46 inventa una pretiosa margarita. 29 *sq. Quin etiam Celsius unicus parentum filius a se impetravit, ut Iuliani fieret discipulus.* 39 novam *sc.* ecclesiam (*v.* 34). 40 *Arator. ad Vigil.* 20 historiamque sequens.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Imperium mundi pressante Diocleciano
Innocuosque greges laceranti Maximiano,
Marcianus praeses hostes hos excitat ambos
In populum domini tali sermone profanus:
'Maiestate pares, vestrae succurrite legi
Numinibusque piis praebete iuvamen et ante
Obtutus vestros veniat Iulianus et illum,
Qua poterit magica quingentos celsitonantes,
Florebat mundus per quos, subvertere divos,
Quaerite, quave meum tulerit de pectore matris
Unice dilectum genitum septemque benignis
Germanis, pietas dederat quos legibus uti
Vestra suis Christumque sequi concesserat, atque
Militibus vestris sensum subduxerit; et vos
Artibus, o domini, tantis imponite finem'.

C. II. Irritat geminos praeses dum hac voce Quirinos,
Mox sanctum statuunt hac conditione perire,
Ut, si cum sociis vellet Iulianus in ista
Sistere doctrina, praeses tunc plebe coacta
Illius patriae tota populoque tuente
Dolia connumeret sanctis totidemque repleta
Sulphure ferventi pice sive bitumine mixto,
Includat iunctos intus, subponat et ignem
Lignaque cum stuppis, pereant ut vindice flamma:
Hos quoque mitescet combustos ira deorum.
Quodsi per magicam poterint hanc spernere mortem,
Qua vellet poena posthaec consumeret omnes.

C. III. Talia quam gaudens excaepit iussa tirannus
Moxque sibi dictat sedem sub sole parari.
Altera cumque dies primo lucesceret ortu,
Sede tribunali residens adducere sanctos

Acta B. Iuliani et sociorum martyrum A. SS. Ian. I, 582 *sqq.* (*N p.* 35*). Tunc Martianus suggestionem fecit imperatoribus dicens: 'Piissimi principes, subvenite legibus vestris et divinis numinibus, quae remanserunt, praebete munimina et magum Iulianum vestris obtutibus praesentate, qui magicis artibus amplius quam quinquaginta (quingenti *B* quingenta *E*) deorum simulacra, per quos mundus florebat, comminuit, filium unicum a me separavit, militum mentes nescio qua magica arte immutavit; nam et septem germanos, quos clementia vestra legis suae iussit esse cultores, sua magica ad se persuasit et beneficiis vestris fecit esse ingratos. Quid velitis, iussu vestro decernite'.

Haec audientes imperatores hanc dederunt licentiam, ut, si I. cum sociis suis in hac confessione permaneret, ad exemplum caeterorum convocata omni provincia unico vulgi spectantis miraculo singulis singulas iuberet praeparari cupas et intus mitti picem et pitumen et sulphur et singulos in eiusdem (easdem *B*) recludi et igne subposito concremari. Quod si adversum haec magicae artis praevaluerit carmen, haberet licentiam, quali vellet poena eos affligere.

38. Accepta hac auctoritate praeses iubet sibi tribunal (i. f. sedem *BE*) in foro praeparari. Alia autem

---

23 iunctus *corr. P*

‖ 1 *sq. cfr. A. SS.* l. c. 8, 35. 1 *Aldhelm. l. virg.* 2060 Imperium mundi. 24 *Met. I,* 230 vindice flamma. 25 *Met. I,* 378 *et Trist. V,* 3, 13 ira deorum.

Ante suos rabido conspectus loetifer ore
Horribiles mandat; quo facto taliter infit:
'Vestram vos licuit tanto tractare salutem
Tempore; nunc rerum dominos audite libenter
Invictoque Iovi pro vita sacrificate'.
C. III. Respondit contra sanctus Iulianus: 'In ipso
Conceptae fidei duramus agone salutis.
Tu, si quid tractas, exercens pandito nobis'.
Praeses ait: 'Tractata quidem complebo. Quid autem
De vobis statuere pii domini, didicistis?'
C. V. Cui puer illius matrisque avulsus ab ore
Haec ait: 'Audisti, blaspheme, tibique tuisque
Quae tenebris poenae maneant dis daemonibusque?
Nec iam te patrem dicam nec cernere laetor;
Quem deus excelsus praeclaro munere dotans
Haeredem caeli fecit genitumque vocavit,
. . . . . .'
Tunc sanctus Iulianus ait: 'Iam perfice, quod vis,
Atque dei famulos, laetos quos conspicis ante
Stare tuam sedem, meditatis tradito flammis'.
C. VI. Cum videt efferri defuncti membra per urbem
Humano ritu terrae reddenda sepulchro
Transierantque forum, quo perfidus ille furebat,
Qui feretrum revocans deponi precipit illic.
Obstipuere omnes cives populique coacti
Attonitique manent, donec, quid iussio talis
Efferat, auscultent; serpens cum pestifer ista
Voce suam pandit mentem caecumque furorem:
'Ante crucem, Iuliane, deus, quem creditis, egit
Praecepto, ut fertur, defunctos vivere rursus:
Apparebit enim Christus verus deus esse,
Eius discipuli si nunc sine mente cadaver
Vivere praestetis vestri virtute magistri'.

Acta B. Iul.

die cum consedisset, iubet S. Iulianum cum sociis eius suis aspectibus sisti et, cum sisterentur, in hanc vocem serpens prorupit: 'Nihil pro salute vestra in (in *om. Boll.*) tanto temporis spacio cogitastis?' S. I. respondit: 'Cogitatio nostra quae est ab initio, in quo coepit, in hoc et finiet. Tu si aliquid excogitasti penarum, exerce.' Martianus praeses dixit: 'Quod cogitavi, ego adimpleo (adimplebo *B*)'. Et adiecit: 'Audistis, quid de vobis determinaverunt invictissimi principes'? Venerabilis puer dixit: 'Audisti et tu (nec nominande nec videnda nec dicende pater *B*) terminatam poenam patri tuo diabolo, quam praeparavit deus illi et vobis, qui effecti estis ministri eius'? Et subsecutus S. I. dixit: 'Quod iusserunt, imple: audire non delectamur'.

39. Cum ista dicuntur et illa audiuntur, corpus exanime per plateam deferebatur sepulturae mancipandum. Tunc Martianus ceco corde iubet corpus perduci (revocari *E*). Cumque factum fuisset, iubet eum in medio foro deponi. Omnes hoc videntes obstupescunt. Tunc ad Iulianum ait praeses: 'Magister vester Christus dicitur, antequam crucifigeretur, quia mortuos suscitavit: hic parebit si verus deus est, si vos et hunc mortuum suscitaveritis, sicut magister suscitavit'. S. I. respondit: 'Quid prodest ceco, quando sol

---

44 daemonisbusque *P* *post* 47 *lacunae signa posui: excidit tale quid* Hunc patrem veneror, hunc tendo cernere visu'.

32 *Aen. VII,* 451 rabido .... ore. 35 *Aen. I,* 282 Romanos, rerum dominos. 46 *cfr. d. f. v.* 390. 52 *cfr. Aen. II,* 542 *sq.* corpusque exsangue sepulchro | reddidit.

c. VII. 'Quid prodest coeco' Iulianus 'solis obortus?'
Praesul: 'Iam parcens verbis hunc surgere manda,
Ut videam, possis si quid vesterque magister'.
'Non vos esse quidem' Iulianus 'cernere dignos,
Haud dubium, domini virtutem; tempora sed nunc
Instant, ut regis nostri manifesta patescat
Gloria, ne dicas Christum non omnia posse.
Credo equidem: prestabit enim largissimus omne,
Quod recte petimus, promissaque munera complens
Non me fraudabit defuncto reddere vitam'.
Post oculos caelo defixit sanctus: et ecce
Horae per spacium niveo resplenduit ore
Et coram positis precibus his aethera pulsat:
c. VIII. 'O deus, aeterni genitoris gloria, Christe,
Aequalis patri Iesu, sine tempore nate,
Quem placuit hominem nasci post tempora longa,
Quem pregnans genuit hominis sine semine virgo,
Me nunc de superis, regum rex, aspice, Christe,
Credentumque fidem roborans concede roganti,
Qui terris positus homines a morte levasti,
De caelis modo, viventes ne morte graventur,
Ut iubeas istum defunctum surgere vivum'.
Haec dicens corpus claro sic evocat ore:
c. VIIII. 'Arida terra, tibi de nomine dico tonantis,
Imperio cuius surrexit quatriduanus
Lazarus, ipsius "vivens a morte resurge"'.
Quo dicto surgit vivus virtute magistri,
Protinus et magna coepit haec dicere voce:
'O quam digna deo Iuliani verba precantis:
O quam virgineae facile conscendere caelo
Audirique valent castae super aethera voces;
O quantis meritis Iuliani vita refulget;
O multum, Iuliane, polo terraque beate,

exoritur?' Martianus praeses dixit: 'Hic nunc parce fabulis et, si aliquid praevales aut deus tuus, hunc, ut superius dixi, mortuum suscita'. B. I. dixit: 'Licet infedelitas vestra hoc non mereatur a domino, sed, quia tempus est, ut virtus domini nostri manifestetur vel ne hoc impossibile putes, fidelem promissum habeo domini mei credens, quia, quicquid eum peto, non me fraudabit'. Tunc S. I. oculorum intentionem (oculos *B*) in caelum defigens: fere horae spacio immutata est facies eius et facta ut nix et his verbis coram omnibus videntibus fudit orationem ad dominum dicens: 'Domine Iesu, qui es verus filius dei, qui in principio natus es de patre sine tempore et in novissimo mundi hanc carnem de virgine assumpsisti sine semine, aspice in hanc horam de sumitate caelorum tuorum et ad confusionem inimicorum tuorum et ad corroborandam fidem credentium in te ea, quae operatus es positus in terris, exaudi nunc in (de *B*) caelis et suscita hunc mortuum, ut vivi non moriantur, sed mortui reviviscant'. Et hoc dicens ait ad corpus: 'Tibi dico, terra arida, in ipsius nomine, qui quadriduanum Lazarum suscitavit: ipse tibi imperat "surge (super te et ambula *B*)"'. Et cum hoc dixisset, surrexit, qui erat mortuus, et voce magna clamabat: 'O acceptabilis oratio, o immaculata virginitas quae tanta (quantum *B*) meretur. Ubi (quo *Boll.*) ducebar et unde reductus sum?'

65 *hic et ubicumque in pass. Marcianus adpellatur* praesul *corrigendum videtur* praeses 71 Gredo *P* 76 "*an* coram populis? 84 vive *corr. P*

71 *Aen. e. g. IV,* 12 Credo equidem. 78 *cfr. d. f. v.* 241. 86 *cfr. Aen. IV,* 242 has animas ille evocat Orco. 90 *cfr. v.* 63. 92 *cfr. prol. pass.* 17. 93 c. caelo *cfr. in Mart.* 57.

Quem deus omnipotens caelesti in sede locatum
Ante suum iussit semper considere vultum,
Quicquid et exposcis, mox percipis ore tonantis.
Infelix quo ductus eram? hucce vel unde reducor?'
C. X. Marcianus ridens posthaec interrogat illum:
'Dic, ubi ductus eras vel surgens unde redisti'.
Ille ait: 'O praeses, liceat me dicere cuncta
Ordine, quo deus ad vitam de morte reduxit'.
Subridensque iterum praeses narrare perurguet.
Tum sic prosequitur nuper defunctus: 'Ad umbras
Inferni plebs Aethiopum ducebat iniqua
Me, quorum status horrendus dentesque leonum,
Fornacis similes oculi flammantis et ungues
Aequales aquilae nec non et brachia magnis
Transtris; hii semper furiis agitantur et ira.
Sed me gaudentes puteo concludere mortis
Dum celerant corpusque meum spectatur, ut illud
Humano ritu gluttirent viscera terae,
Paulisper, praeses, sed te retinente cadaver,
Excipiunt aures domini, quas maxumus heros
Effudit voces; tremuit mox Tartharus ingens
Altithronique dei vox intonat ore potenti:
"Ob mihi dilectum Iulianum vivere rursus
Incipiat, tantum pro quo carissimus orat:
Non ego tristari, sanctus nec spiritus illum,
In nullo genitorque cupit, quia mansio nostra
Virgineum semper Iuliani pectus habetur".
Post hanc venerunt vocem virtute potentes
E caelis iuvenes induti vestibus albis
Moxque meam gemini rapiunt de morte misellam
Daemonibus pulsis animam vitaeque reformant,
Ut, per quem luci reddor, cognoscere Christum
Post mortem incipiam, quem vivens ante negabam'.

Acta B. Iul.

40. Tunc Martianus caecatus irridendo dicebat ⟨ad eum, qui resuscitatus fuerat: 'Et ubi ducebaris vel *B*) unde redisti?' Tunc ille, qui fuerat defunctus, dixit ad praesidem: 'Permitte me ordinem prosequi'. Praeses iterum irridens dixit: 'Prosequere'. At ille 'Ducebar' inquit 'nescio a quibus Aethiopibus, quorum statura (status *B*) ut gygantum, aspectus horrendus, oculi eorum ut fornaces ignis, dentes eorum ut leonum, brachia sicut trabes, ungues ut aquilae; in quibus nulla misericordia erat. Hi me laetantes ducebant in infernum. Et iam prope os putei abyssi cum essem, ⟨ad hoc expectabatur, ut caro mea terrae redderetur, ex qua sumpta est *etc.*; at ubi tu, praeses, fecisti corpus meum revocari et *B et fere eadem E*) B. I. orationem fudit ad dominum caelorum et infernus omnis contremuit et audita est vox dei de throno dicens: "Propter dilectum meum Iulianum reducatur: in nullo eum volo contristari, in quo sic pater et ego et spiritus sanctus laetatur". Post hanc vocem advenerunt duo albis induti auferentes me de dominatione impiorum, ut huic luci redderent, ut per eum, qui me suscitavit, agnoscam eum (cognoscam deum *B*) post mortem, quem vivus negabam (ante

---

116 maxumus *sic P; cfr. Ribbeck. proleg. Verg. p.* 450

97 *Aen. II,* 525 sacra .. in sede locavit. 98 *cfr. prol.* 11. 104 *cfr. pass. III,* 237. 111 *Aen. III,* 331 furiis agitatus *et XII,* 946 furiis accensus et ira. 114 *cfr.* 52 *et Met. I,* 138 in viscera terrae. 116 *Aen. VI,* 192 tum maximus heros. 118 *Fort. V. M. III,* 482 Altithronique dei dominantis et omnipotentis. *Aen. VI,* 607 atque intonat ore.

C. XI.

Haec cernens praeses turbatus praecipit illum,
Ne populi fiat dissensio, carcere claudi
Cum sanctis anuloque suo signavit et ipse.
Quem doctum babtizari fecit Iulianus
Nomine Anastasium compellans more paterno
Et secum tenuit, donec compleret agonem.
Intera praeses dictat componere poenas,
Augusti sanctis quas exposuere feroces.

C. XII.

Et veniente die sexus concurrit et aetas
Et simul expectant finem certaminis ante
Praesidis aspectum. Quo conscendente tribunal,
Primum sermonem fecit, si concio tota,
Plebs, omnis sexus populusque, senex iuvenisque,
Adforet, ac frendens mittit, qui congreget omnes.
Haec fiunt donec, terdena atque insuper unum
Dolia complentur plumbo piceoque liquore,
Siccatoque mari stuppae spinaeque sub ipsis
Adduntur silvaeque graves, ut montibus altis
Ferme rogi similes centenis passibus aucti
Cernentum quatiant animos formidine summa.

C. XIII.

Exultans animo praeses dum talia cernit,
Conclamat plebis primos sociosque fideles,
Illi quos legit Romana potentia fortes
Militis obsequio praebere per omnia vires.
'Quis sit tantus' ait 'dominus, qui liberet istos
De tantis poenis summa virtute paratis,
Dicite; nunc nostros ulcisci flamma valebit
Custodes magnosque deos Martemque Iovemque
Et sexus gemini quingentos cunctipotentes'.
Nec spectat responsa, videt qui cuncta parata.
Sed mox educi sanctos de carcere mandat:

C. (X)IIII.

Curritur et rapido reserantur limina pulsu
Carceris et tractos adducunt ante tribunal
Praesidis aptati frenesi furiaeque ministri.
Cumque viri sancti raptim traherentur ab illis,

negavi *B*)'. Haec videns praeses et audiens (e a. *om. B*) turbatus est et, ne dissensio fieret inter tantas multitudines (populi *B*), iubet eum cum sanctis in custodia recludi et claustra anulo regis (suo *pro* r. *BE*) signari. Quem B. I. fecit baptismi gratiam consequi et cum ipsis in martyrio agonizabat.

10, 41. Impius autem Martianus iubet poenam praeparari, quam imperatores iussserunt. Cumque parata fuisset, (iluxit dies, *B*) populi utriusque sexus concurrebant ad spectaculum (expectaculum *B*) circi (c. *om. B*). Sedet pro tribunali praeses et universa aetas concurrit et qui nolebant a ministris urguebantur. Ordinantur cupae in ordine triginta et una; terror intolerabilis agebatur: mediantur cupae pice pitumine sulphure, aggregatur copia lignorum et sarmentorum.

42. Iubet impius Martianus sanctos dei produci de custodia. Sanctum vero Iulianum et puerum unum vinculum tenebat, caeteri autem onerati vinculis et catenis trahebantur ad spectaculum et ymnum deo omnes

---

141 contio *P*. 163 que *iterat P*

138 *cfr. de fonte vitae v.* 138. 147 *e. g. Aen. XII,* 523 de montibus altis. 150 *Aen. XI,* 491 Exultatque animis. 151 *Trist. I,* 5, 63 sociosque fideles. 152 *e. g. Aen. VIII,* 99 Romana potentia ... 158 *cfr. v.* 8. 162 *Iuv. IV,* 591 ante tribunal.

Psallebant domino concordi voce canorem
Davidis. Quorum facies splendore micanti
Mutantur vultusque novi mirantur ab omni
Circumstante viro; gemituque moventur amaro
C. XV. Et lacrimis flentes addebant talia patres:
'Et nos, o miseri, natos genuisse videmur? —
Qualiter istorum iuvenum spectare valemus
Indignam mortem, quorum non crimina scimus?'
Pectora matronae tundunt miscentque dolori
Singultus nimios et ruptis crinibus illos
Sepius aspectant et tandem corde repressum
Vocibus his pandunt excelsa voce merorem:
'Cogimur, ei nobis, miserae quae cernere matres
Aetatis tenerae natorum vel genitarum,
Innocuos iuvenes tali sub sorte perire.
Quid nostrae suboli poterit contingere posthaec,
Hos homines iustos caelesti luce coruscos
Si siccis oculis inmitti cernere flammis
Praesulis insani iussu grassante queamus?'
Nec minus et pueri flent innuptaeque puellae
Et gracili luctu reserant hac voce dolorem:
'Ut quid pulchra nimis caelesti splendida luce
Igni dampnatur nullo parcente iuventus?
Caeca, tiranne, tibi numquam concessa potestas
Haec foret, o praeses: qui vivis parcere non vis,
Sed neque defunctos audis, saevissime, quorum
Splendentes vitam facies sine crimine monstrant'.
C. XVI. Tunc constans animo Iulianus postulat omnes,
Ut cessent lacrimis ponantque silentia dictis:
Conticuere omnes et spectant dicta rogantis.
Martyr quos domini claro sic edocet ore:
'Cernitis, o fratres, ignes poenasque paratas? —
Non nos impediat vester clamor lacrimaeque:
Quin potius liceat tantum certamen adire.
Nam sicut fornax aurum, cum traditur illi,
Purius exponens aptum facit esse coronae
Regis et insertis rutilat diademate gemmis —
Haud secus et nos haec reddent incendia pulchros;

Acta B. Iul.

una voce canebant dicentes (*psalm.* 118, 71): 'Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas'. In quorum aspectu novam pulchritudinem omnis aetas mirabatur, quorum mentes ad fletum conversas pietas inclinabat. Clamabatur ab omni aetate inconfuse (in confuso *E recte*): viri clamabant 'O iniusticia — et nos filios habemus?', mulieres solutis crinibus clamabant 'O gemitus amarior felle — ut quid talis iuventus igne crematur? O potestas ceca, quae nec vivis parcit nec mortuos audit'. Tunc S. I. silentium petens ait ad populum: 'Ne prohibeatis fieri: sinite nos splendidiores fieri auro per ignem, hoc scientes, quia videbitis nos creduli et increduli igne consumpto, sicut videtis nunc ante ignem, illesos.'

---

165 *canora *P* 181 choruscos *P*[1]

165 *Amat. III,* 311 voce canora. 172 *cfr. Aen. VI,* 163 indigna morte peremptum. 181 *cfr. d. f. v.* 329. 182 *Ennod. ed. V. p.* 293, 44 Nec siccis oculis. 184 *e. g. Ge. IV,* 476 pueri innuptaeque puellae. 194 *Aen. II,* 1 Conticuere omnes. 199 *sqq. cfr. A. SS. l. c.* 8, 36 *p.* 582 *et Aldh. d. l. v.* 153 *sq.*

Omnibus et poenis consumptis splendidiores
Inlaesosque deum caeli terraeque marisque
Laudibus inmensis cernetis glorificare'.
Cumque piis verbis celebraret talia sanctus,
Protinus ex iussu sistuntur praesidis ante
Conspectus saevos. Quos vocibus increpat istis:
'Quur vobis, iuvenes, tam desperata voluntas,
Omne decus vitae per quam nunc perdere vultis,
Interitum sumptura manet properantibus ultro
Ad mortis poenas nimio sudore paratas?
Nescio sic alienatas quo crimine mentes
Vertite pro vestra iam iam veniente salute
Et vestras summis cervices flectite divis —
Pro vobis etenim solita pietate moventur —,
Ignibus absumptos ventus ne spargat in auras
Perdatisque simul misero cum nomine vitam.
Quodsi, Caesaream, vultis, poscam pietatem,
Ut vestris liceat vobis post legibus uti
Et fidei vestrae cultores esse quietos;
Tantum ne prolem patris cum nomine perdam
Et spem nascenti matris de flore decoram
Virtutemque patris, vernantem aetate tenella,
Aequali iuvenum ac socia dulcedine vinctam
Ante meos oculos Vulcani devoret ira.
O dolor internum lacerans pectus genitoris —
Nulla medela mihi poterit contingere posthaec;
Quin propriam semper plangam, dum vixero, prolem
Extinctam flammis pariter cum nomine patris.
O mala sors patris, genitum splendore coruscum
In medio iuvenum cernit qui luce nitentum:
Nam nescit, primum plangens quem fletibus udet,
Dulcis amor patris medius dum filius adstet.
Artibus o magicis nimium Iuliane perite,
Qui cunctos superare magos virtute magistra
Pro nihili ducis, — quam multa trahis bona tecum
Ad mortem, faciens ut matris pellat amorem
Filius et patrem dicat se nolle videre.
Ore tuo, fili, dulces audire loquelas

43. Iubet eos impius praeses in conspectu suo statui. Quibus sic dixit: 'O desperata voluntas, per quam decus iuventutis ad interitum properat, et nescio quae carmina aliena tenentes (quo carmine sic alienatae mentis *E* iuv. per nescio quo carmine sic abalienatae mentes a. i. properant. *B*) convertimini et tandem pro vestra salute immortalibus diis, qui pro vobis elaborant, cervices flectite. Quod si volueritis, ego optinebo vos ab imperatoribus sine aliqua persecutione religionis vestrae esse cultores; tantum ne unici mihi filii dulcedo cum talibus etatibus in ipso flore vernantis aetatis ab igne cremetur. O insatiabilis (insanabilis *B*) dolor pectori meo — quem primum plangam? cum † in omnium dedecora corpora, † filii dulcissimi considero vultum (cum omnium decora sunt c., f. d. plus c. v. *B*). O Iuliane omnium malorum magister, quam multa bona tecum attrahis (trahis *B*) ad mortem, ut filius me (per te *pro* me *B*?) negando patrem nec matrem agnoscat.

213 **an* carmine *ut in actis? cfr. de fonte vitae* 208 212 286 *Engelmod. III*, 52, *ubi spernenda erat Sirmondi coniectura* 219 pos'am *corr. P*[2] 233 *uffet *P*

216 *Fort. C. II*, 16, 61 solitae pietatis amore. 220 *cfr. v.* 12.

Ante ego, quam pereas, genetrix numerosaque plebes
(Quae sibi te dominum gaudens optabat habere
Atque tuo funeri postremum dicere "salve"
Advenit tristesque genas hic luctibus udat),
Consensu parili certatim poscimus omnes'.
Celsius haec contra puer inclitus ore beato
Respondit: 'Plorent se teque voragine mortis
Obclusos; plangent sed quur nos? regna polorum
Scandere quos cernunt: transibimus ecce per ignes
Inlaesique tibi post haec parebimus omnes
Consumptis flammis nec non incendia cuncta
Atque omni populo, nostrum qui spectat agonem.
Nam vos quae colitis simulacra deosque vocatis
Et pestes geminas, Augustos scilicet ambos,
Dispicimus veluti a scopante peripsima tultum'.
C. XX. Infelix praeses respondit taliter: 'Ultra
Non vos haec tumidos audacia vivere laxat'.
At puer intrepidus coniurans obligat illum:
'Per miseram testor nimis et vanam levitatem
Te, cui cervicem flectis: largitor, ut unum
Poscenti tribuas, meme nec sperne rogantem'.
'Expete', praesul ait 'quicquid cupis, unica proles'.
C. XXI. Celsius: 'Egressum flammis cum videris esse
Inlaesum et laudare deum terraeque polique,
Tunc mecum permitte meam triduo genetricem
Cessis tractare induciis, quae semita vitae
Extunc conveniet nobis; pandemus et illud
Ante tuos, praeses, conspectus utpote laeti'.
Audiit hunc gaudens genetrix laudatque precatum.
Caecatus praesul nebulonis plenus amici
Dixit: 'Ab his flammis si tu, quod credere stultum est,
Egressus fueris sospes, complebitur istud'.

Acta B. Iul.

Vel antequam pereas, fili, ex ore dulcissimo verbum audiam tuum; ecce venit et mater, quae partus sui doloris luctum, quem non sperabat, invenit, ecce et inumerabiles familiae (numerosa familia *Boll.*), quae sibi te futurum dominum gaudebant, funeri tuo vale dicturi venerunt (advenerunt *E*)'.

44. Venerabilis puer Celsius dixit: 'Lugeant se et te; nos autem, quos conspiciunt ad regna caelorum pergentes cur lugeant?: nam nos ⟨omnes *B*⟩ transibimus per ignem istum et illesi tibi apparebimus et huic ⟨tanto *B*⟩ populo, qui agonem nostrum expectat. Demonia vero, quae colitis, et illas pestes, quos imperatores dicitis, ac si purgamenta despicimus'. Praeses dixit: 'Ipsa est contumax audacia vestra, quae vos vivere non permittit'. B. Celsius dixit: 'Per ipsam veritatem (vanitatem *B*), quam colis, obtestor, ut intrepido corde petitioni meae tribuas affectum (effectum *BE*)'. Praeses dixit: 'Quidquid volueris, exposce (pete *B*)'. Puer (S. Celsius *pro* p. *B*) dixit: 'Cum me videris inlesum post ignem, permitte ad me venire matrem meam et habebo cum ea consilium triduo dilatione concessa. Et si mihi unam rem, quam voluero, consenserit, nec me nec ipsam amittes'. Mater haec audiens urguebat fieri. Tunc impius praeses caecatus a diabolo dixit: 'Si ex igne illesus exieris, quod fieri non credo, faciam, quae desideras'.

---

249 cernent *corr. P* 255 copante *corr. P* 257 vevere *corr. P* 269 hoc *P'* audatque precatum *in ras. P*

248 *Aldh. l. v.* 755 regna polorum. 255 *cfr. Cor.* 1, 4, 13 blasphemamur .., tamquam purgamenta *(cfr. acta)* huius mundi facti sumus omnium peripsima usque adhuc. 262 *Iuvenc. II,* 227 unica proles. 266 *Sedul. I,* 81 ut semita vitae.

C. XXII.

Haec dicens, horret geniti dum cernere mortem
Mente, sui socium, voto parilique coaequum
Sede sedere sua fecit, qui includeret illos
Caesareo iussu fornacibus atque subacto
Igni mox flammis, post vento traderet omni.
Ipso autem scissis cum fletu vestibus una
Cum Mariena uxore domum propriam redeunte,
Consurgit planctus lacrimantibus undique cunctis:
Nam pater et genetrix, famuli quoque non minus omnes
Emulctis lacrimis torquent penetralia frontis
Pro nati poenis, domini pro morte propinqua;
Nullus erat gemitui posset qui ponere finem,
Nullus erat, mestis posset qui ferre levamen.

C. XXIII.

Quid multa? adsessor complet sibi iussa tirannus
Includique iubet sanctos fornacibus illis.
At vero sanctus, qui numquam, Celsius, almi
Disiungi potuit caro latere Iuliani,
Dans pacem patri properat securus ad ignes
Suppliciumque sibi multo sudore paratum.
Nec mora, cum singillatim plumbo inmerguntur
Sulphure commixto, pice sive bitumine sancti:
Congesta aggere silvarum molimina mandat
Carnificis rabies stuppis spinisque subactis
Ocius accendi. Socii quod protinus implent:
Et fragor intonuit tellusque tremore resultat
Mutaturque poli facies, cum flammea nubes
Aeris extrema transcendere nititur et mons
Igneus ille vorax, fumo densusque, favillans
Antiochiae fines summa formidine turbat
Et totum regnum nimio terrore fatigat
Eructansque ignis ter deno vel super uno
Vertice flammarum subitum cernentibus affert
Pallorem mortisque metum: seseque retrorsum

45. Tunc praeses non tolerans videre incendium filii assessorem suum reliquid, qui iussa principum compleret. Ipse autem scissis vestibus et ululans cum uxore domi (domum *EB ex corr.*) revertitur: exurgit luctus immanis plangentibus cunctis (in confuso *B*): lugebant parentes filium, servorum multitudo dominum; nec erat, qui consolaretur.

Quid multa? assessor munus sibi iniunctum adimplet: iubet sanctos singulos in singulas deponi cupas. Sanctus vero Celsius, qui numquam a latere S. Iuliani discesserat (fuerat disiunctus *E*), dans pacem patri ad praeparatum supplicium properabat intrepidus. Et cum singuli a ministris apprehenderentur et deponerentur in cupas, sicut superius diximus, pice et pitumine et sulphure implentur. Aggregata vero copia lignorum et sarmentorum et stuppae iubet assessor ignem supponi. Quod ut factum est, eructuabat flamma excelsior obeolisco (obelisco *E supr. lin., cfr. Aldhelm. ed. Gil. p.* 48) et cubitis amplius quam triginta elevabatur;

---

276 subacta *corr. P* 282 emultis *corr. P* 283 pro quinqua *P* 286 tyrannus *P'*

279 Marienae *nomen quod non dubito quin e suo codice servaverit Audradus, in meis actorum libris est* Marionilla *(B)* Marcionilla *(N E β), apud Boll. p.* 587 Marciana, *apud Flodoard. de triumph. Christi Antioch. gest. I,* 13 *ed. Migne p.* 664 *A* Martianilla. 286 *cfr. v.* 28. 291 *cfr. v.* 212. 292 Nec mora *e. g. Ge. III,* 110 293 *cfr. v.* 22. 295 *cfr. I,* 24. 297 *cfr. Aen. V,* 150 colles clamore resultant. 301 *cfr. v.* 149.

Certatim inpingunt confusis gressibus et se,
Quo fugiant mortem, miseri nescire fatentur;
Nec spes certa fugae, dum se subcumbere flammis
Hethere depulsis madefacto lumine cernunt.
C. XXV. At sancti mediis exultant ignibus omnes
Atque suum regem conlaudant et benedicunt,
Qui superare facit flammas tormentaque tanta
In se credentes humiles famulosque fideles;
Auditurque procul psallens exercitus illis
Militiae iunctus caelestis consona laudum
Pangere salvanti domino per saecula Christo.
Talis erat sonitus psallentum, qualis aquarum
Multarum resonat ripis de gurgite magno.
Interea flammae consumunt omnia, quaeque
Vis inimica piis congessit, deficiuntque;
C. XXVI. Cum iubet adsessor carbonum vellere montes,
Sanctorum cineres ut vento spargat in omni.
Quo facto insperata malis clarissima plebes
Plus auro rutilans, magno cum fervet ab igni
Fornacis gremio, argentum vel cum nitet — ecce
Haud secus apparet fulgens inlaesaque tali
Voce deum laudans: 'Patrem genitumque vel almum
Flatum, qui caelum terramque creavit et undas,
Aera vel quicquid vivit vel cernitur esse,
Te merito proni laudant super ethera sancti
Coetus angelici, quos, rex benedicte, creasti.
Sidera cum caelo, sol, luna vel ignis et aer
Cum cantu volucrum, pontus cum piscibus, arva
Cum gregibus pecudum vel quicquid continet in se,
Te, benedicte deus, laudent, quia cuncta creasti.
Conditus atque tuis manibus, rationis et haeres
Te inspirante datus homo, rex, super omnia laudet,
"Gloria personis trino, deitate sed uni"
Suppliciterque canat nunc atque per omnia saecla'.

AUDRADI MODICI PASSIONUM BEATORUM IULIANI ET SOCIORUM EIUS LIBER SECUNDUS EXPLICIT.

Acta B. Iul.

de medio vero ignis ita multitudo psallentium resonabat quasi vox aquarum multarum. Consumpto vero igne (Confectis vero omnibus cupis et i. cons. *B*) subito apparent sancti sicut aurum vel argentum rutilans istaque modulatione ymnum canebant (*psalm.* 65,12): 'Transivimus per ignem et aquam et induxisti nos in refrigerium'. Et iterum ignis ardens atque coruscans vim virtutis suae oblitus est.

---

309 Aethere *P*¹ *ante* 310 XXX *corr. P* 319 flamme *P* *ante* 321 XXXI *corr. P*
328 que *sup. lin. add. P* 331 Coetus *in ras. P* 338 uni] i *in ras. P*

308 *Aen. IX,* 129 Nec spes ulla fugae. 320 *Aen. XII,* 150 vis inimica .... 322 *cfr. v.* 277.
324 *sqq. cfr. v.* 199 *sqq.* 328 *sqq. cfr. d. f. v.* 155 *sqq.*

INCIPIT LIBER TERTIUS.

C. I. Angelicos pueros inmensa luce coruscos
Ut primum indigno potuerunt cernere visu,
Auribus ingratis vocesque hausere sacratas
Illi, quos iudex misit divellere prunas,
Sanctorum cineres rapidis ut spargeret auris,
Exclamant fugiuntque novo fulgore repulsi
Atque metu mortis tremulantia corda reportant.
Fama volat subito: post ignes vivere sanctos
Et laudare deum concordi voce potentem,
Qui superare dedit humiles incendia tanta,
Auxit et inlaesis caelesti luce nitorem.
At populi dudum nimio terrore fugati
Converso gressu concurrunt cernere sanctos
Miranturque omnes quam sanis vivere membris;
Illorumque deum conclamant omnipotentem,
Qui salvans iuvenes miracula tanta peregit,
Qui in se credentes post flammas vivere fecit.
Tunc omnes pariter dominumque deumque fatentur,
Victor quem sanctus Iulianus predicat et qui
Praestitit intactos ter denos vel super unum
Ignibus e mediis pueros exire canentes.

C. II. Curritur et celeri referuntur cuncta relatu
Marciano. Gressu rapido cum coniuge qui mox
Cernere signa volat Celsii predicta loquelis.
Post hanc in vocem prorupit pestifer anguis:
'Per dominum, Iuliane, tuum te obtestor: ut, a quo
Aut ubi virtutem tantam magicam didicisti, —
Ne pereant populi praesentes, pandito palam'.

C. III. Inclitus haec contra venerando protulit ore
Martyr evangelicis roborans sua dogmata verbis:
'Auctorem vitae, dominum totiusque salutis
Testaris, praeses, miracula tanta patrantem.
Est etenim tempus, Christus quia plebibus istis
Esse deus verax atque omnipotens doceatur.
Credito me referente: valent haec discere soli,
Qui mundum fugiunt animo nudique sequntur

46 Nuntiantur haec praesidi: sanctos dei illesos omnibus apparere. Et statim cum uxore ad spectaculum properat exitum rei cognoscere. Tunc in hac voce prorupit: 'Iuliane, obtestor te per deum tuum, ut mihi dicas, unde tantam virtutem maleficiorum didicisti'. B. I. dixit: 'Quia per deum (dominum *B*) meum me adiurasti, qui est horum mirabilium auctor, referam, quo modo possit mereri, qui desiderat talia discere maleficia, ut (sit) sicut et ego huius carminis sanctificator et auctor: si quis elaboraverit, ut se ab omnibus actibus

‖ 1 choruscos P^v 14 bembris *corr.* P^v

‖ 1 *cfr. pass. II,* 181. 3 *Aen. IV,* 359 vocemque his auribus hausi. 8 *Aen. VIII,* 554 Fama volat .. subito. 12 *cfr. pass. II,* 302. 20 *cfr. pass. II,* 303. 25 *Gothescalc. ap. Monnier. de G. et Iohann. Erigen. controv. p.* 103,7, 7 pestifer anguis *de diabolo.* 28 *cfr. pass. II,* 39 *IV,* 13 *et* 25. 31 *Iurenc. III,* 503 Huic auctor vitae *de Christo.*

Imperium domini dicentis: "quisque venire
Vult post me, spernat mundum vel quicquid in ipso
Aggravat humanos sensus mentemque tuentis
Emollire solet, semet quoque deneget ipsum
Atque crucem propriam baiulet liberque vocantis,
Calcatis opibus nihil preponat amori;
Non patrem matremve, domus vitesque vel agros
Nec quicquid visus vel sensus contigit umquam,
Nilque aliud spectet praeter promissa creantis
Sollicitusque gerat semper curam miserorum
Contemptaque fame satiet, quos novit egere,
Induat et nudos, simplex si vestis abundet".
Tale deo munus satis acceptabile semper
Et, quo non irae facies demergitur umbris
Quove ruit praeceps discordia pace sub alma
Et quo perversus sanctus non dicitur esse
Et vere sanctus digno veneratur honore.
Nam sunt nonnulli, quos actio nulla beatos
Fecit et hostili sanctis virtute repugnant,
Falso qui credi quaerunt sub nomine sancti;
Et sunt nonnulli, quos gratia larga tonantis
Effecit iustos, humili qui mente beatam
Elegere viam cunctosque iuvare parati
A nullo laudes quaerunt, fugiuntque sed omnes
Mundanae laudis pompas hominumque favores
Inlatasque sibi iniurias pro laude receptant
Et nullum laedunt noluntque nocere nocentem.
Hi semper humiles student se cordis in ara
Contriti, casti, tribulati sacrificare
Aeterno domino, solus qui regnat ubique:
His idem dominus concedit discere talem,

Acta B. Iul.

seculi faciat alienum, et solam vocem domini audiat imperantis et dicentis (Luc. 9, 23): "si quis vult post me venire, abneget semet ipsum sibi" et nihil amori Christi praeponat, nihil aliud desideret, nisi quae dominus promittit, non considerans patrem, non matrem, non uxorem, non filios et caetera, quae noverunt intelligentes; ante omnia quam (qui *BE*) pauperum curam sollicite gerant, qui contemnunt (contenti sunt *B*) esurire ut alii refocilentur (satis deo acceptum est munus, quo indigens saturatur, et nudus vestitur); qui iram non perficit et malum pro malo non reddit, qui iracundiae tempus non reservat, et impatiens per patientiam superatur; qui non dicitur sanctus antequam sit, sed ut sit, quam de eo verius dicatur. Multi enim dicuntur, quod non sunt, et sola spe securi, quia dicuntur, quod non sunt, segnes efficiuntur elaborare ut sint quod de eis ficte dicitur; et multi sunt, qui vere sancti sunt et non dicitur, quod sunt, sed humilitate et gratia pleni ab hominibus sciri nolunt quod sunt, ut ab illo recipiant mercedem, qui novit quod sunt. Hi tales hanc artem, quam ego didici, discere possunt. Non solum in hoc corpore degentes hanc mercabuntur gratiam, sed et aeternam cum domino collocabunt amicitiam; qui primum docti a Christo aliis subministrant donum in se collatum, se primum lucrantes, deinde proximo facientes, quae praedicant; non solum doctores, sed et viri aedificatores illatas sibi iniurias pro laude deputant; qui sibi iniuriae tempus non reservant; qui reconciliantes se proximo et proximum sibi, conferunt munera Christo; qui humilitatem optant, quod est culmen

43 vites] te *in ras. P* 47 *contentaque *P*

41 *Luc.* 14, 27 et qui non baiulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus. 64 *sqq. Psalm.* 50, 19 Sacrificium deo spiritus contribulatus: cor contritum et humilitatem deus non despicies.

Quali me docuit, felicis nominis artem'.
C. IIII. Adfirmat praesul stultum, qui sponte sub ista
Iniuria vitae presentis gaudia curvat.
Sanctus ait, cunctis dominum haec praestare paratum,
Istud sed paucos culmen conscendere dignos.
'Non ego' praeses ait 'tecum sermonibus ultra
Uti delector, princeps Iuliane magorum:
Nam statui finem tecum iam iamque loquendi.'
'Optavi' dicit sanctus Iulianus 'et opto;
Vox blasphema meas tantum ne scalperet aures.'
C. V. Turbidus hinc praeses faciem tranquillat et almum
Alloquitur genitum virosa voce cruentus:
'En tua, quam triduo, genetrix indulta, petebas:
Tractet hoc spacio tecum, quae semita vitae
Congrua sit vobis; posthaec pandetis et illud
Ante meos laeti vultus, clarissima proles;
Pectore nam, fili, toto certare parata est,
Unica ne virtus pereas utriusque parentis'.
Subiunxit sanctus: 'Nullum permitte tuorum
Hoc nostras triduo facies decernere, posco'.
C. VI. Concedit praesul pariterque includere mandat
Cum sanctis matrem pueri: clauduntur et hii mox.
Ingressi talem domino fudere precatum:
'O — qui cuncta vides et noscis praescius omne,
Ut factum praesens, aeque ventura probasque
Plus mentes placidas, senio quam corpora pigra,
His votis aurem praebens, largissime Christe:
Huius, nunc praesta, pateant ut lumina cordis,
Acceptamque tibi facias, quae gignere fructum
Terra deo potuit, qui nunc laetaris in illo'.
C. VII. Et subito has voces sequitur commotio terrae,
Emicat et fulgor septimplex luce metalli

omnium bonorum'. Martianus praeses dixit: 'Et quis tam insipiens est, qui huius vitae laetitiam fugiat et ad istam tantam iniuriam semet ipsum inclinet?' S. I. dixit: 'Hoc deus (dominus *B*) omnibus paratus est dare, sed pauci sunt digni accipere'. Martianus praeses dixit: 'Ad te ⟨,Iuliane, *B*⟩ meus sermo finem accipiat'. ⟨Sanctus *B*⟩ Iulianus dixit: 'Hoc et ego semper optavi'.

9, 47 Tunc praeses ad filium suum ait: 'Ecce mater tua; ut postulasti, triduo cum eo (ea *β*) habebis inducias. Haec autem ad omnia tibi oboedire parata est, ne te unicum multorum suorum dolorum amittat dulcissimum filium'. S. Celsius dixit: 'Hoc triduo matre mihi concessa nulli liceat (licebit *BE*) tuorum interesse'.

Praeses dixit: 'Sicut vis, ita concedo'. Et adiecit: 'Recludantur simul custodia privata'. Impletur iussio praesidis. Tunc sancti martyres ⟨recluduntur *B*⟩ civili custodia una cum matre pueri. Ingressi hanc orationem fuderunt ad dominum dicentes: 'Deus, qui praescius es futurorum, qui transacta veluti praesentia conspicis, qui mentes probas, non aetates: tu, domine, oculos cordis huius aperire dignare et acceptabilem tibi fac terram, ex qua sumpsisti fructum, in quo laetari cognosceris'.

48 Statim commotus est locus, in quo erant sancti orantes, et ⟨fulgor *Bβ*⟩ argento septies splendidior

---

68 *felici *P cfr. pass. IV*, 53 77 scalperet] ca *adrasit P* 86 subiuxit *corr. P* 92 praeses *corr. P*

75 *e. g. Met. I*, 535 iam iamque tenere. 81 *sqq. cfr. pass. II*, 266 *sqq.*

Argenti, suetus sanctisque odor adfuit et vox
Psallentum caelo resonat: 'Vere pius es rex,
Gratis qui inmeritas animas et corpora salvas'.
Audiit haec mater Celsii clamatque repente:
'Tempore quo toto mundi per gaudia vixi,
Non me tantus odor, quantus nunc, laetificavit.
Hortus amoenus enim sicut, quem lilia vernant
Atque rosae, redoletque crocus seu balsama spirant, —
Cunctis sic olfacta bonis sum plena dolorque
Abscedens omnis reminisci non sinit ultra
In mortem geniti, dudum quae passa gemebam.
Nec cognosco aliud cordi remanere, sed illum
Esse deum verum, pro quo meus unicus ista
Intrepidus patitur'. Quam mox Iulianus et omnes
Taliter, ut fertur, divino rore propinant:
'Vive beata deo credens, mox verba fatentis
Corporis et mentis pariter medicina sequetur:
Talis enim est medicus, nos in quem credimus omnes,
Qui facile curans animas detergat ab omni
Vulnere, quis fuerit fidei confessio pura'.
Celsius adiunxit: 'Modo iam me dicere matrem
Te gratulor dicique tuus non horreo natus:
Vere agnosco meam matrem, tu noscito natum.
Non ego te perdam, genetrix; mecum sed ad illud
Tende bonum, pro quo tantum sufferre laborem
Parvus grex gaudet, cum quo iam clausa teneris'.
C. VIII. Respondit genetrix, cuius iam pectoris ima
Gratia lustrabat divina animamque fovebat:
'Noscito iam, fili: nihil hinc mihi carius illo
Esse deo poterit, tantum quem diligis; et nunc
Pande salutis opem: iam iam parebo saluti'.
Et dixit sanctus: 'Cor credens iustificatur,

Acta B. Iul.

emicuit odorque consuetus sanctis affuit et vox psallentium in aere sonabat: 'Vere pius deus, qui iustificat animas peccatrices sine operibus.' Haec mulier videns et audiens clamabat: 'Numquam in diebus vitae meae hunc tantum et tam suavem odorem comperi: nam hic amenissimis hortis (sicut in a. h. *B*) liliorum et rosarum croceum nectar balsami et nardi redundant odores boni. Ita sum enim refecta his tantis suavissimis odoribus, ut maestitiarum omnium dolorumque meorum oblivione potiar. Nec aliud cordi meo remanere cognosco, nisi ipsum verum deum, pro quo filius meus agonizatur'.

49 Haec audiens B. I. cum omnibus sanctis talem fertur mulieri propinasse doctrinam: 'Beata tu credentibus arbor dinosceris, quae sic fructus tui merito corporis et animae medicinam celeriter consequaris: nam talis est medicus, qui tuam suscipit sanitatem, ut non secando curet vulnera tua, sed probando fidem tuam'. Venerabilis puer ⟨Celsius *B*⟩ subsecutus dixit: 'Vere te nunc veram matrem profiteor, veram meam genitricem agnosco; nec tu amitte (amittes *Boll.*) filium nec ego matrem, si una mecum ad illud contendas donum, pro quo sancti haec tanta sustinent.' Venerabilis mulier, cuius intima pectoris divina gratia iam illustraverat, respondit filio et dixit: 'Cognoscas me, fili, nihil amori eius praeponere, quem tu ⟨sic *BE*⟩ diligis. Pro qua re quicquid necessarium saluti meae esse cognoscis, exerce'. Puer dixit: 'Corde creditur ad iusticiam,

---

106 *ortus *P* 120 *me] te *sup. lin. P* 123 sed allud *corr. P* 130 parebo saluti *in ras. P*

131 *Act.* 13, 39 qui credit iustificatur.

Gignit et ore piam confessio facta salutem;
Deest unum, ut babtizeris templumque sacreris
Spiritus altithroni'. Quae dixit: 'Qualiter istud
Expleri poterit? clausos dum miles et antrum
Nos teneant nullumve sinant intrare iuvantem'.
C. VIIII. 'Est hic' respondit 'sanctus verusque sacerdos,
Purificare valet qui te, si corde vel ore
Idola falsa voces simulacra deosque profanes
Atque deum credas unum, qui regnat ubique,
Qui regnare facit reges, qui cuncta gubernat
Sanctificatque, hominum mentes ratione vel ornat
Confirmatque duces, pacem dat principibusque,
Qui inducit caelo nubes et defluit imbres
Gignere dans terram foecundo cespite fructus,
Qui volvit caelos, qui flumina rursus ab austro,
Qui deus est trinus: genitor natusque vel almus
Spiritus omnipotens, caeli terraeque creator,
Qui splendore suo caecis errore repulso,
Cernere dat lumen seseque agnoscere prestat'.
C. X. Celsius haec complens, mater se credere cuncta
Incuntanter ait sanctum babtisma reposcens.
Tunc omnes sancti domino gratulantur ovique,
Quam virtute sua rapuit de fauce luporum.
Conversusque iterum sanctus Iulianus ad illam
Sermonem celebrat: 'Mulier, si amplecteris ista,
Quae nunc audisti, trinumque fateris et unum
Esse deum nostrum caelum terramque regentem?'
C. XI. Illa ait aeterna iam non sine luce magistra:
'Spargere qui vetuit transgresso limite pontum
Suspenditque polos variis fulgoribus ornans,

ore autem confessio fit ad salutem; hoc superest (deest *BE*), ut purificationis baptismum accipias, per quod possis habitaculum spiritus sancti effici'. Mulier respondit: 'Ecce nos omnes claustra obtinent et militum custodia circumvallat nec introitus nec exitus licentia permittitur; et quo modo inveniemus hunc talem hominem, qualem mihi proponis?' I. sanctus dixit: 'Hic habemus sanctum et verum sacerdotem Christi, qui te purificet: tantum ex corde abnega deos patriae tuae, ut (et *BE*) in unum deum credas, qui regnat in caelo unus in trinitate et trinus in unitate, sub cuius imperio imperant principes, cuius gratia confirmantur duces, cuius tremore contremiscunt gentes, cuius sapientia fiunt prudentes homines, cuius imperio teguntur caeli nubibus, cuius voluntate dant terrae pluviam, cuius dono terra foecundatur, cuius voluntate, quae necessaria sunt, hominibus gignit, cuius dono inundant fontes. Ipse est Christus deus aeternus, pater in filio et spiritus sanctus: per ipsius splendorem illuminantur ceci et tenebrae incredulitatis fugantur, ipsius nutu gubernantur universa, quia ipsius voluntate creata sunt cuncta'. Haec audiens mulier dixit: 'Qui haec ita esse non credit, ferreum possidet pectus nec hominum gerit sensum, sed pecudum (pecodum *B*).' Tunc omnes sancti gratias referebant (referunt *B*) domino, qui dignatus est de luporum faucibus ovem perditam liberare. Ad quam iterum B. I. conversus ait: 'Ita credis, ut audisti, unum et verum deum esse in caelis, qui est trina maiestas et una divinitas?' Mulier respondit: 'Ipsum verum credo esse deum, quem per tuam praedicationem esse cognovi creatorem omnium. Qui certis limitibus fixit mare, qui ei posuit terminum quem non transgreditur, qui caelum suspendit et illud diversarum stellarum splendoribus adornavit, qui solem perpetuo

152 incunctanter *P*¹

133 *sq. cfr. Aldhelm. d. l. virg.* 147 Spiritus altithroni templum sibi vindicat almus. 145 *cfr. Sed. I,* 50. 148 *Iuvenc. I,* 70 caeli terraeque repertor. 154 *cfr. d. f. v.* 320.

Ardorem solis semper splendescere iussit
Atque ortus lunae statuit finesque laboris,
Esse deum toto Iesum de pectore credo'.
C. XII. Dixerat: et subito tremuit locus ille superque
Advenit vox: 'Concepi propterque loquutus
Sum'; dicunt sancti cuncti concorditer 'amen'.
Tunc sacer Antonius babtizans abluit illam
Et matrem genitus genitor de fonte levavit.
C. XIII. Denique dum gaudent factum hoc mirabile sancti,
Vox iterum domini de caelis intonat illis:
'Fortiter hinc agite conforteturque beatum
Cor vestrum in domino'. Post quod Iulianus ad omnes
Sic ait: 'En, fratres, nobis vox nuncia venit,
Quae rediviva sonat certamina multa parari.
Pro qua re nostrum domino signemus agonem,
Qui fidei nostrae cursum complere valebit
Militibusque suis servat qui in fine coronas,
Nobis quas reddens donabit regna polorum'.
C. XIIII. Impius interea deduci precipit ad se
Sanctos in propriam, solito qua commanet, aulam
Exhibitisque piis genito mox taliter infit:
'Dic, qua conditione tuam retinere cupisti
Hoc triduo matrem — nam nescius ista requiro —?
Narra, quid gestum, maneat si coepta voluntas'.
C. XV. Respondit: 'Domino perpes sit gratia nostro,
Qui bona velle dedit nobis caelestia gratis,
Munere iam cuius nostra est stabilita voluntas:
Nam mihi fructus erit mater salvata per aevum,
Illius et fructus per saecula cuncta manebo.

Acta B. Iul.

splendore fundavit et lunae initium et finem constituit: ipse est dominus Iesus Christus, cui relicta omni vanitate vanitatum credo; cupiens hac vita quam temporalem esse cognovi, carere, ut ad illam aeternam vobiscum merear attingere'.

50 Haec dicente muliere locus contremuit, in quo erant, et audita est vox in aere dicens (*Ps.* 115, 10): 'Credidi: propter quod locutus sum'. Hac voce sancti reperta omnes una voce dixerunt 'amen'. Tunc beatus presbyter baptizavit eam, cui venerabilis Celsius filius eius (quam v. C. f. e. suscipiens *B*) pater in gratia baptismi factus est. Cumque omnes de salute eius laetarentur (gauderent *β*) audita est vox ⟨de caelis *B*⟩ dicens: 'Virliter agite et confortetur cor vestrum in domino'. Post huius concessae gratiae munus ait S. I. ad sanctos: 'Haec vox, quae intonuit auribus nostris, pronunciat nobis futuras passiones et genera tormentorum, quae adversus nos cogitat inimicus. Pro qua re, sancti martyres, fidei nostrum cursum domino commendemus, qui potens est fidem nostram servare et cursum consummare, ut repositam iusticiae coronam mereamur accipere'.

51. Quid multa? cognoscit impius Marcianus uxorem suam martyrum effectam sociam et in Christi amore esse firmatam; iubet intra domum suam privatim martyres exhiberi. Cumque eius aspectibus praesentarentur, ait ad venerabilem puerum: 'Matrem tuam sub hac postulasti ratione (conditione *Boll.*), ut tibi consensisset, quod ego ignoro. Quid nunc gestum sit, edicito: cognoscere cupio'. Venerabilis puer respondit: 'Gratias ago deo (domino *Eβ*) meo, qui voluntatis meae fructum ita perficit, ut in aeternum possideam et (e. *om.* *Bβ*) matrem ⟨et *Bβ*⟩ ipsa me filium, ut ab hac die cognoscas nos pro Christi amore in hac vita

---

176 re] spe *P'* 180 pręcipit *P'*

170 *Met. VIII,* 601 factum mirabile cunctos. 172 *sq. Iudith,* 15, 11 confortatum est cor tuum. 174 *Iuvenc. III,* 633 vox nuntia vatis. 179 *cfr. pass. II,* 248. 182 *cfr. pass. II,* 33.

Nec spes ulla manet nobis praesentis amoris:
Non ego te novi patrem aut Mariena maritum'.
C. XVI. Ille furens rabida ut, catulos si perderet, ursa,
Auctoremque doli celsas hinc quaereret inde
Anxia per rupes, caveas tuffique meatus
Perdita ceu furiis exaesa per invia quaeque,
Volveret obscenum replicans creberrime dorsum,
Praecipiti cursu viridemque subiret agellum,
In quo semoti nuper de matre novelli
Agni pascentur, quos effera lapsa per alpes
Sentiret subito niveumque invaderet agmen,
Dentibus et laceris diffringeret ossa tenella,
Lamberet atque hausto pariter pro sanguine membra,
Fauces iamque vorax satians ventrisque latebras,
Vitam de reliquo paucis servaret, ut inde
Spe vivi catuli in praeda, si forte reperti,
Utpote quam molli quivissent ludere lana —
Haud sequus hic toto concussus felle tirannus
Saevit in electos sanctumque invadit ovile,
Nescius et metam moderaminis addere menti
Dente amens stricto primum se verbere pugni
Appetiit coxa et domui retinere ministros
Uxorem magnis posthaec clamoribus urguet.
Accurrunt agnam Christi comprendere, sed mox
Luminis amissi plangunt dispendia caeci.
C. XVII. Insanus praesul cernens haec omnia rursus
Includi fecit sanctos in carceris ima.
Insomnemque miser noctem transegit et amens
Filius umbrarum; prima sub luce tribunal
Conscendens rabiem, saevo quam pectore versat,
Exponit vinctosque iubet de carcere reddi.
C. XVIII. Procedunt alacres pangentes: 'Gloria Christo'
More sacerdotum sollemni voce canentum.
Non tulit hoc visum praeses nec distulit iram;
Quinque sed exceptis: Iulianum praesbiterumque
Antonium, matrem Celsii Celsiumque vel illum,
Quem deus ad vitam devicta morte reduxit,

spem penitus non habere. Pro qua re nec ego te cognovi (novi *B*) patrem nec ista maritum'. Tunc ira repletus praeses iubet mulierem comprehendi et domi retineri. Ad quam cum appropinquarent ministri volentes eam contingere, facti sunt ceci.

Haec videns Marcianus cecatus a diabolo iubet omnes in ima carceris recludi.

52. Alia die sedens pro tribunali iubet viginti milites, qui in agone certabant, pro Christi nomine decollari, septem vero germanos igni tradi praecepit. Quod cum factum fuisset, martyrium suum consummaverunt in pace (cum gaudio et exultatione pergentes ad Christum *etc. E*). Iulianum vero cum Antonio

---

196 *ceu] nec *P* 225 quinque *P corr. Liebermann.*

191 *cfr. d. f. v.* 50. 199 *Amat. I,* 118 agna novella.. 207 *Ge. II,* 120 molli .... lana. 218 *cfr. Aen. IX,* 164 *sq.* noctem .... ducit | insomnem. 220 *cfr. Aen. XII,* 888 saevo sic pectore fatur *et I,* 657 pectore versat. 223 *Met. XI,* 20 voce canentis. 227 *cfr. in Mart.* 35.

Dudum pro meritis Iuliani callidus hostis,
Mutent ut genitum poenae matremque relictam —
His mortem differt, horum prolongat agonem;
Et gladio obtruncans bis denos caelicolarum,
Septem germanos arsit pro nomine Christi.
Quorum mox animas digno salvator honore
Cantibus angelicis et magni laude triumphi
Exhilarans caeli gaudens collegit in arcem.

AUDRADI MODICI PASSIONUM BEATORUM IULIANI ET SOCIORUM EIUS LIBER TERTIUS EXPLICIT.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

C. I.

Luxerat et celso fulgebat Phoebus Olimpho.
Cuius dum temptat radios extinguere fumo
Marcianus solita residens in sede tirannus
Quinque vocat, dudum quos callidus arte beatos
Hac sibi servari fratrum post funera fecit,
Omnibus ut poenis, tormentis et cruciatu
Afflictos tandem cogat servire metallo
Et facies lucis maculet nebulonius ambro.
Cumque viri sancti fulgerent ante tribunal,
Coepit in hanc vocem sermones edere praesul:
'Duceris indignus nostris, Iuliane, loquelis,
Omnem qui inrides poenam Augustosque deosque;
Praesbiter Antonius, quaerenti pandito vel tu,
Quem sibi Christicolae dicunt cognomine papam,
Huius qui magicae forsan dinosceris auctor,
Quae sit haec virtus, quae tanta audacia vestri,
Ut, bona coniugii solventes foedera, natos
A matris gremio, patris vellatis ab ore.
Blasphemantur enim per vos pia numina divum.
Ergo mihi dicas, quae vos praesumptio suasit,

Acta B. Iul.

presbytero, matrem et filium et illum quem infernus reddiderat (Marionillam matrem pueri, venerabilem Celsium, et quem ab inferno deus perorationibus S. Iuliani reddiderat *B*) iudicio suo reservari praecepit.

12, 53 Et cum sedisset pro tribunali in foro, iubet B. Iulianum et reliquos sanctos, quos com⟨me⟩moravimus, exhiberi. Ex officio dictum est: 'Astant'. Tunc Marcianus sic erupit: 'Tecum, Iuliane, loqui penitus dignum non habeo'. Et adiecit: 'Tu es Antonius, quem papam suum Christiani testantur? Constat huius magicae artis te esse auctorem'. B. Antonius presbyter ait (*v.* 28 *sqq.*): 'Gratias ago domino Iesu Christo, qui huius gratiae suae me indignum fecit esse ministrum'. Praeses dixit (*v.* 16 *sqq.*): 'Vel tu mihi dic, Antoni, quae sit ars vestra magica (m. virtus vestra *Boll.*), ut sic separetis coniugia et filios a parentibus disiungatis, bona ipsa vitae vel opes, quod utilitati humanae concessum est, et contemnere et negare et horrere persuadetis, inmortales dii per vos blasphemantur? Quae est ergo haec audacia vestra, edicito mihi: ut ex ore tuo audiam et cognoscam, qualiter vobis et magicis artibus vestris finem imponam (*v.* 26 *sq.*). Tantum enim (*v.* 21 *sqq.*)

‖ 12 *umbro *P* 17 coniungi *corr. P*

233 *cfr. v.* 53. ‖ 7 *cfr. d. f. v.* 224. 16 *cfr. Sedul. I,* 245. 19 *Aen. II,* 123 ea numina divum *et IV,* 382 pia numina ...

Huic tanto sceleri ut vitam implicuisse parum sit,
Sed functi corpus vitae vos restituisse
Iactetis, populos ut vobis credere cunctos
Pectoris innocui falso sub nomine Christi
Et vano errori faciatis; dicito palam,
Ut magicis vestris et vobis ponere finem
Iam valeam atque statum patriae reparare cadentem'.
C. II. Sanctus ad has voces domini confessus honorem
Divini cultus indignum humilemque ministrum
Asserit et doctum Christi se dicit in aula.
Vellet sed, huiusce ducem adgrederetur agonis
Egregium iuvenem procerem sanctum Iulianum,
Congrua quaesitis qui scit responsa profari.
'Sed quia nos unus docuit salvator et uno
Fonte simul donat vivos haurire liquores,
Audi, qui dicis magicae nos esse peritos
Artis, nos humiles normam didicisse salutis
A domino, caras vetuit qui sternere gemmas
Porcis, ne pedibus temptent obvolvere coeno
Res sacras; dignus quam ob rem non cerneris esse,
Testis evangelicae ut pateat tibi pagina gemmae.
Attamen hic populus, dominus quem munere largo
Praescitum statuit fidei sua subdere colla,
Tempore quo voluit — quod nunc iam cernitur esse —,
Audiat a domino: "Non veni mittere pacem,
Sed gladium; a patribus veni divellere natos
Nec non et genitas a matribus", insuper illud:
"Qui patrem aut matrem plus quam me diligit aut qui
Uxorem aut fratres, genitos genitasque vel agros,
Aurum aut argentum, vestes vitesque domusque,
Nomine discipuli indignum se iudicet ipse,
Qui loquor". Hanc vocem sanctis incessibus ecce
Cum genito sequitur felici nomine mater:
Propterea non ille patrem, non illa maritum
Dicere te gaudent, quorum est iam patria caelum,
Quos deus omnipotens patris blanditur amore

praevaluistis ad decipiendum populum, ut gloriemini vos mortuum suscitasse, propter quod innocua pectora irretistis'. Ad haec B. Antonius presbyter dixit: 'Optaveram quidem, ut ducem huius agonis nostri ⟨beatum *B*⟩ Iulianum percontareres (provocares *Bβ*) et ab eo responsum acciperes; sed quia unus est dominus Iesus Christus, qui tangit organa cordis nostri, interrogasti, quae voluisti: audi nunc et a me, quae inquiris. Magister et auctor magicae quam a nobis dicis exerceri, hoc nobis dedit responsum, ne margaritae pretiosae a nobis mittantur porcis; qui dixit (*Matth.* 10, 34): "Non veni pacem mittere super terram, sed gladium: veni enim separare filium a patre et filiam a matre" et caetera et alio loco consequenter dicit (*ib.* 37): "Qui plus diligit patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut aurum aut argentum aut domum aut agrum quam me, non potest meus esse discipulus". Hanc vocem filius tuus audiens non plus fecit te carnalem genitorem, quam Christum creatorem. Simili modo et, quam dicis uxorem tuam, hac voce domini comperta contempsit temporalem thorum, ut per Christum immortalem et requiem aeternam consequatur'. Et adiecit: 'Ecce praeses, nihil quam

---

21 scaeleri *P* 56 banditur *corr. P*

25 *cfr. pass. III*, 28. 35 *cfr. d. f. v.* 17. 43 *cfr. d. f. v.* 255. 49 *cfr. pass. III*, 43.

Haeredes caeli statuens sine fine manere'.
'Verius' adiecit 'dictis aut dulcius istis
Percipies numquam' et finem dedit ipse loquendi.
C. III. Ostipuit praeses rursusque hos carcere claudit,
Excogitat mortem donec, qua puniat omnes.
Nox erat et sancti fulgent in carcere tamquam
Sidera caelorum arcturi, hiades pliadesque.
Urbis erat templum gentili errore dicatum
Daemonibus: Marti, Iunoni sive Minervae
Atque Iovi, totum gemmis auroque paratum,
Nilque aliud cerni poterat girantibus illud
Interius, praeter quod Arabs miratur et Indus.
Hoc erat in toto natali regis apertum
Anno, quod servans gremio simulacra deorum
Multa, per innumeras quas auri pondere gypsas
Fuderat efflantis fabri meditata voluntas.
Tunc sua pontifices libamina praesbiterique
Festivo cultu celebrabant; hos vocat omnes
Adveniente die, cordis vulgatque secretum.
Ocius ire iubens, templum reserare tremendum
Praesul honorifice atque deos abstergere telis
Omnique ornatu cunctos componere suadens,
Thura simul pinguesque sues vitulosque caprasque
Adduci mandat. Quae mox implentur: et omnis
Contremuit populus tactus novitate potenti
Et celerat supplex miracula cernere rerum.
Nec tardat praeses posthaec intrare vel omnes
Pontifices, magna comitum reboante caterva
Atque sacerdotes alterna voce canentes;
Invitantque deos pecodum potare cruores.
C. III. Iudicis interea iussu de carcere vincti
Procedunt sancti tamquam sol luce corusci
Et mediis aris sistuntur lumina caeli.

Acta B. Iul.

verius, nihil quam (quam *bis om. Boll.*) lucidius (dulcius *B*) cognoscere possis'. Haec audiens Marcianus iubet eos in custodia recludi dicens: 'Excogitabo penas, quibus isti intereant'.

54. Alia die convocans ad se sacerdotes templi dixit ad eos: 'Ite et ornate venerandum templum Iovis, cuius est consuetudo semel in anno patefieri, ubi dinoscuntur veneranda numina Iovis et Iunonis et Minervae, ex electro puro factae imagines, quibus suavissimus Cupido delectamenta ministrat; et libationes et incensa praeparate'. Haec audientes ministri templi consuetas praeparant hostias. Quid multa? illuxit dies et patefacto templo universa multitudo convenit admirantes templum patefactum, quod vix semel in anno principum natale patefiebat. Tale enim erat opus fabricae, ut non marmore, sed tabulis argenteis parietes et pavimentum stratum splenderet auro purissimo et margaritis vel lapidibus pretiosis crispantes camerae.

55. Cumque omnia pararentur, ingressus praeses templum iubet dei sanctos adduci. Quibus praesen-

---

78 compore *corr. P*^{1} suaadens *P* 84 roboante *corr. P*^{1} 86 pecudum *P*^{1}

57 *cfr. II,* 47. 59 *Aen. VI,* 76 finem dedit ore loquendi. 62 *Aen. e. g. III,* 147 Nox erat et. 63 *cfr. Ge. I,* 138 Pleidas, hyadas, claramque Lycaonis arcton. 70 *Her. X,* 95 simulacra deorum. 75 *cfr. pass. II,* 138. 76 *cfr. Aen. VIII,* 555 Ocius ire. 81 *cfr. Met. II,* 31. 84 *Aen. e. g. II,* 40 magna comitante caterva, *cfr. ib. XI,* 478. 88 *cfr. pass. II,* 181.

At primum praeses blanda sic voce fatetur:
'Forte dies vestrae venit, Iuliane, salutis:
Nam reserans vestro consultu moenia templi,
Quo semel in toto tantum conceditur anno
Intrari et sacras donis onerarier aras,
Adduci vos haec inter sollemnia feci,
Pronius ut flexis cervicibus hos veneretis
Clementes divos et vobis concilietis.
Et tu, qui princeps sceleris nunc usque fuisti,
Ut, Iuliane, decet, primum thus sacrificato
Cumque tuis sociis exta post consule tauri:
Restituique tuae poteris sic nobilitati.
Quodsi plus miseris vultis persistere coeptis,
Iuro deos omnes: confringam corpora vestra
Et magnis faciam poenis sub sole perire'.

C. V.

'Arbitrii decreta tui servare placeret
Te utinam, o praeses,' dixit Iulianus 'ut ultra
Non dignareris mecum sermonibus uti;
Sed quia iam properat nostrarum laetitiarum
Tempus et est verum iam nostram instare salutem,
Numina condigno a nobis venerentur honore.
Ut fiat, iubeas praesentes esse ministros
Atque sacerdotes, omnes epulentur ut una,
Cum fuerint divi placati munere nostro.'

C. VI.

Audiit haec praeses totusque ad gaudia surgit,
Ordinis ignarus dictorum hunc gratificavit
Atque salutando dixit 'bene', rursus et 'ave'.
Continuoque iubet sanctorum vincula solvi
'Non decet hos' dicens 'ferri stringente catena
Sancta deum celebrare, quibus iam parcere mites
Dignantur placidoque remittunt crimina nutu'.
Protinus inmenso levigantur pondere ferri.
Et mox uxorem genitumque vocavit amice,
Dulcius atque monet primos dis sacrificare

tatis dixit: 'Ecce nunc, Iuliane, et tu, Antoni, tempus advenit, in quo vos et consortes vestri salutem consequamini. Hoc enim elegi pro vestra salute, ut in isto terribili templo deorum thura immortalibus numinibus offeratis. Quodsi (*v.* 102 *sqq.*) adhuc in ipsa contumacia vestra perstiteritis abnegantes istos, pro quibus huc usque peperci, diversa tormenta in vobis exercebo. Pro qua re (*v.* 98 *sq.*), Iuliane, quia te constat esse auctorem huius sceleris, accedens repropitia tibi deos immortales, per quorum divinitatem generi tuo restituaris'. B. I. respondit: 'Tu definieras praeses ne mecum sermones haberes; sed, quia cognosco verum tempus, quod tu dicis, ut et nos salutem consequamur et numina a nobis honorentur, fac omnes sacerdotes deorum intus adesse, ut cognoscant quale sacrificium eis offerimus. Et adiecit S. I.: 'Bene valeas, optime praeses, quia tam acceptabile tempus gloriam et laudem accepturis persuades, ut omnibus in uno commanentibus diis vestris immolemus, quod nos facturos esse non piget. Nam ideo semper distulimus, ut in isto templo mirabili, quod habetis, magnum sacrificium omnibus immolaremus. Tunc enim laetatur qui convivium parat, si omnes affuerint invitati, ut nullum praetereat epulum, quod paratur, ut in posterum nullus sit qui irascatur'.

56. Tunc praeses non intelligens, quo ordine prosequeretur, dixit: 'Gaudeo vobis, quod, etsi tarde, recepistis mellifluam hanc vitam cum omnibus bonis redundantem diis immolando non amittere'. Tunc iudex omnium vincula auferri iubet dicens: 'Turpe vinculis retineri, quibus coeperunt esse dii propitii', existimans vera esse, quae audiebat'. Cumque exonerarentur ferro, quo erant constricti, dixit ad venerabilem puerum

94 *cfr. Aen. V*, 101.

Praesul et ex animo se dicere talia iurat:
'Cara nimis coniux et dulcis filius, ite;
Ut vestro generi dignum servetis honorem,
Thura cremate piis, qui vobis gaudia vitae
Accumulare queunt et cunctas solvere culpas'.
C. VII. Cui veneranda dedit responsum hoc femina solum:
'Non me permittat Christus, quem pectore toto
Concepi credens dominum super omnia verum,
Ullis iam tecum, praesul, sermonibus uti.
Ignorans etenim verum simulacra sequebar,
Tempore quo tecum me illis curvasse recordor;
Sed nunc caelestis iam cernens gaudia vitae,
Haec sequar et Christi numquam vestigia linquam'.
Callidus hinc animo praeses dum comprimit iram,
Convertit faciem monitisque urguet Iulianum,
Pronius ut flexis cervicibus omnibus aris
Impendat grates pro se mundique salute,
Adiungens: 'Dudum mihi te decet, o Iuliane,
Hoc ipsum placidis pactum meminisse loquelis,
Unde ego laetatus dissolvi carcere ferri
Consultuque tui praesens sollemne paravi,
Ut te tantarum revocent miracula rerum
Et mortem fugiens nobiscum nobiliteris.
Omnia sunt praesto, ut cernis, iam iamque venito
Et supplex orato deos, quos omnipotentes
Romanum imperium toto veneratur honore.
Nam tua iam placidi ignoscunt errata veterna;
Tu tantum obsequiis animum monstrando fidelem
Exerta dextram cultroque occide columbam
Omnibus his coram; tecum laetemur ut omnes,
Cum fuerint divi placati munere vestro.'
C. VIII. 'Tempus adest,' Iulianus ait 'quo gloria nostra
Omnibus his populis clarescere debeat, ut sit
Cognita venturis nostri libatio saeclis.'
Laetatur praeses, dum talia dicere sanctum
Audit, et exhibitum sanctis obtutibus offert,
Ut feriat, cultrum, munus quodcumque propinquum.
At sancti intrepidi vexillo se crucis armant.

Acta B. Iul.

et matrem eius: 'Accedite et repropitiate vobis deos, quibus nunc usque servistis'. Cui venerabilis mulier ⟨solum *B*⟩ hoc dedit responsum: 'Non mihi faciat verus deus, quem cognovi, ut ultra tecum colloquium habeam; per ignorantiam ⟨enim *B*⟩ feci, quae dicis: iam cognovi veritatem, a qua numquam recedam'. Tunc praeses conversus ad B. Iulianum dixit: 'Ecce omnia parata sunt: implete, quae spopondistis'. S. I. dixit: 'Iam est hora in qua glorificemur, ut omnibus videntibus gloriosi appareamus'. Marcianus ⟨praeses *B*⟩ dixit: 'Est, si vultis salutem consequi'. B. I. ad socios suos ait: 'Appropiemus, ut salutem consequamur et sit in notitia seculi superventuri sacrificium, quod facturi sumus hodie'. Praecedit praeses et iubet eos de privata custodia venire existimans esse verum, quod volebat. Ingressi vero sancti in templum vexillo

---

124 Prasul *corr. P* 144 *consultumque *P cfr. v.* 92 152 *Exerce *P*

125 *cfr. Aen. IV,* 91 Cara Iovis coniunx. 126 *Aen. V,* 601 servavit honorem. 130 *Met. I,* 495 pectore toto. 132 *cfr. v.* 107. 139 *cfr. v.* 96. 145 *Iuvenc. II,* 641 miracula rerum.

Et sanctus Iulianus ait: 'Quem, praesul, honore
Excipiam summo ac primo cui thura cremabo
Sanguineasque legam recolens per viscera fibras
Aut cui de multis primum mactabo columbam?'
Praeses ait: 'Cuncti, quos conspicis, inmortales
Atque pares virtute manent, aequalis et omnes
Gloria condecorat: nec enim invidet alter honori
Alterius nullumque movet discordia lite
Utque suum — parili cultorem fratris amore
Diligit alternumque decus placet omnibus aeque'.

C. VIIII.

Dixerat: et sancti deflectunt corpora terrae
Et genibus fixis orant hac voce tonantem:
'Qui sine principio sine tempore vel sine fine
Es patris aeterni possessor nominis et te
Sustentas plenam mundi sine pondere molem,
Sed tantum in sanctis habitas templisque dicatis,
Munere gratuito geniti quae gratia dotat,
(Quo sine non caelo, non terris quisque salutem
Concipit aut solum velle aut fari aut operari
Dignum aliquid valuit, valet aut finire valebit;
Quem tibi consimilem genuisti et virgine natum
Misisti in mundum et, quamvis procedat ubique
Spiritus a te vel verbo aequalis, tamen illo
Inradias nullum nisi salvatoris ab ore;
Qui tecum sedet in dextra super omne creatum
Imperium caeli terraeque marisque gubernans
Et caelo gratis meritoque coronat amicos
Ac tantum merito Stygio condempnat iniquos,
De centro his medio clemens, verax et utrosque
Aequus discretor virga discriminat una
Humani generis de massa degenerata —
Atque ideo flectuntur ei caelestia cuncta
Terrena et genua, infernalia prorsus et ipsa —
Qui docuit nos huic fidei committere corda
Personisque deum praesens in carne redemptor
Semper adorari trinum, deitate sed unum)
Quem non sculpturae capiunt, simulacra vel urnae
Nec statuae manibus possunt concludere factae;
Cuius nec digni conspectibus esse videntur
Caeli nec clare radientia sidera; quem vix

crucis armant frontem. Tunc B. I. ait ad praesidem: 'Quid praecipis, praeses? ut omnibus diis offeramus sacrificium?' Praeses dixit: 'Omnes, quos conspicis, inmortales sunt, pares sunt virtute, aequales in gloria nec invident sibi in cultoribus suis, praecipue in vobis, qui eos tarde cognovistis.

57. Hec dicente praeside fixis genibus S. Antonius presbyter et B. Iulianus cum sociis suis dixit: 'Deus, qui es sine initio sine fine sine tempore et aeternum possides nomen; qui non in manu factis

164 *redolens *P* *versum* 192 *ut post* 191 *conlocaretur man s. XI. ex. addidit in ima pagina* 201 radientia *corr.* radiantia *P (an P² ?); cfr. p. 73 adn. et ad Aedilv. app. crit. t. I, 583 sqq.*

168 *cfr. Aen. V,* 541 invidit honori. 172 *Aen. XI,* 22 corpora terrae. 175 te *sc.* plenam. 196 *patet* personis *cum* trinum *esse coniungendum.*

Angelicae capiunt, hominum mentesque beatae;
Qui cordis puri gaudet habitare secreta;
Quem veri vates cecinerunt et patriarchae
Et David psalmista polos fecisse vel orbem,
Noxius, atque omnes, quos gentibus intulit error,
Esse deos non esse docet nec vivere, cum sint
Ventre metalla cava a fabris membrata per ignem, — —
Ut non hi populi pereant errore sub isto
Et non exultent in sculpto auro et argento,
Tu nos nunc, pater, exaudi, qui cuncta creasti
Per verbum tantum pariter cum flamine sancto,
Et fanum hoc ipso verbo subverte vel aras
Seu, quaecumque intra miseris preciosa videntur
In nihilum redigens, finem da cultibus istis
Laetenturque humiles confundanturque superbi,
Ut tua per cunctas narretur gloria gentes
Et te credentes laudent per saecula semper'.
Cumque viri docti dixissent 'fiat' et 'amen',
Mox evanescunt fanum, simulacra vel arae
Ac, vario cultu quicquid congesserat error,
Aurum seu gemmae vel bis sex milia divum
Confusa ut fumus pereunt sub luminis ictu;
Cumque suo templo submersi mille canentes
Nulla sacerdotes superis vestigia linquunt
Et paganorum perierunt mille priorum;
Nec paret, templi, post, quis locus ante fuisset,
Dum ructans ignes hodierno tempore duret.
Tunc ait athleta Iulianus: 'Dic: ubi, praesul,
Sunt dii sive deae, templum, simulacra vel arae,
Aurum atque electrum, gemmae et pretiosa metalla
Et templi species multo exornata labore?
Nos orasse deum nostrum cognosce tonantem,

Acta B. Iul.

delectaris; quem non capit mundus et requiescis in corde mundo; qui per sanctum prophetam dixisti (*psalm.* 95, 5): "Omnes dii gentium demonia" (tu autem solus deus Abraham, Isaac et Iacob); qui in sapientia fecisti caelos, fundasti terram, congregasti maria terminum eis ponens, quem non transgredientur; quem fluctus eius et murmur undarum sua voce conlaudant; quem diversarum volatilium garrulae voces collaudantes suaviter agnoscunt suum creatorem; qui tuo arbitrio creasti universa — aspice nunc in subversionem templi huius et has tantas demonum thecas et tantorum cultorum frange audaciam, ut ad nihilum redigantur haec omnia, in quibus gloriantur: ut te solum agnoscant et glorientur in te, qui noverunt nomen tuum et credant in te et in Iesum Christum filium tuum, quem cognoscimus tibi coaeternum et coaequalem in unitate spiritus sancti in secula seculorum'. Et cum omnes dixissent Christiani 'amen', omnia sculptilia illa ad nihilum redacta sunt, templum vero ita subversum est, ut, quod fuerat, non appareret. Nam et multitudo confusa sacerdotum circiter mille cum templo dimersi sunt et alia multa pars paganorum simul interiit. Ignis vero eructuans est in eodem loco usque in hodiernum diem.

Tunc B. I. dixit ad praesidem: 'Ubi sunt manu factae imagines demonum, in quibus gloriabaris? ubi electrum? ubi aurum? ubi templi pulchritudo? ubi parietes et pavimentum argenteum? ubi metalla

---

214 prę̨ciosa *P* 220 velare *P*

219 docti *(cfr. pass. II,* 133*) catechumeni sunt, vide pass. III,* 18 *sqq.* 232 *Ge. I,* 197 multo spectata labore.

(Qui mare, qui caelos terramque vel aera fecit,
Qui facit ad vitam functos de morte redire,
Qui fugat errores tenebrasque et daemonis atras
Infusas mundo nebulas cultusque profanos)
Eius et imperio cuncta in terram esse reversa,
Unde exorta prius fuerant, cum conditor illa
Principio faceret hominemque crearet, ut illi
Perpetuo laudes depromeret omnipotenti
Atque deum solum toto de pectore credens
Suppliciter cantu, mundo serviret et actu.
Quem nunc sic revocat confundens omnia vana,
Quae mendax serpens iussu dictavit amaro:
Formari simulacra, deos dominosque vocari,
Monstrant quae, miseris fuerint obnoxia quantum,
Dum subito submersa vomunt incendia tanta'.

C. XII. Longa trahit stupido haec inter suspiria corde
Exagitansque caput frendentia iussa tyrannus
Evomit et sanctos festinus perdere certans
Uxorem oculeo suspendi praecipit: ad quam
Carnifices rabidi insiliunt et lumina perdunt.
Mox sanctos reliquos magnis clamoribus urguet
Extingui praeses: rumpuntur corpora ferro
Et niveae carnes velluntur et ossa tenella
Vexantur; nimiis roseus cruciatibus amnis
Defluit ac toti mactantur praesidis ira.
Adstitit omnipotens illorum vulnera sanans,
Lumine divino rursusque hos inradiavit:
Cernuntur sani extemplo post vulnera tanta.
Et sexus lacrimis oculos perfundit uterque,
Quorum animos tetigit iam dudum causa doloris.

C. XIII. Irrugiit praeses 'Victi sumus, Hercule,' iurans;
'Sed superest unum, quod finem ponere tantis

pretiosa? —: invocato nomine Christi in terram reversa sunt, unde assumpta sunt. Sicut enim illa omnia uterus terrae recepit, ita et vos et imperatores vestros et omnes cultores daemonum, sicut et vos estis, perpetuus accipiet infernus, ubi ignis edax non extinguetur et vermis devorans non morietur, ubi corpus reparatur semper ad poenam, ubi misericordia quaeritur et non invenitur. Ibi vos talis locus expectat et auctorem vestrum diabolum'.

Haec audiens Martianus praeses dixit: 'O virtus magica, o carmen inauditum sic praevalens, ut etiam terrae sinus aperiat et tanta bona ab oculis pie fruentium auferat. Iam non miserebor, iam non parcam: antequam eos gladio feriri iubeam, de eorum poena me satiabo'. Iubet ergo sanctos dei in ima carceris retrudi.

59 (*om. Audrad.* 58). Alia die iubet Martianus in medio foro sibi tribunal praeparari et adduci praecepit sanctos. Excogitans iniquissimus serpens nova et inaudita tormentorum genera *e. q. s.* Sanctam vero Marcionillam matrem pueri, quam deus praescierat penas tolerare non posse, cum eam iuberet eculeo applicari, si quis ex ministris eam voluisset attingere, ceci efficiebantur. Sanctos vero suos ita dominus curavit et illuminavit, ut omnibus apparerent, quasi nihil passi fuissent.

60. Tunc exclamat Martianus: 'Heu me', inquit, 'vincimur. Quid aliud faciam? —: unum superest'.

258 *tota *P*

246 *cfr. d. f. r.* 253 *et* 220. 249 *Met. II,* 753 traxit suspiria motu; *cfr. aegr. Perd. ap. Bs. p. l. m. V,* 122 *r.* 235 traxit duro (*cod.* dura) suspiria corde. 250 *cfr. pass. II,* 28. 254 *Aen. V,* 341 magnis ... clamoribus implet. 256 *cfr. pass. III,* 202. 263 *e. g. Aen. IX,* 214 causa doloris.

Iam valeat mundumque malis deliberet istis'.
Haec dicens sedem medio iubet amphitheatri
Extolli et sanctos residens ex more tribunal
Illuc adduci fecit saevissimus hostis.
Sistunturque dehinc proceres intra amphitheatrum
Obscenisque feris traduntur lumina caeli.
Exiliunt caveis ursi Libicique leones,
Saltibus et primis evolvunt corpora; qui mox,
Ut propius veniunt, blandis mutantur in agnis,
Pronius et flexi lingunt vestigia sancta.
C. XIIII. Haec cernens praeses primores convocat urbis
Atque magistratus; et tali sorte perire
Dictavit sanctos, nexis ut crimine mixti,
(Accusans proprium quos naevum traxerat usque,
Ut poena mortis damnaret littera legis)
Personis pulcri decollarentur, ut illos
Nescirent socii, si qui superesse valerent,
Ne tantae fidei memores, certaminis atque
Victores colerent et clara sepulcra pararent.
Iussio completur: sancti mox sacrilegique
Miscentur gladio truncandi iudice coram.
C. XV. Ut belli finem praescit Iulianus adesse
Signifer egregius, gaudens haec audit et una
Cum sociis domino laudes et carmina cantat,
Postulat et supplex finem certaminis huius
Iam complere deum, vitae seu gaudia sanctae
Iustitiae dextra tribui reddique coronas.
C. XVI. Tunc genitus pariter genetrixque: 'Notato, tyranne
Crudelis nimium et nulli feritate secunde,
Nostras quas facies divinitus irradiari
Gratia concessit domini, ut — cum iudice Christo
Tu cum patre tuo fueris submersus in umbras
Et nobis sol iustitiae splendore paterno
Vultibus angelicis dederit splendescere secum —
Tunc nos agnoscas aeternae lucis amicos

Acta B. Iul.

Tunc iubet amphitheatrum (sibi in ampetheatro sedem *B*) praeparari; in quod ingressus cum tribunal ascenderet, iubet dei sanctos exhiberi et omnium ferarum dimitti multitudinem. Cumque dimissae essent ferae singulae veniebant et sanctorum pedes lingebant.

61. Haec videns praeses, convocans magistratus civitatis iubet omnes custodias perscrutari et personas iam morte dignas in amphitheatrum intromitti et sanctos dei intermisceri ac inter sacrilegas personas decollari praecepit.

Tunc S. I. cum martyribus sociis suis dixit: 'Gratias tibi, Christe, qui nos usque in hanc horam salutis perduxisti'. Tunc venerabilis puer cum sancta matre sua dixit ad praesidem: 'Nota tibi facies nostras, quas in hoc seculo gratia Christi, sicut vides, inmutavit. Tua enim perfidia foeditatem nobis conabaris inponere, gratia vero et pietas domini Christi induit nos magna gloria cum decore, ut in illa die agnoscas nos in gloria, cum tu fueris in inferno'.

---

281 *pulcris *P corr.* pulchris *P'* 289 et carmina cantat *in ras. P; cfr. in Petr.* 67 290 caertaminis *corr. P*

269 *cfr. pass. I,* 17. 271 *cfr. v.* 89. 272 *Fast. II,* 209 Libyca de gente leones. 294 *cfr. ad. V. Leud. I,* 141, *ubi adde exemplis Hadriani I. epitaph. tom. I,* 113 *v.* 11 *et Ionae ed. Migne. p.* 119.

Ipsos esse, tuum quos nunc adstare tribunal
Indomitasque feras, poenas post mille vel ignes.
Aspicis inlesos, truncari et perfidus urgues.
Gratia namque dei nostri pietasque benigna
Excipiet nostras animas et vestiet illas
Aeternis stolis lacrimamque absterget ab illis
Dans palmas dextris, aptans et crine coronas.
Tunc nostris pedibus victa et substrata iacebit
Mortua mors auctorque suus cruciaberis et tu,
Marciane infelix ovibus saevissime Christi,
Conclusus tenebris flammisque perennibus atque
Vermibus et beluis canibusque voracibus; et sic
Cum genitore tuo poenis durabis in ipsis,
Donec celsitonans veniat cunctique resurgant:
Iusti atque iniusti, meritis reddendus uterque.
C. XVII. Corpora sanctorum quanta tunc luce nitebunt?,
Tunc, cum vivificis animabus ab arce receptis
Caelesti exhilarata simul cum dote creantis
Et coniuncta illi fuerint ac regna polorum
Sceptrigeri reges victrici lege tenentes
Felices sine fine dei faciem specularint,
Olli 'ter sanctus' cantarint semper et 'amen',
Munere cuius erunt mansura luce beati
Et cuncti fratres sociali pace quieti.
Quid sperare vales, praesul, dum corporis huius
Sic vultus nostros murituros irradiari
Lumine divino cernas, periture profane?
C. XVIII. Haec spes certa quidem nobis. Tibi, pestifer anguis,
Quae, cogitas, tenebrae maneant, cum claustra gehennae
Reddiderint animam miseram? quae corpore sumpto
Ad vocem domini rursus mergetur in ipsas
Flammivomas caveas inferni iudice Christo,
Quam gurges Flegetonta ardens, Cocytus et ipse
Et plumbi liquidis piceique bituminis amnes
Convolvent ollis baratri furvisque cavernis
Et flammae et frigus fletu et stridoribus angent.
Et ne forte fugae auxilium quandoque requirat,
Sortitus portas his Cerberus arcet in antris.
Conscia nempe sui, semper quas parturit intus,
Mens viciata boni mammis lactabit avaris;
Nec minus exterius carnes nervosque vel ossa
Corporei rodent vermes numquam morituri;
Quos dudum meruit digne semperque furores,
Experietur eos numquam sensura quietem:
Nulla dies illic, sed nox aeterna sepultis.
Nec mors optata veniens auferre labores

---

326 morituros *P*[1] 328 aguis *P* 339 *quos *P*

319 *cfr. pass. III,* 179. 328 *cfr. pass. III,* 25. 329 *cfr. d. f. v.* 257.

Illos iam poterit, nostris quia gressibus illam
Contritam laeti cantabimus ante tonantem —
Mille sed iniustis arma inmutata furoris
Durabunt semper nec finem terminus ullus
Imponet clausis — vasto sed carceris antro
Percipient dignas socio cum daemone poenas.
Haec tibi certa manent: ex hoc iam conice, quantae
Teque paresque tuos tenebrarum tegmina claudent,
Sulphureis antris fueris cum, perfide, mersus.'
C. XVIIII. Cumque tuba parili tonuissent talia sancti,
Protinus exsiluit sedemque reliquit inanem
Praesul et inmenso contorquens membra furore,
Miscens caelicolis reprobos, decollat utrosque.
Mox sanctorum animas genitoris dextera Christus
Laudibus extollens patris collegit in aulam.
Et sol iustitiae verax splendore paterno
Vultibus angelicis tribuit splendescere secum,
Per speculum ut dudum cecinere in enigmate testes.
Et stolae et palmae, diademata sive coronae
Perpetuique throni et socialis gloria regni
Et, quae non oculus vidit, non audiit auris,
Illis per Christum stabili complentur honore.
C. XX. Interea ut primum ceciderunt corpora sancta,
Extimuit mundus tellusque tremore resultat,
Aera conlisis turbantur nubibus atque
Fulgureis rimis humanis cordibus omnem
Incussere metum: nimiisque fragoribus orbis
Concutitur partemque urbis subvertit abissus
Cum thonitru. Multi procerum periere nec ullus,
In quo daemonibus simulacra araeque dicata
Gentili ritu fuerant, permittitur ultra
Stare; etiam praesul moribundus subripitur vix.
Et non post multum conrosus vermibus iram
Expertus domini miseram exspiravit ad umbras
Tarthareas animam, quae non sensura quietem

Acta B. Iul.

Martianus vero crudelis cum noxiis personis iubet dei sanctos commisceri et intromisso spiculatore iussit dei sanctos consumi gladio (decollari *E*).

62. Cumque hoc factum fuisset, statim terrae motus factus est magnus, ut prope tertia pars civitatis a fundamentis subverteretur. Nec qualiscumque locus (l. *sup. lin. B*, qualicumque permissum est stare *Boll.*) stare permissus est, ubi (in quo *B Boll.*), idolum dinoscebatur. Fulgora et tonitrua et grando intolerabilis maximam partem incredulam consumpsit; ipse autem praeses semivivus evasit. Qui non post multos dies vermibus ebulliens expiravit.

63. Ea nocte venerunt Christiani populi et sacerdotes et prae multitudine cadaverum reliquias sanctorum non cognoscentes positis genibus (in terra oraverunt et *B*) oratione completa apparuerunt eis in specie virginum animae sanctorum una quaeque supra (super *BE*) corpoream thecam suam residens. Et sic sanctorum reliquiae

---

374 *ab imis *P*

364 *Cor. I*, 13, 12 videmus nunc per speculum in enigmate. 370 *cfr. pass. II*, 297. 371 *sq. Mart. Cap. V*, 427 *ed. Eyss.* p. 139, 6 *sqq.* velut fulgoreae nubis fragore colliso .. fracta diceres crepitare tonitrua. *Aen. VIII*, 392 Ignea rima. 380 *sq. Met. VI*, 676 Tartareas .... misit ad umbras.

Flammivomis caveis cruciabitur, ore tonanti
Ut testes dixere pii praesente tiranno.
C. XXI. Sole ruente sacerdotes properant populique
Corpora Christicolae sanctorum auferre volentes;
Impediuntque pium commixta cadavera votum,
Donec prostratis obnixe vultibus orant.
Quod mox ut complent, animae cernuntur et una
Quaeque super proprium residens adnuntiat esse
Virginea in specie corpus, quod rexerit ante.
Tunc grates referunt, optata et corpora tollunt
Praesbiteri et populi. Nam iussio celsitonantis
Fecerat, ut sanguis sanctorum more gelandi
Adhaerens membris minimum defluxerit arvis,
Nec fuit ausa pium tellus haurire cruorem,
Quae sceleratorum sudabat sanguine foeta.
Agnoscunt sanctos socii superesse valentes:
Illorum fidei memores, certaminis aeque
Victoresque colunt et clara sepulchra parantes
Ecclesiae gremio sacro sub limine sancti
Altaris condunt sanctorum corpora. Quem mox
Magnificare locum domini dignata potestas
Ebullire dedit venis indeficienti
Fonte, undis cuius uterus babtismatis almus
Semper inundatur; semperque loco venerando
Gratia larga dei tali de munere flagrat,
Credulus ut quisquis veniat se posse mederi
Sanctorum meritis, pronus si vota precesque
Fuderit ad tumulos, statim sanetur ab omni,
Quo vexatus erat, membrorum animique dolore.
Temporibus cunctis tanta virtute coruscat,
Ut dictis hominum nequeat scriptisque notari.
C. XXIII. Sed decet e multis unum vel pangere, per quod
Martyris invicti Iuliani gloria magna
Clarescat mundo cunctisque fidelibus. Illud
Nam nemini dubium, terris qui degit in illis,

collectae sunt. Domini vero gratia ita ordinavit, ut sanctus cruor eorum sicut panis lacteus circa unumquemque eorum congelaretur, ut nec terra auderet os suum aperire ad sanctum cruorem recipiendum, quia sceleratorum sanguine fuerat satiata. Passi sunt autem gloriosi martyres Iulianus et omnes socii eius VIII. Id. Ian. Quorum sancta corpora auferentes sacerdotes sepelierunt in sancta matre aecclesia sub sacro velamine altaris.

64. Unde domini pietas indeficientem fontem prodire iussit, cuius undis sacrosanctum baptisterium inundatur. In quo loco tanta divina benificia affluenter credentibus tribuuntur, ut, si quis †adveniens fide et credulitate plenus, statim consequatur medicinam, quacumque fuerit infirmitate oppressus.

Nec hoc silebo miraculum, quod ibi dominus ad fidelium fidem corroborandam operari dignatus est, quod usque in hodiernum diem nullus ambigit. Decem leprosi iam decoctae et putridae carnis allati sunt, ut die passionis eorum, hoc est Epiphaniorum, baptismi gratiam consequerentur. Completo in eis sacramento, dum eos in sabanis baiolarent, quia manibus tangi non poterant: ita unusquisque, ut intinctus est, talem

387 prostatis *corr. P*[v] 411 choruscat *P*[v]

384 *Aen. III,* 508 Sol ruit. 387 *e. g. Reg. I,* 20, 28 rogavit me obnixe. *Cfr. prol. pass.* 14.
395 *Met. VII,* 338 haurite cruorem. 396 *Aen. II,* 582 sudarit sanguine litus. 398 *sq. cfr. v. 283 sq.*

Quod deus omnipotens nunc usque operatur in ipso
Ecclesiae roborando fidem templo memorato,
Quo tumulata iacent Iuliani martyris ossa.
Expediam verisque canam sermonibus illud.
C. XXIIII. Idibus octonis iam redeuntibus ecce
Annua claruerat natalis festa diei
Sanctorum, deni babtizanturque leprosi
In memorato utero fontis salientis ad auras
Postque sacramentum sabanis baiulantur ab illis,
Quorum cura fuit levitarum illud agendi
More, aliter tangi pestis quos putra vetabat;
Cum subito splendent domino sanante decori
Inmensoque nitent candore, ut pulcrior illis
Nulla hominum species possit sub sole videri,
Nec tam pulchra fuit mortali germine visa.
C. XXV. Et vox e caelis sonuit: 'Carissimus ista
Omnia promeruit Iulianus martyr et horum
Excellens meritis multo maiora meretur,
Intemerata fides olli quia mansit agonum.
Congressus nimios superans iramque draconis
Confregit saevum cum mille furoribus hostem,
Dispexit mundum vel quae sunt noxia mundo
Calcavit, sapiens collegit fructus amicos
Dilexitque deum, cuius pro nomine vitam
Tradidit: hic laetus caeli iam regnat in arce
Cum factore suo mecum per saecula cuncta'.
Glorificat vocem domini medicina sequta
Ad tumulum sancti natalis luce colenda.
Illic caecorum redduntur lumina turmis,
Aures surdorum reserantur, lingua mutorum
Solvitur ad laudes, clodi sanantur et omnes
Aegroti: properans nullus discedit inanis
Casibus afflictus variis, sed liber ab omni
Corporis aut mentis, fuerat quo, vulnere, laesus,
Martyris auxilio precibus meritisque beatis.
Daemonia aufugiunt, obsessa et corpora laxant,
Vexati miseri vires animumque resumunt.
His auget signis trinus regnator et unus:
Nam quocumque loco sancti fabricantur honore
Martyris eximii Iuliani in nomine Christi

Acta B. Iul.

consecutus est sanitatem, ut in hominum genere numquam talis pulchritudo monstraretur. Vox autem audita est de caelo dicens: 'Iuliani dilecti mei fides haec omnia meruit et maiora horum merebitur'. In eo denique venerabili loco ceci illuminantur, demones effugantur; et non solum ibi, sed ubicumque in nomine Christi et sanctorum eius Iuliani et Basilissae fabricatae sunt sanctae aecclesiae.

Gloria Christo, qui est fidelis in verbis suis et tantam gloriam praestat servis suis et cum patre et spiritu sancto regnat in trinitate sempiternae virtutis per omnia secula seculorum, amen.

---

419 *tumulata] condita *P* 429 pulchrior *P*[1]

420 *Aen. e. g. XI,* 315 Expediam. 424 *cfr. d. f. v.* 79.

Templa, dei pietas simili virtute coruscat,
Illius, ad tumulum veluti, quo membra quiescunt.
Gloria sit summo patri genitoque vel almo
Spiritui, tantum sanctis qui praestat honorem
Martyribus generique hominum pietate paterna
Consulit et roborans fidei documenta patronos
Aeterni testamenti providit amicos,
Quorum suffragiis hominum peccata relaxet;
Quosque beatificans aeternae lucis amore
Ante suum vultum statuit consistere semper
Tamquam perpetuo factoris amore nitentis,
Ut pietatis opus decantent vocibus aequis,
Qua superexcellet facturae conditor omnis
Virtutes caeli, qua vivunt quave reguntur,
Qua didicere deo 'ter sanctus' dicere proni
Regi inmortali Christoque 'osanna sabaoth'.

---

457 choruscat *P*' 472 sabaoth oth *P*

458 *e. g. Fort. IV,* 7, 9 Ecce sub hoc tumulo pietatis membra quiescunt. 466 *cfr. prol.* 11. 468 *Fort. IV,* 27 Si pietatis opus.

PAULI ALBARI CARMINA.

Paulus Albarus[1] *qui a Iudaeis ortus neque ullo ecclesiastico munere functus* sollicitudinem *tamen* pervigilem circa utilitatem fidei catholicae *medio fere nono saeculo* conprobabat[2] *Cordubae, plane talis in poesi exstitit quales esse Cicero Cordubenses poetas scribit* pingue quiddam sonantes atque peregrinum. *Veluti carmina I—XII, quamquam non solum obiter legens opinatus erit, non puer lusit iocabundus, qualia narrat fuisse ea quae temptabat dum in abbatis Speraindei ludum cum Eulogio itat;* agebamus *enim ait in Eulogi vita I, 2*[3] *(ed. Lorenzana PP. Tolet. II, 396)* utrique scribturarum delectabilem lusum et scalmum in lacum nescientes regere Euxini maris credebamur fragori *(cfr. Hieron. epist. I, 2 ed. Vall.)*: nam pueriles contemptiones *(T;* contentiones *Moral. sed cfr. Samson. apolog. II, 7 ed. Florez. Españ. sagr. XI, 405 sq.)* pro doctrinis quibus dividebamur non odiose, sed delectabiliter epistolatim in invicem egimus et rithmicis versibus nos laudibus mulcebamus: et hoc erat exercitium nobis melle suabior, fabis *(i. e.* favis*)* iucundior et inante nos quotidie extendentes multa inadibilia temtare ex scribturis puerilis immatura docibilitas coegit *(Moral.; //*egit *T)* ita ut volumina conderemus; que postea etas matura abluenda *(T;* abolenda *Moral.)* ne in posteros remanere decrevit. *Neque enim rhythmice condita sunt, sed metricas ut superbus saepius profitetur*[4] *leges sequuntur quamvis prorsus singulares. Quarum est haec summa, quod hiatus*

---

1) *De Albaro post Nicol. Antonium et Henr. Florez. comes de Baudissin in libro qui inscribitur Eulogius und Alvar Lipsiae 1872 memoratu digna conposuit. Ante 848 Albarus praeter epistolas ad Bodonem missas nescimus quid ediderit, nam Speraindeo directae coniectanti ansam renuunt, cum Iohanni autem Hispalensi per epistolas (ed. Florez. Espanñ. sagr. XI, 81 sqq.) post 848 disputavit; et errat de Baudissin qui I—IV iam 835 scriptas esse suspicatur. Etenim ut IV. (Fl. p. 146) adnotationem de Mammete (cfr. Baudissin p. 143 sqq.) et V. (p. 135) Augustini de civitate dei libros, ita IV. (p. 108) demonstrat se Vergili Aeneidem lectitasse, quae scripta Eulogius 848 reppererat; Teudula autem episcopus Hispalensis IV. (p. 123) non vivus laudatur sed* nunc requisitus *i. e. cuius nunc desiderio tenemini (videlicet dum Recafredi furorem suffertis) et Vergili verba in epistola ad Bodon. adlata (p. 211) ut hoc obiecturo praeripiam Isidori debet etym. XVIII, 7, 7. De scintillarum libro cfr. Ewald et Loewe exempl. script. Visigot. p. 26. De Albari eiusdemque aevi Hispanorum lingua Romana alio loco peculiariter nobis agendum est ne latius hic evagemur: cave igitur causa indicta condemnes.* 2) *Ioh. ad Albar. p. 142.* 3) *Ubi ex Eulogi vita verba peto utor Ewaldi collatione cfr. infra p. 126.* 4) *Cfr. Ebert. G. d. L. d. M. A. II, 310, 1; in primis carm. IV, 21 sqq.. Quibus locis si adiunxeris quod c. XII* II *et* III *ad eandem amussim erecta sunt atque I—XI concedes me iure coniecisse etiam I—XI ab Eulogio edoctum scripsisse Albarum. Mira sane sunt quae legimus in Iohannis epistola VI. p. 146 ed. Fl. (cfr. supra adn. 1)* si illum librum domini Eulogii dirigere non potestis vel illas sillabas quae in ordine sunt i. e. A sequente illud et illud [A *seclusi*] producitur aut corripitur, similiter E usque ad U et deinceps ba. be. bi. bo. bu. et

permittitur rarissime ad elisiones confugitur vocalium quantitates promiscue usurpantur (ut e quoque pro ae brevis esse potest), hactenus tamen ut vetetur ne quae conripiantur quae positione longae sunt. Talem artem, cuius Albarus nec primus neque unicus testis est[1], *vides et potuisse libero genuinoque linguae usu labente facile ori et debuisse quodam modo a posteris consuetudine scientiaque magis quoque destitutos libenter coli cum iam solum adiumentum extrinsecus esset adepta. Quam iure fortasse suspicere ex Africa in Hispaniam pervenisse*[2]. *Admittebant praeterea tunc temporis Hispani poetae frequentissime versibus rimarum tinnitus ex rhythmorum usu profectos*[3], *sed iam omnibus ita insitos ut ab eis quoque adhiberentur qui contra popularem poesin doctae potius studebant*[4]. *Quo multum contulisse etiam Maurorum conversationem cum per se veri simile est tum ipsius Albari testimonio (indicul. lumin. ed. Florez. Esp. sagr. XI, 274) discere videmur:* Heu proh dolor legem *(Aldrete;* linguam *cod.)* suam nesciunt Christiani et linguam propriam non advertunt Latini ita ut omni Christi collegio vix inveniatur unus in milleno hominum numero qui salutatorias fratri possit rationabiliter dirigere literas. Et reperitur absque numero multiplices turbas, qui erudite Caldaicas verborum explicet pompas; ita ut metrice eruditiori ab ipsis gentibus carmine et sublimiori pulchritudine finales clausulas unius literae coartatione decorent; et iuxta quod linguae ipsius

---

reliquas usque ad finem huius operis — si illum biblum dirigere non potestis, istas sillabas nobis scribite et festinanter dirigere praecipite. *Eo enim libro certe plura et exquisitiora continebantur quam quae ex Albari carminibus Eulogium docuisse coniectura adsequi liceat. At* Eulogii liber *non liber est ab Eulogio compositus, sed qui fortasse ne lectus quidem in eius bibliotheca latebat (ex a. 848?). Contra ratiocinari debemus Eulogium cum haberet integrae doctrinae tractatus maluisse propagare detruncatam facilioremque. Eberti quoque sententiam (l. c. p. 301) explodo eum ex Aldhelmi ad Acircium epistola didicisse putantis, nam* Adhelelmi epigramatum liber *(cfr. infra p. 124) Aldhelmi enigmatum liber est, qui saepissime solus circumferebatur, 'satis raro' (Giles. p. 390) epistolae insertus, ac si non ita corrigendum intellegendum tamen. Neque Aldhelmus nobis opus est cum Iuliani Toletani de re metrica scriptum tunc iam oblitteratum fuisse valde incredibile sit; e grammatica eius videtur fluxisse apud Albar. ad Io. p. 127 ed. Fl. Caesaris et Varroris memoria cfr. Pompei comment. in Donat. p. 199, 13 sqq. ed. K..*

1) *Cfr. Guilelmum Meyer. Anfang und Ursprung der lat. u. griech. rhythm. Dichtg. dissertat. r. ac. Bav. I. cl. vol. XVII p. 382 sq., ib. de Albaro p. 278 adn..* 2) *Cfr. Meyer. ibid. de Cypriano personato et Hübner. ad I H Ch. n. 145 de artificioso scribendi more qui ex Africa in Hispaniam translatus est.* 3) *Cfr. Meyer. l. c. 385.* 4) *Etiam prosa Hispanorum saepe rimis distincta est et veluti rhythmica (praeter Albarum et Samsonem legas et Leuvegildum apud Florez. vol. XI et Hisperica famina apud Maium auct. cl. V, 479 de quibus vide Geyer. in Woelfflini archiv. II, 255 sqq.), quod idem Afros introduxisse veri similius est quam fit e Woelfflini der Reim im Lat. in eiusdem archiv. I, 350 sqq. ubi tantum bisyllabae rimae ad rationem vocantur. Atque digna est res quae ampliore exemplo inlustretur cum alii quoque medii aevi scriptores ad eundem aridi sermonis ornamentum confugerint (cfr. Meyer. act. r. ac. Bav. 1882 p. 66). Habes igitur apud Albarum e. g. ep. V. ad Ioh. ed. Fl. p. 131.* Habet inter sapientes ac morigeros disputatio saporem | inter stultos ac inconditos amarissimum acerbumque dolorem. | Hic sapientia dulce mel sumitur | illic vecordia tumultuante fel volvitur. | Quod inter sapientes geritur, conlatio dicitur | quod inter vecordes (oritur *addidi*) tumultuatio verius nuncupatur. | Sapientium iurgium dilectione finitur | insipientium amor pugnis et calcibus *(Florez.;* pinguis et dulcibus *C)* terminatur. | Isti contendendo ad meliora proficiunt | illi rixando ad peiora deficiunt. | Istis caritas ministrat eloquium | illis rixa fustem defert nodosum. | Ab istis pax et odor emanat | ab illis odium et foetor exhalat. | Sapientum memoria posteris proficit | stultorum error cum ipsis deficit. | Moritur sapiens et post mortem virescit | moritur stultus et post mortem putrescit. | Contentio sapientum delectamentum est secuturis | divaricatio stultorum horror est persistentis. | Prudentium rixa favum impendit | stultorum lucta calcem implodit. | Ista scientia fontibus crescit | illa alapis pugnisque calescit. | Habent utraeque limitis suos et utrarumque diversos estos *(C;* aestus *Fl.)* | pro qualitate propria

requirit idioma (quae omnes vocales apices commata claudit et cola rythmice, imo ut ipsis competit metrice) universi alphabeti literae per varias dictiones plurimas variantes uno fine constringuntur vel simili apice.

Primus autem si Albaro fides habenda est (Eulog. vit. 2, 4 p. 397) studium metrice reboandi *artis admodum perditae si non totam in Hispaniam id quod iure dubito at in Baeticam rursus intulerat Eulogius, qui 851 Cordubae in carcerem coniectus* ibi metricos quos adhuc nesciebant sapientes Hispaniae pedes perfectissime docuit nobisque post egressionem suam hostendit *i. e. ante 859 quo anno martyris agona confecit.*

Carmina igitur I—XI post 851 in summa Christianarum rerum iniquitate contexta sunt neque a puero ludibundo, sed serio ab homine aetate iam provecto; carmina vero numeri XII. quibus manes Eulogi expiabat procul dubio post 859. Ex quibus asclepiadeum, cuius generis poesis apud Hispanos inde a Prudenti aevo colebatur, propius ex Horati[1] *carm. III, 30 imitatione ductum iam Morales putavit quippe quod Albarus praefaretur (Eulog. vit. 6, 19 p. 407):* construxi enim here perennius monumentum gloriae tuae quod nec nimbosus turbo grandoque lapidea dextruat nec rogus flammarum quocumque igne liquescat. Edificabi nomini tuo memoriam ex auro obrizo et lapidibus omnigenis pretiosis quam nullus violentissimus valebit diruere predonis more tirannus. *Unde conclusit inter scripta ab Eulogio in itinere 848*[2] *reperta et Cordubam asportata fuisse librum Horati carminum. Neque enim Eulogio ut ait Albarus (Eulog. vit. 3, 9 p. 400)* sufficcuit monasteria patriae suae invisere; quin potius ..... in Pampilonensium territoria ultro progrediens monasterium sancti *(*sancti monasterii *T)* Zaccarie[3] ingressus et aliorum cenobia ipsarum regionum gliscenti voto percurrens multorum patrum est amicitia dulcoratus .... In quibus locis multa volumina librorum repperiens abstrusa et pene a multis remota hic remeans suo nobis in sacratissimo pectore conlocavit *(pro* i. s. p. c. *Moral.* regressu adduxit *ex ingenio opinor non ex Ovetensi libro)* ... Inde secum librum civitatis beatissimi Augustini et Eneidos Vergilii sive Iubenalis metricos itidem libros atque Oratii *(ego;* gram *expunct. T)* Flacci saturata poemata seu Porfirii[4] depincta opuscula vel Adhelelmi[5] epigramatum opera nec non *(*et *add. man. post.)* Abieni[6] fabule *(*fabulas *Moral.)* metrice *(*-as *Moral.)* et ymnorum

---

generant foetos. *Rimarum leges si caute observaris poteris saepe et defendere lectiones inepte mutatas et corrigere male traditas. Veluti ne ad alios me vertam haec habes quae aliquot paginas percurrens inveni: in conf. ed. Fl. p. 71 legendum:* Quid enim gravior libidine? quid onerosior fraude? quid ponderosior iactantie vane *(C;* iactantia vana *Fl.)*? quid peius homicidio? quid malitiosius *(ego e. g.;* malum *C)* testimonio falso? quid iniquius miserorum spolio? quid scelestius quam rei cognitae ob detrimentum aliorum negatio? *ibid. p. 72* sed qualiter caelestia illa mirifica sacramenta absque te esse dicenda est *(C;* sunt *Fl.)*, ubi tua (licet non quanta est sed quanta audiri a mortalibus potest) maiestas digesta est. *Sic vel tueor vel corrigo p. 81* sociat *post* edulia *p. 74* famulant adversat *p. 89* dedignat *p. 77* conaret *p. 79* tribuere *(*tribue te *C) inperativi loco cetera.*

1) *Horati verbis etiam Hieronymus Paulae epitaphium quod in Hispania lectitabatur (cfr. supra cod. Tolet. descriptionem et quod fugit Huebnerum I H Ch. n. 49) sed nec totidem praefatur neque pergit metro Asclepiadeo.* 2) *Cfr. de Baudissin l. c. p. 93 adn. 2. Ibi* quondam Wilhelmi *est* nunc mortui W., *cfr. e. g. I H Ch. n. 286* corpus quondam Wifredi. 3) Maxime libuit adire beati Zachariae ascysterium, quod situm ad radices montium Pyrenaeorum in praefatae *(i. e. Comatae)* Galliae portariis quibus Aragus flumen oriens rapido cursu Seburim et Pampilonam irrigans amni Cantabro infunditur. *Eulog. ad. Wilies. 2. ed. Lorenz. l. c. p. 537 cfr. Moral. scholion.* 4) *Recte Ebert. l. c. 301 Porfyrium Optatianum interpretatur.* 5) *Cfr. supra p. 122 adn. 4.* 6) *Arianium dicit. Albarus quos noverit poetas ex notis meis patebit, praeterea ep. XVIII. p. 205 ed. Fl. Persium sed ex Hieronymo citat, ep. XX. p. 218 Lucanum II, 54 quem frustra quaesivi ubi ceteroquin exprimeret, p. 218* Mortem contemnunt laudato vulnere Getes *et* Getes quo pergit equo *ex Isidor. de regib. Gothor. ed. Areval. VII, 129 sq..*

catholicorum fulgida carmina cum multis minutissimarum causarum et sanctis questionibus multorum ingenia congregatis non privatim sibi, sed comuniter studios(is)simis inquisitoribus reportavit. *Sed res in ambiguo relinquenda, cum* saturata poemata *iustius quam Morales ex Iuvenal. VII, 67 nos credamus cum aliis interpretari* saturas.

Carminum I—XI syllogen qui continet codex Cordubensis olim ecclesiae maioris nunc archii canonicorum ex quo Florezi editione Matriti 1753 in España sagrada vol. XI. p. 275 sqq. — num Migni quae inest patrol. lat. vol. CXXI. utpote mere repetitam non numero — primum et semel patefactus erat, diutius in obscuro latebat (cfr. Duemmler. N. A. IV, 515), donec forte fortuna a Paulo Ewald anni 1878 arte venatoria repertus est.

Ipse Ewald duobus annis post dum confert librum aqua et igni valde corruptum lacunas a Florezio relictas plerumque tam acriter acuteque explevit, ut mihi cui alterum Cordubensis apographum iam s. XVII. in. a Thoma Tamaio confectum (cfr. Anton. bibl. Hisp. vet. 1696 I, 350 sqq.) multoque plenius et Floreziano et Moralesiano a Florezio adhibito licet fatuis coniecturis saepe interpolatum feliciter sane evenit ut per Romulum Brigiuti in codice Barberino XI, 121 investigarem et usque ad Albari carm. VI, 11 discrepantias inde descriptas acciperem, unus tamen omnia pro viribus expediisse censendus sit.

Scriptus est liber C(ordubensis) a presbytero Sisverto in provincia Legionensi (cfr. Ewald. N. A. VIII, 359 sq. et 631) s. X. litteris Visigoticis quarum qui specimina descripserunt Ewald et Loewe adferunt exempl. script. Visig. p. 25; continet praeter primas quattuor paginas Augustini sermone 350 saeculo XII. expletas Albari carmina confessionem librum epistolarum indiculum luminosum, quae scripta Florezius l. c. edidit, tractatus theologicos, de quibus cfr. idem Fl(orezius) p. 50 sq..

Alterum Albari operum codicem ecclesiae Toletanae cuius mentionem Tamaius fecisse a Nicolao Antonio l. c. p. 350 fertur equidem opinor rerum confusioni deberi. Codex enim Toletanus nunc bibliothecae publicae Matritensis loculamenti 14. n. 22, quem videntur voluisse, ex Albari operibus nihil prodit praeter Eulogi passionem. Quam quae sequuntur Albari de Eulogio carmina cum syllogae adiungamus, paucis enarretur T(oletanus) — cfr. Ewald. N. A. VI, 316 sqq.[1] *— qui solus et haec suppeditat et alios Hispanorum versus infra edendos.*

Saeculo X. (cfr. Ewald. ib. 584) litteris Visigoticis exaratus quas Partsch. expressit in Corippi editione praebet: f. 1 Draconti Hexaemeron ab Eugenio Toletano recensitum (ed. Lorenzana SS. PP. Tolet. I, 34 sqq.); 17′ Corippum (ed. Partsch. cfr. p. LI sq.); 51 Sedulī hymnum primum; 52′ inscriptionem pontis Emeretensis metricam (ed. Huebner IHCh. n. 23ª); 53 Eugeni Toletani carmina (ed. Lorenzana l. c. 19 sqq. de ordine cfr. N. A. l. c.); 75 Catonis disticha (ed. Baehrens. p. l. m. III cfr. ib. p. 208); 77 Verecundi poema (ed. Pitra spicileg. Solesm. IV, 138 sqq. et G. Meyer Abhandlg. d. k. bayr. Ak. d. W. cl. I. vol. XVII. p. 431); 81 Iuvencum; 135 Fortunati c. IX, 2 (ed. Leo p. 205); 137′—139′ Cypriani et Samsonis versus (infra edam); 139′ Hieronymi epitaphium Paulae (ed. Migne. XXII, 906 cfr. L. Müller Fleckeisen. annal. 1865, 790 et Rh. M. XXI, 264); 140 aenigma triscaidecastichon (Verbis crede meis quoniam non fribola fingo Vocibus adst multis comitor mestoque tumulto) *et* Quadam nocte niger *(ed. Baehrens. p. l. m. V, 370 sqq.); 141′ Vincenti versus (infra edam); 142* O vos amici *(infra edam); 142′ epitaphium paulo recentiore manu additum* Secla dei nate fruaris consortio serbus *(infra edam); 143 Recesvindi versus (infra edam); 143′ Sedul. c. p. II, 63—81; (s. XII Petri Comestoris versus cfr. N. A. l. c. Amador de los Rios hist. litt. Hisp. II, 356 Wattenbach Anzeiger d. Kunde f. D. Vorzeit 1867 p. 111); 144′* eras in quo martires

1) *Ex Azagrae bibliotheca videtur in Lucae Cortesi manus venisse cfr. Anton. l. c. p. 344; quod tamen Perezi verbis refragatur ap. Partsch. Coripp. p. 11.*

passi sunt *usque ad Diocletiani tempora; 158 exorcismos duos (infra edam); 159 Damasi de Paulo apostolo versus (saepius editos cfr. de Rossi bullet. di arch. crist. ser. IV. ann. III. p. 8).*

Praeter Toletanum, quo nos ex Ewaldi descriptione et collatione utimur quae sunt in reg. bibl. Berol. ms. lat. fol. 448, Ambrosius Morales cum anno 1574 S. Eulogi opera Compluti primus ederet iisque Eulogi vitam praemitteret ab Albaro compositam adhibuit Ovetensem 'librum vetustissimum' et ipsum 'litteris Gothicis in membranis descriptum', 'in quo passio cum Sancti operibus ad finem cohaerebat', deerant ea quae passionem in Toletano secuntur translationis memoria epitaphium oratio[1]. *Qui quo pluris ut solus Eulogi operum testis a Moralesio fiebat, eo rarius in passione adferebatur, praesertim cum lectu esset difficillimus et pro illa plenior exstaret Toletanus. Ac Moralesi textus cum a Toletano recedit tam pueriliter interpolatus est, ut ibi non nitatur codicis fide, sed editoris lubidine*[2].

I.

INCIPIUNT VERSI. CARMEN PHILOMEL⟨AICUM⟩.

Vox, filomela, tua metrorum carmina vincit
Et superat miris flamina magna modis.
Vox, filomela, tua dulcis super organa pergit,
Cantica nam suabe fulgide magna canit.
Vox, philomela, tua superat sic gutture Musas,
Ut citharas vincat sivila ter tua, ter.
Sicque liras dulces cordarum pollice ductas
Excellis mulcens, corda fobens hominum.
Cedat omnigena, tivi vox quoque garrula cedat,
Iudice me carmen fulgeat homne tuum.

[I.] *titulum supplevit Ewald, Tamaius quoque* FILOMELAICVM *testatur* 6 tertui.ter *C* **an* vincit s. ter tonitri ? 7 *ductus *C*

1) *Cfr. passim Moralesi praefationes et scholia.* 2) *E. g. XII 1* 1 *pro* revehit festa *Morales.* redeunt festa *cum nesciret festam fem. esse, versu autem refragari videret* revehuntur; *ib. 26 sq. scripsit contra metrum* Christus cunctipotens vellet, Leocritiam | recte mox *ut contorta retexeret;* 48 hunc *post* ne *intrusit elisionem parans neque ἀπὸ κοινοῦ construendum esse sciens. Talibus adparatum meum quem simplicem malo non oneravi.*

[I.] *ad c. I et II cfr. Eugeni Toletani op. part. alt. c. VIII (ed. Lorenzana PP. Tolet. I, 59) quemadmodum fertur in Azagrae codice Toletano ab Ewaldio collato (cfr. N. A. VI, 316):*

ITEM CARMEN FILOMELAICUM.

Vox, philomela, tua cantus te dicere (*ego;* c. edicere *T*) cogit:
Inde tui laudem rustica lingua canit.
Vox, philomela, tua citharas in carmine vincit
Et superat miris musica flabra modis.
Vox, philomela, tua curarum semina pellit,
Recreat et blandis anxia corda sonis.
Florea rura colis, herboso cespite gaudes,
Frondibus arboreis pignera parva foves.
Cantibus ecce tuis recrepant arbusta canoris,
Consonat ipsa suis frondea silva comis.

Nulla certe tivi equeter nunc cantibus ales:
Et victrix hominum voce feras superum.
Dic ergo varias blande modulamine voces
Et funde solite gutture sepe melos.
Porrige dulcissonum gaudenti pectore plectrum
Et dulce tibias gutture clange sonans.
Gloria summa deo dico per secula Christo,
Qui nobis famulis gaudia tanta dedit.

II.

ITEM ALIUM FILOMELAICUM CARMEN EIUSDEM.

Dic, dic in es⟨ca mici, r⟩edde mici gutture can⟨tos⟩
Et ⟨modula⟩ tremule: te requie⟨s sequitur⟩
⟨Noctem⟩ dulcescis, florem v⟨elut aura favoni⟩
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
⟨Te voces vari⟩as tum decidente canendo
⟨S⟩plen⟨det⟩ mira dies nocte tenebra solans.
Carmina lete tua rude crispare susurro
Et laudes metricas excita, queso, tivi:
Cantibus ecce tuis responsa poetica currunt
Et certant vario te superare pede.
Excute, pennegera, exalta sic carmina voce:
Nolo timere velis, nolo tacere velis.
Cedat homnigena, cedat vox garrula, cedat,
Iudice me cedat organe flabra tivi.

---

11 aequetur *Burmannus anth. lat. tom. II p.* 442 12 *?autrix *C* 13 *modis ???amia iudies *C* 16 tibias *incertum C*

[II.] 1 **suppl.* 2 **suppl.* *tumule teres quie *C* 3 **suppl.* 7 **suppl.* tu *C* 8 *. pon . . *sive* pen *sive* peu *C* 11 et cetuis *C corr. Fl.* 16 *omne flabram *C*

Iudice me cignus et garrula cedat irundo,
Cedat (*sic*) et inlustri psittacus ore tibi.
Nulla tuos umquam cantus imita(bi)tur ales,
Murmure namque tuo dulcia mella fluunt.
Dic ergo tremulos lingua vibrante susurros
Et suabe liquidum gutture pange melos.
Porrige dulcissonas (*sic*) adtentis auribus escas:
Nolo tacere velis, nolo tacere velis.
Gloria summa tibi, laus et benedictio, Christe,
Qui praestas famulis *(codd. ap. Ries. et Baehr.;* servulis *T)* haec bona grata tuis.

(13 laudat Iulian. Tolet. cfr. Hagen. anecd. Helvet. CCXXIX 18 *prohibet Eugeni stilus cfr. praef. ed. Lor. p.* 19 *v.* 4. *quominus ex Albari II,* 14 *mutes)* 15 dulcissonum *orthographia volgaris cfr. e. g. grandissonus in Sedul. codd. ap. Huemer. I,* 18.

Prestrepe, plumigera, vincens sic facta priorum,
Ut nostra pariter tuque noba superes.
Gloria magna deo nostro, qui sede perenni
Regnat perpetue nos pie, iuste fobens.

III.
DISTICA DE GALLO.

Gallus se excutiens pennis et voce resultat
Dulcissono crispans gutture, pulcre sonans.
Hic repetit altas nocturno tempore voces
Et luce previa carmina clare canit.
Hic laudes domino pandit per ora dierum,
Excitat et pigros sepius hic recinens.

IV.
⟨I⟩T⟨EM⟩ UERSI ALII.

⟨Hi⟩nc ululansque lupus, rug⟨ens et v⟩ilis asellus
⟨Grun⟩niensque sues, raccan⟨s et pessima⟩ tigris
⟨Nec non e⟩t catulus glatte⟨ns rumore reboant;⟩
⟨Gannit et⟩ hic vul⟨pes et miccit hirsa capella.
Raucissonum cedat ast hic genus omne ferarum:
Nam philomela sonat, adequans quam olor aquescens⟩
Sicque pavus varie flavescens voce resultant.
Qui pennis rutilat fulvis et murice cicli

[III.] 4 *plure *C* plura *Fl.* 5 oram *C*

[IV.] *titulum suppl. Ewald* 1 **suppl.* *rugens et vilis] fuc . . . . . ilis *C* 2 **suppl.* raccn *C* 3 **suppl.* 4 **suppl.* 5 *et* 6 *(ut* 3 *et* 4 *clausulas)* **suppl. ut sensus pateret* 7 *pavescens *C* 8 *sicli *C*

[II.] 17 prestrepe *cfr. I H Ch. n.* 123, 16 *ubi Huelner inepte* perstrepit *legit, hymn. Mozarab. ap. Lorenzan. breviar. Goth. p. CXIII* prestepe canticum (*ib. C cfr. Dressel. Prudent. cath. IX,* 111 pestrepent concentibus), *Albar. ep. XVIII ed. Fl. p.* 205 *Persi sat. I,* 33 *sq. ex Hieronymi ep.* 54 *adferens* Rancidolum quiddam balba de nare locutus | praestrepis ac tenero supplantas verba palato.

[IV.] *cfr. carmen de vocibus animantium (de quibus nuperrime disquisiverunt G. Loewe gloss. nomin. Lps.* 1884 *p.* 248 *sqq. et Studemund anecdot. var. I Berol.* 1886 *p.* 101 *sqq. et* 284 *sqq.) ap. Riese. anth. lat.* 730 *ap. Baehrens. p. l. m. V p.* 368 *app.*

Dissona vox hominis rugitum (*sic cod. pro* ruditum) signat aselli
Grunitumque suis . . . . . .
Quodque lupus ululat vel quod vulpecula gannit,
Quod pardus felit, quod raccat (rahat *cod.*) pessima tigris,
Quod glatit catulus, quod miccit setiger hyrcus . . .

1 *in* vilis aselli *versus desinit ap. Sedul. c. p. IV,* 297. 2 sues *nominat. cfr. e. g. Mai spicil. Rom. IX. append. p.* 67. 7 pavus *pro* pavone *cfr. Sittl. Woelfflin. arch. II,* 576. 7—9 *Aldhelm. laud. virg.* 227 *sqq.* Quamquam versicolor flavescat penna pavonis | et teretes rutilent plus rubro murice cycli *(genitivus est Albaro),* | cuius formosa species et fulva vetustas.

Specie formosa viget, qui pulcre venustus
Cantibus adplaudit gemmato sidere pinctus,
Cum theretes vibrant, mire dum explicat alas
Ac solis instar cauda dum pansa refulgit
Et peltes clarent lunato sidere tensi,
Dum verrit terram pulcer placideque decorus
Aut crispas relebat pandens per ordine rotas —
Lumine milleno splendunt hinc inde serene —,
Dum revoans melodum concentu plume volucres
Despicit et replicat crebro iterando camenas.
Ergo vos, cigni lautique decore pavones,
Cum suavi meatim philomela ducite carmen
Et pedibus metricis rithmi contemnite monstra,
Que — segnis herrans floxus — sic rancide sannas
Devio mugitu pangit, ut cantica turpet
Eclesie plevis, que semper fulgide claret.

V.

VERSI LAUDIS VEL PRECIS.

O pietate bonus opifex, fulgore decorus,
Rex seculorum fortis, qui clare serenus
Eterne regnans magna dicione potestas,
Pulcrifice radians toto per mundo refulgis,
Qui mare, qui terras celumque et tartara tendis,
Et virtute vigens signas et cludis abissos,
Quem res cuncta tremit, queque pietate gubernas,
Temperas et ravidas frenans virtute procellas,
Tu r⟨er⟩um dominus, celi qui regna potestas
Et vultu placido tempestatesque serenas,
Tartareas tetras dissolvis luce tenebras,
Infantum linguas reddis qui pulcre solutas
Et iuste reges, pariter quoque regna decoras:
Tu nostras, rector, terge, sanctissime, culpas
Et clemens voces has nunc tivi reddito dignas.

---

13 lunatos *C corr. Fl.* *densi *C* 14 *vertit terra *C*, platideque *C* 22 *harrans *C* errans *Morales*

[V.] 5 **an* flectis ? 7 *respecta *C* 9 *r. rum *C* 11 Tartarees *C corr. Fl.* 13 *queque *C*

11 *Martial. XIII,* 70 *de pavone* Miraris, quotiens gemmantes explicat alas. 13 *cfr. Aen. I* v. 490 *et XI,* 663 lunatis agmina peltis. *Osbern. ed. Mai p.* 478 peltes genus scuti quo quippe Amazones utebantur. 17 concentu plume *ut III,* 1 pennis et voce resultat. 22 *cfr. infra ad X,* 29.

[V.] 3 *et* 9 potestare *cfr. DC.* 8 *Eugeni recens. Hexaem. Dracont. ed. Lorenz. p.* 49 Et frenat rabidas in tempestate procellas. 10 *Aen. I,* 255 Vultu quo caelum tempestatesque serenat.

VI.

ITEM VERSI.

Lumine candoris clarent hic lilia celi,
Fulbe rose florens imitant hic purpura terre
Et viole pariter stellarum vice coruscant.
Dum vario redolent pariter unite colore,
Albeole renitent ceu unio lilia conclis,
Instar et gipsae conplectens colla puelle
Lactea (dum pingunt gilbam fulgentes elenci:
Igneus flammis miris carbunculus ardens
Adque colore poli pollensque lapillus aquescens,
Sic pretiose vigens adstat aliosque virescens,
Qui celse pulcrum reddunt per colla celidrum)
Adque decora rosa flabescit more topazon
Et theretes vibrant auro crispose viole.
Stemmate ⟨ceu⟩ lapidum colla, sic florea campi
Resplendunt rutilo: gemme, que questu superbo
Emte manent, pretioso nimis sic munere macte,
Set simili pollent gratis vibranti decore.
Dum mixte florent redolent candentque rubentque,
Quadratum apice mundum milleno venustant.

VII.

INCIPIUNT VERSI EPIMERIDES EGRITUDINIS PROPRIE.

PREFATIO PRECIS.

Tu, Christe domine rerum, quem lingua celebrat
Quemque tremet mundus, quem clare regna preconant,
Cui sol luna dies, famulant cui homnes abissi,
Cui celum tellus maria vel tartara servit,
Angelica cui ⟨ter⟩ turba virtute beata
Laudibus obsequium solbit fulgenti decore,
Quem virtus omnis, concentus laudat et omnis,
Sidera vel quicquid centri convexa tenetur,
Quem lux aura dies recinet vel hestus et ignis,
Flumina nix glacies ventus et hunda resonat,
Omnigena rerum dominum prex digna venerat:
Tu misero clemens metricas resolbe camenas,
Carmine ut pulcro valeat concinere laudes
Et proprias versu clades hic texat amaras,
Quas merito patiens subiectum morte sepulcri
Tu pietate, deus, revocas ad limina vite.

[VI.] *post* 2 *unius versus interstitium C, sed nihil deest* 7 *bilham C, fulgentem C corr. Manitius, selenci C corr. Fl.* 14 *Gemmate lapidum C* 19 *millene venustat C*

[VII.] 5 *ter om. C*

Nunc famulo largum plangendi carmine fletum
Confer et, Christe, nostras dissolbe tenebras
Et luce vigida serbi sic pectora forma,
Ut digne cantum reddat imnifere pulcrum,
Quo deleas, sancte, placide, quas perfide culpas
Traximus herrantes per devia nequa viantes.
Sic ego primorum sectas iterando malorum
Sum nexu iusto vinctus sub clade reorum.
Set misero veniam, tollit cui culpa coronam,
Gratia, Christe, tua tribuat. Quem esca reati
A patribus tensa vinxit, hec fletu resulta:

VIII.

ITEM LAMENTUM METRICUM PROPRIUM.

Albarus, o lector, longo per tempore pangit
Et lingua resonans tecum post fata resurgit.
In auras solutus vel certe pulvere mersus,
Versus in cinerem — metrice set ecce revoat.
Tu, lector, relegens redde nunc premia vocis
Et lacrimas domino fundens hec cantu resulta:
'Cunctipotens genitor, rerum cui gloria cedet
Quemque poli laudant, famulant cui omnes abissi,
Cui sol luna dies tellus et tartara serbent,
Quem dulces volucres laudant cum carmina pipant,
Quem murmur resonat undose margine turgens
Et maris alta procella tonans quem cana celebrat,
Omnigena rerum dominum quem vota preconat:
Albarum solita semper pietate guberna:
Hunc gratia relebet, quem nugis noxia curbat.'
Sic te post fata sanctorum vere serena
Prex merito digna magnorum sorte coronet.
En ego sum, fateor, qui dudum forte vigebam
Vitalem ducens, reddens ex corpore flatum;
Set cinis in cinerem veloci fine recessi
Vermibus pastu cedens vel vento reiectus
In nicilum, credens iterum me posse reverti
Ex nicilo virtute dei, quandoque refingi.
Te, rogo, nunc recole fragili sic sorte revinctum
Et nostri consors anima fugiente dolores
Has humbras locorum quandoque corde fruere.

---

22 *deviam neque *C* 24 *Hunc *C* Nunc *Fl.* 26 *esca] restis *C* 27 *nec *C*
[VIII.] 4 *cinere *C* 13 *dominum] sensu *C*, *tota *C* 22 *rediens *C* 24 *fragilis *C*

[VII.] 17 *sq. Eugen. l. c. p.* 20 *I.* Da pater altitonans undosum fletibus imbrem, | quo valeam lacrimis culparum solvere moles. 22 nequus -a -um *vide e. g. apud Maium spicil. Rom. IX app. p.* 42. 25 *Eugen. Tolet. ib.* Concede veniam, cui tollit culpa coronam.

[VIII.] 20 *Eugen. p.* 20 *II.* veloci fine recedunt.

Nam fui, quod tu vigens odie nunc hore refulgis,
Audacter fragili confidens gestu virenti,
Erecta cerbice, tonans et voce superva,
Usurpans vetita, magno cum crimine vibens;
Set pietate dei numquam per devia tractus
A sancta fidei norma vel mente recessi.
Ipsius fidei merito credo [me] forte beari,
Si pietate tua merear cum fletu iubari.
Nam, quod ego, tu eris post atra funera mortis:
Ergo age, rumpe moras et nostro fine quiesce.

IX.

VERSI IN BIBLIOTECA LEOBEGILDI EIUSDEM ALBARI.

Sunt hic plura sacra, sunt vero docmate clara,
Que deitatis ope fulgent per cardina mundi.
Hic noba cum vetera pariter sunt clare decora:
Aurea dicta dei, summi prudentia patris,
Que totus celebrat quadrato vertice mundus.
Principium libri Genesis primordia pandit
Mundi, qui rerum naturas certe revelat;
Exodus Egypto populum per bracio ducit;
Tertius Leviticus ornat insigne camillas;
Quartus habet Numerus numerorum nomine pollens;
Et legem repetit concludens scemata pentus;
Heros Navegius figurato nomine Ihesus;
Inde liber sequitur Iudicum gesta retexens;
Ruth quoque; quem regum sequitant Samuelque Malacim:
Quattuor pandunt gesta cum ordine regum;
Iungitur his vatum precelsa famina verbi:
Esayas proto revoat consorsque secundus,
Iheremias surgit lacrimose piusque profeta,
Ezeciel tectus capite vel fine seclusus,

33 *me *secl.*
[IX.] 12 figurata *C corr. Fl.* 15 *rerum *C*

[IX.] 1 *[Isidor.] de bibl. v.* 1 *ed. Areval. tom. VII,* 179 Sunt hic plura sacra, sunt hic mundalia plura. || Hic geminae radiant veneranda volumina legis, | condita sunt pariter hic nova cum veteri (vetera *Areval.*). 2 Carden -inis *defenditur c. XI,* 2. 6 *Theodulf. XLI, I,* 3 (*t. I,* 532) Quo loca prima tenet Genesis primordia mundi | . . canens *(deleas comma).* 8 *Theodulf. l. c.* 5 Exodus Aegyptum . . 9 *Theodulf. l. c.* 7 Inde sacerdotum gentem Leviticus ornat. *unde claret Alb.* camillam *sive* camillum *pro sacerdote posuisse, non ut Fl. coll. Theodulf. XVII,* 21 (*p.* 473) *voluit pro capitis tegumento.* 10 habet *cfr. Theodulfi exempl. ad v.* 14 *adn.* 11 *Theodulf. l. c.* 11 *item de Deuteronomio* Post repetit legem. 12 *Theodulf. l. c.* 13 . . . Navegius heros *pro Iosua huius librum significans qui et* liber Iesu Nave. 14 *sq. Theodulf. l. c.* 20 Prime sequensque liber, hinc, Samuhelis, habes. | Tertius et quartus, *(sic interp.)* Malachim quis nomen inhesit, | regum Hebraeorum ex ordine gesta canunt. 17 proto *cfr. Aldh. laud. virg.* 1125 proto tempore. 19 *Theodulf. l. c.* 27 Partibus Ezechihel summis obscurus et imis | hinc est, stirps *etc. (sic interpung.).*

Hose Iohel Amos Abdias naufragus Ionas
Miceasque Naum Ambacuc Soffoniasque,
Aggeus hinc clangit, Zacarias namque resonat,
Malacias finem conpletit termine verbi;
[Esayas vatum primus quam maxime celsus
Uberius retonat Christi misteria clarus;
Hic alter lacrimis sancto sic zelo fidei
Iheremias deflet, aliut quo versu figuret;
Ezeciel nube clusus vel sensu remotus
Non patule parba, proprio set magna revelat;
Hinc Daniel lapidem preconat, qui regna retundit,
Adventum Christi numeris annisque revolbit;
Contigui verbis alii et sensu sonori.]
Iob quoque hinc opere claret et vita coruscat;
Et dulcis dulcem metricat sic dulciter David,
Idida quem signat, Christum; nunc ipse Salomon,
Cuius tres libri mire sic mistice fulgent,
Ut logice, fissice revelent vel ethice causas;
Ordine hic Daniel recto post tramite venit;
Quem bini Dierum Verba biblique corusci
Consequitant; Hesdras pulcre legemque reformans;
Hinc Ester pulcra; post quam Sapientia floret;
Ecclesiasticus laudes patrumque celebrat;
Post quos Tobias; claret Iuditque subinde;
Armifera gemini gesta sic Macabeorum.
Hec sunt antiqua sacra, nunc mistica divi
Dona dei populo prisco sub signo reclusa,
Que reserata tenent magno per lúmine serbi
Exelsi domini, Xristi qui nomine gaudent.
Sanctorum sancta nitar nunc versu retexi,
Que paradisigeno currunt ex gurgite quadro:
Matheus Marcus Lucas quartusque Iohannes,
Qui hominis leonis vitulique aquileque figure

24—32 **secl. versus fort. ab ipso Albaro pro alio exemplo a Theodulfi recensione diverso additos* 26 *sancta *C* 29 *propria *C* 32 *Conticui *C*, *set sensus onori *C* 37 *fistice *C* physice *Fl.* 47 nenent *C corr. Fl.* 50 *Quem *C*

20 *Theodulf. l. c.* 39 Naufragio Ionae . . 21 Ambacuc *sicut* Ambacum *(de quo Iac. Bernays Ges. Abhandl. II,* 291) *frequens est pro* Abacuc *cfr. e. g. poet. Carol. v. II,* 579, 27 *et Delisle de Theodulfi bibliis (bibl. d. l'éc. d. ch. XL) p.* 15 *sq.* 23 termen -inis *vide Diez RG.*[4] *I,* 26 *et Sittl. Woelfflin. arch. II,* 564. 30 *cfr. Theodulf. l. c.* 68. 33 *Theodulf. l. c.* 55 Iob quoque . . 34 *Theodulf. l. c.* 57 *sqq.* Mox dulcis dulcem depromit cantio Christum | psalmorum . . . . | Protinus Ididiae resident tres ordine libri *etc. etc.* 39 *Theodulf. l. c.* 69 Hinc duo ponuntur, quis nomen verba dierum (*i. e.* Paralipomenon) est. 40 *Theodulf. l. c.* 71 Ponitur hinc Hesdras legem templumque reformans. 41 *cfr. Theodulf. l. c.* 75. 42 *Theodulf. l. c.* 77 *sq.* . . Ecclesiasticus .., | quo pia iura sonant lausque beata patrum. 44 *Theodulf. l. c.* 83 Hinc gemini libri ponuntur Machabeorum. 45 *Hoc est vetus testamentum dei gratia proditum ut typicum esset, sed plebi hac vetere forma reconditum, quod tamen Christicolae Christi gratia nunc apertum habent.* 49 *cfr. Aldhelm. laud. virg.* 460. 50 *Theodulf. l. c.* 141 Hic paradisigeno veniens de gurgite potus. 51 *Theodulf. l. c.* 87 *ex Eugen. Tolet. c. LIX ed. Lorenz. p.* 68 Mattheus Marcus Lucas sanctusque Iohannes.

Quadrifido mundo preconant Cristumque deumque —
Mateus hominis facie specieque refulgit
Et fremitum reddet Marcus sic hore leonis,
Lucas ut taurus magno cum murmure bombat
Et pernix aquila scandet super ethera Ioannes:
Est omo nam Cristus natus ex virgine pulcer,
Est vitulus passus sacrata victima patris,
Est leo dum fortis regna frangit[reges]que potentes,
Est aquila celum scandans tronumque tonantis —;
Post quos bis septem Pauli sic bibli coruscant;
Quos iterum sequitant numero catholici septem:
Hic lepide Iacobus resonat Petrusque gemellos,
Tres celsus Ioannes habet, hic pagina Iude;
Hinc Apostolicos Hactus textosque decoros
Qui retonat; merito concludit aetere florens
Vissio Ioannis parva, set densa figuris:
Hic alfa recinens primum signatque supremum
Ω, quem Grece vocat, dominum regemque deumque:
Alfa et ω clare deum hominem unumque serene
Explicans vibum semper ⟨per⟩ secula secli.
Hec sunt sacra dei dona, que flore perenni
Fulgent eterno semper ut lumina celi;
Hec pulcre gemme rutilant plus sole corusce,
Lumine dum mentes renobant vel tetra revincunt;
Hec retinent claves centri vel premia pandunt;
Hec paradisigena recreant florigera prati.
Mistice hic claret, quidquid sub littera pollet;
Istoria simplex comit, quos ethica format;
Hic potum dulcem bibit, qui suavia summit;
Hic cibus satiat corda pastuque refobet.
Hec sunt clara dei, mundi que certe tenebras
Vibranti radio vincunt et furba serenant.
Lex pretiosa nitet miro candore nivescens
Lucidior sole fulgenti murice cicli;
Cuncta simul, quidquid mundana fingitur arte,
Hec superat merito, quo celi culmine venit;
Inlustrat pietate dei, quos fusca tenebrat.

---

60 *reges *secl.* 63 catholi *C corr. Fl.* 65 *celsos *C*, *pagine *C* 66 apostolicus *et* decorus *corr. C* 67 *altere *C* 68 Vistio *C corr. Fl.*, *tensa *C* 72 per *add. Fl.* 73 *donaque *C* 79 *pallet *C* 80 *Storia *C* 83 *qui *C* 84 *fulba *C* 88 *superant *C*

57 *Theodulf. l. c.* 95 It quia verborum pinnis super aethera quartus. 64 *sq. Theodulf. l. c. v.* 127 *sqq.* His sunt catholicae subiunctae ex ordine septem | paginae. | Scilicet una pii Iacobi Petrique gemellae, | sunt tres Iohannis, una ibi, Iuda, tua est. *cfr. Eugen. l. c.* magni doctrina Ioannis | ..... pagina Iudae. 66 *Theodulf. l. c.* 133 Hinc ad apostolicos ..... actus. *Eugen. l. c.* Quos sanctus merito conscripsit nomine Lucas. 68 *Eugenius l. c.* Hos sequitur plana versis et plena figuris | visio Ioannis concludens omnia legis. 73 *cfr. supr. v.* 45. *Eugen. l. c.* Haec sunt sacra dei iuris, haec mystica dei vivi. 85 *Theodulf. l. c.* 151 Lex pretiosa dei . . . 86 *cfr. supra c. IV,* 8.

Hic textus uno milleno tramite pollet,
Explicat et verbis planis magnaque revelat.
Sic placide currit unda, ut alta figuret;
Sic alte resonat, breviter ut parva revisat.
Obscura sapiens centeno sensu requirit,
Aperta simplex ambit mentique recondit.
Hec doctrina potens centri splendore coruscat,
Turgens cui cedit illa que torque tumescit.
Milleno pollet dono, qui zelo fidei
Clara poli releget castus iustusque piusque;
Ad quisquis hirsus, cecus hec mente resolvit,
Milleno tetro fuscatur sensu retortus.
Lex fidei fideli currit semperque fidelis,
Quum perverse viat perversus corde rebellis.
Unio ut conclis claret candetque nibetque,
Sicque deus Cristus pollet sub littera tectus:
Ipse iacintus adest undose nobis aquescens
Obscena tergens renobans albore redemtos,
Igneus hic dominus fulgens carbunculus ardet,
Dum purgat probra flammis et numine vibrat,
Eternoque virore vigens vel certe zmaragdus,
Quem duodenus ordo lapidum per secla decorat.
Quemque quaterque seni seniores flexu venerant
Poplite sic curbo dominumque agnumque deumque.
Hec lex eterna, semper dum secla recurrit,
Naviter sonans nullo sub termino clausa.
Dum sol luce sua celum vel tetra serenat,
Cintia dum noctes comit et tetra refugat,
Stelligera centri varia dum sidera vibrant,
Dum ventus nubes format, dum unda resonat,
Dumque poli porta magna virtute retondat,
Fulmina dum rutilant forti iaculata lacertu,
Dumque viret tellus, floret dum silbis opacis,
Dumosa retinentque feras per lustra reclines,
Dum cervus lebiter saltu vel cornu resultat
Et torbus dente pugnat porcaster obesus
Et reptans fluida percurrit flumina piscis,
Dum volucres pennis saltu per inania tendunt
Et rustro pipant dulces per gutture cantos,
Dum homines vibunt mundo, dum morte recidunt,

---

94 *centena *C* 103 *Quam *C* quum *et* quur *formae apud Hispanos legitimae cfr. Hagen Rh. M. XXXIV*, 501 *Baehrens p. l. m. III*, 208 *ep. ad Gal. ed. Corssen. p.* 12 *atque ita scripsit Theodulfus cfr. bibliothecae codd. poet. Karol. I*, 532 *sqq., eaedem formae restituendae ib. c. LXXV*, 1 *et* 63 *LXXIX*, 7 *p.* 573 *sqq.* 110 *ut certa *C* 112 *venerat *C* 125 *porcus ter *C*

90 *de sententia cfr. Theodulf. l. c.* 163 *sq.* Verborum atque unum non mutans tramite callem | sic plures unus res bene sermo tonat. 100 *gloss. Amplon. ed. Oehler Iahns Jahrb. suppl. XIII*, 337 hirsi] hirsuti. 108 *cfr. Eugen. Tolet. l. c. p.* 40. 111 *Isidor. etym. XVI cap.* 7 genera eius (*sc.* smaragdi) duodecim. 125 *Aldhelm. de VIII vitiis* 334 Dum stratis recubans porcaster pausat obesus. 128 *Aldhelm. laud. virg.* 15 Garrulae quae rostris resonantes cantica pipant.

Dum sequitat corpus umbra, quam membra refingit,
Angeli dum celo clangunt virtusque polorum
Eterna pietate dei pangitque perhennis —:
Lex Xristi vivit semper super ethera felix;
Hec sola verba nescit cum mundo senesci.
Dum resonat sanctis celo post termino vibens,
Corporea moles tavo resoluta ruebit,
Spiritus nam vibit merito super ethera vectus,
Sermones vibi vitali flatu revibunt
Et post ocasum mundi super astra resurgunt:
Sic quidquid divi est numquam per fine putrescit,
Set missus terris semper virtute virescit.
Nunc restat promi, quo sint conscripta iubente
Vel, cuius opere sunt adgregata, videri.
Hec Leobegildi vigor obiter in uno redegit
Septuaginta duos mittens sub bargina biblos;
Qui Getica luce fulgit vel copia fandi,
Germine vel lingua claret per tempore secli.
Post sancta domini iure laudata fidei
Expedit, ut cunctis nostra hec bucina sonet.
Albarus hec metrice longa per secla reboat
Et cinis in cinerem versus — set lingua resonat.
Tu qui legis nostra quoquum⟨que⟩ tempore, lector,
Te recole nobis socium per morte futurum:
Rumpe moras vite, queso, tumbaque retrusus,
Quanta salus nostris maneat, narrare, sub umbras,
Nuntium ut mundi referas, per sedes opacas
Quis bene quis male quis medie gaudetque gemetque,
Quid mundus sceva fallens nunc arte refingit,
Qui maneat vibis herror quantaque rebellis
Hec vera refutans pugna consurgat inhanis,
Qualis honorque cavus regia nunc corda deleret,
Que sint deliciae fluxe liquideque caduce
(Que dum stringuntur digitis, ut limfa refugunt).
Pro nostras noxas lacrimas tu fundere, lector:
Sic culpas proprias careas sub iudice Xristo
Et centri valeas celsum scandere tribunal.
Prestet ille deus, trino qui nomine pollet,
Christicolis nobis requiem per seculis. Amen.

---

133 Xrispti *C* 147 *Germina *C* Gemina *Fl.* 152 quoquum *C corr. Fl.* 162 *delicias *C nam ipsum Albarum acc. pro nom. scripsisse non credo* 165 Xrispto *C*

142 *sqq. Eugen. Tolet. l. c. p.* 69 *(versus de bibliotheca)* Nunc superest fari, quo sint praescripta iubente | vel cuius studio in codice missa simul: | summus et egregius congessit cuncta Ioannes. 145 *Aldhelm. laud. virg.* 1626 Septuaginta duo recludens bargina biblos (*vide Aldh. ed. Giles. p.* 390 *et Buecheler. Rh. M.* 35, 70).

X.

ITEM VERSI IN CRUCIS LAUDE.

E celo domini clara virtute corusca
Crux insigne micat, fulgens super ethera felix.
Hec fortis palma credenti pectore Christum
Teste polo Christi firmat virtute trophea.
Cedat gentilium herrorum perfida secta,
Cedat homnigena monstrorum perfida secta:
Ecce Christi signo centri convexa refulgent.
Non hec humana celesti cardine pinxit,
Set manus etherea mundum virtute regentis.
Aurea namque die forma pulcerrima lune
Inlustrata cruce pollet; quo lumine pleno
Ebreorum populus solite deducere pasca.
Respice, gens misera, signum fulgere redemtis
Et quarta decima farsam sic lumine, Christi
Cintia quo pandat signum, quod fronte coruscat
Resplendens mundo semper fulgore decorum.
Nunc recoles dominum, queso, scandisse tonantem,
Qui quarta decima ligno suspendi salutis
Hoc voluit signo, quem celi sidera mittunt.
Ipsa die celo lune refulgit imago
Pulcrifice radians, quo gens ⟨est⟩ perfida gaudens:
Ergo pestiferos damnat hec forma decora.
Aspice, queso, miser, quisquis es mente maligna,
Et sursum hoculos ad celi sidera tolle:
Conspice: sidereo quur bracia lumine pollent?:
Quadrifido mundo quoniam hec homnia mundat,
Que celi tellus retinet sub iure creata;
Cuncta crucis signo mundantur: perfide, crede.
Infelix herror, quas nunc tu fingere sannas
Hic vales argute nobis vel murmura? — pande.
Quur tivi contrarium signum nunc luna vigurat?
Quur dispecta diu celo refulget imago?
Quur frontis nostre victrix sic aurea palma,
Crux adversa tivi celi convexa meretur?
Hec nostra fidei resplendit luce corona,
Quum Christi famuli semper de celo triumfant.
Set celo pollet, quam tu persequeris armis.
Impie crudelis, hoculis vel sidere crede:
Ecce deus noster Christus ex ethere floret,
Ecce venerandeque crucis super ethera signum
Astrifere lucens damnat nunc orbe profanos.

[X.] 1 *domine *C* 5 *Cedant *C* 17 *mansisse *C* 21 *est *om. C* 26 *Quadrifide mundum *C* *cfr. IX*, 53 33 uictris *C corr. Fl.* 36 *Quam *C* Qua *de Baudissin l. c. p.* 83. *adn.* 1, triumphat *C* *corr. idem ib.* 38 hoculis hoculis *C corr. alt. m.*

[X.] 28 *sq. Eugen. Tolet. l. c.* Nil valet, infelix, nasutas fingere sannas. || Invide iam cessa, iam cessa perfide, cessa. 34 *Eugen. Dracont. Hex. p.* 36 Altera quippe dies caeli convexa meretur.

Perfida discedat turba fuscata dolore;
Agmina exultet Christi florenti decore
Et sinagoga suo recedat nunc furba colore;
Eclesia iubilet clarenti fulba cruore,
Quam Christus pulcro semper sivi iungit amore.

XI.
VERSI HEROYCI IN LAUDEM BEATI IHERONIMI.

Iheronimus fulget celsa virtute revoans
Et celeber libris floret per cardina mundi.
Hic paradisigene domini sic florea pinxit,
Ut rutilo celebri toto per cardine vibret.
Hic sancta domini rerum virtute tonantis
Ethereo dulci prestrinxit carmina legis.
Hic noba cum vetera profusit pectore mella,
Quae gemina luce resplendit mistice sacra.
Conscripsit suavi magno confecta vigore
Aurea dicta dei centrum vel cuncta regentis:
Ostendit, magno possit quid munere lingue.
Dum prepotens calamo diverso sole refulsit
Attica, Hebrea fulgenter orsu refundens
Adque Latine dedit, quidquid Hebrayce constat,
Nec non et Argolicos reseravit ordine fontes,
Facunde meatim currunt per margine rivi.
Hec propter domini semper veneranda per evo
Doctorem resonant Christi sub limine servi:
Fulgor eclesie, doctrine sancte lucerna,
Celestis cultor multo prepinguis olivi,
Effugans hereses, vasto qui nomine pestis
Depopulant Christi famulos sub dente latrantes.
Hic dulcis vario resplendit tramite vates
Et truncat falce frondes hirsute comantes;
Egregios imbres signat aurora rubescens;
Hic vitreus amnis, placidus, fulgore decorus;
Est rapidus torrens illis, quos conplicat herror.
Quicquid Iheronimi non sunt respersa sapore,
Improbata manent, nutant et fiacide marcent;
Pendent oracula, que non sunt igne recocta
Flammiferi sancti, rutilat qui luce fidei.
Clarior in cunctis pollet quo gratia lingue,
Ornatur potius milleno docmate florens.
Dum sol, luna polo serenant sub sole tenebras,

[XI.] 5 *tenentis *C* *post* 7 *duo vv. vacui quibus* E *et* H *praescriptae, interscriptum* noli duuitare *C* 31 rutilant *C corr. Fl.*

42 *sqq. Sedul. c. p. V,* 357 Discedat synagoga suo fuscata colore, | ecclesiam Christus pulchro sibi iunxit amore.

Dum stelle rutilo currunt lustrare latebras,
Invisa hominum volbent vel certe revelant
Ac cursu vario teretes vibrare retractant,
Dum ventus nubes glomerat, dum estus adurit,
Dum bruma gelide cana super herba virescit,
Dum fulgit ignis, fluyde dum limpha recurrit,
Dum maris hunda sonat, turgens dum spuma liquescit,
Dum dumosa feras retinent, dum aecora piscis,
Dum cervus velox palmato cornu resultat
Dumque aper torvus lunato dente repugnat,
Dum volucres tremulas voces ex gutture pipant,
Dum homines pereunt mundo vel certe renascunt,
Dum sequitat humbra corpus, †quem limina formant —:
Hunc fidei servi semper sub axe beabunt;
Cuius nunc lingua fulgit per tempora secli,
Dum noba et vetera proprio formata per hore
Eclesia retinet cantans sine fine dierum.
Ut mici, magne, rogo, doctor, in sede superna
Prex tua digna locum tribuat post vita quietum.

XII.

I.

YMNUS IN DIEM SANCTI EULOGII PRESBITERI. DIE V. ID. MARTIAS.

Almi nunc revehit festa polifera
Nostri Eulogii martiris incliti:
Solvamus domino carmina principi
Concentu fidei celico munere.

Laudamus varia musico carmine,
Que non sunt domini predita lumine:
Hic nunc sat melius res pia panditur,
Quum Christum resonant cordule metrice.

---

36 *somnium *C* 37 *turres librare *C* 42 ferre *C corr. Manitius* 47 *cfr. p.* 136 *v.* 130 *Albarum sequuntur fol. 9 s. X.*: Splenduit lucerna tua, domine. *et Leonini de satana s. XII. additi:*

Lucifer (*ego; .* ociter *Ewald ex C*) insignis lucisque per omnia signis
Optima factura, domini decus atque figura
Deliciis plena paradysi luxque serena
Fulgens fulgore, nimio perfecta decore:
Forma vicisti superos, super astra fuisti
Cunctis splendorem mirantibus atque decorem;
Effigies prima cecidisti lapsus ad ima.
Te deiecisti, quia te super astra tulisti:
Gratia fulgoris fuit intima causa doloris.

[XII.] [I.] mrcs. *T* Hymnus i. d. s. E. presbyteri die quinto Idus Martii *et in scholiis: 'Titulos qui fuerant in veteribus codicibus conservavimus' Morales* **parastichis est* ALBARUS TE ROGAT SALVES

[XI.] 43 *Eugen. Dracont. Hexaem. p.* 39 Cervus in arva fugax palmatis cornibus errat. 44 *Eugen. ib.* Spumat aper, mortes lunato dente minatur | et latus obliquans meditatur proelia torvus.

Bellator domini verbo potentior,
Doctrina pariter, fine celebrior,
Christi sic iugiter gloria cingitur,
Ut florens vigeat hic et in ethere.

At nunc hic animus magna revolvere
Splendenter anelat balsama fulgide
Gliscens egregia clangere livere,
Ut dulcis revoet musica flammine.

Rector dum populos docte reficeret,
Gipsum qum doceret fracmine perdere,
Turbam multiplici germine lauream
Celesti rutilo agmine provehit.

Ustus sic domini zelo fidelium
Convertens fluidos more revellium,
Adsciscens opibus, munere novili,
Abstractos baratro sublimat aethere.

Sed iam cum meritis digna rependere
Christus cunctipotens recte, Leocritiam,
Vellet, mox lepidam virginem extulit,
Quae clarum famulum axe reconderet.

Tunc celsus solitum rite solacium
Prestans et placidum comte remedium,
Cultum mox fidei dogmate ingerit,
Adversans, populis, iusta revellio.

Extemplo preconans predo peranxius
Conturbat patriam: iussuve plevium
Per cunctas plateas longe revolvitur,
Quod princeps ravidus excitus imperat.

Regnantem tumidum respuit inclita
Celestis famuli mens deo predita;
Tandem precipiti ductu notavili
Conprensus sonuit mox quoque libere

Obtans: 'O proceres, temnite impium,
Christum aethereum credite principem;
Vatem inpudicum recte repellite,
Qui tantos populos igni recondidit'.

Gaudens haec resonat culmine navitér
Nec non et alia questave fortia;
Hunc mandant gladio vertice tundere,
Ne sancta valeat turba recipere.

9—12 *post* 13—16 *editores Moralesium secuti transposuerunt, cum parastichis incomperta iaceret* 11 *igitur *T* 12 hic et] licet *Moral.* 13 At *Schott. et Lorenzana ex T*] Te *Ewald. ex T* 18 qùm *T* *Moral. in schol.: 'In antiquis libris ad hunc modum legebatur:* Gypsam quum d. fragmine prodere' 36 exscitus *T* 40 *conprehensus *T* moxque livere *corr. T*

Adest intrepidus velliger annuens,
Tundunt quem alapis, sed rogat orridum
Extendens faciem verbere alteram,
Alternans gemine palma relidere.

Tunc signo fidei pectora servulus
Armat deifice aurea purpure,
Colla lactinea sanguine predita
Incurbat domino, instat et obsecrat.

Sic ictu gladii sidere conditur,
Sic verbo fidei clare revolvitur:
Adesto miseris, quesumus affatim,
Perplexos precibus solvere concite.

Adsiste gemitis, poscimus, excitis,
Inflectens famulis nunc quoque numinis
Auditum placidum, quove serenius
Mentem tu precibus, sancte, revociles.

⟨L . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .⟩

Ut rector deleat regna ferocia,
Conculcet validus dogmata impia,
Adspiret fidei compte refulsio,
Qua caeli reseret culmina fulgida;

Et torquens heresis longe resileat,
Ut cultus domini altius emicet,
Rectores patrie flore redoleant,
Adversos cuneos libere ventilent.

Sit vita populis, sit quoque provida
Sanctis religio per iuge tempora,
Sit trino domino gloria sedula,
Aeterno dominans inclite secula. Amen.

II.

EPITAPHIUM SANCTI EULOGII.

Hic recubat lepidus martir doctorque refulgens
Eulogius lumen, dulce per secula nomen.
Qui zelo fidei rutilans virtute priorum
Accensit animos magno fulgore virorum.
Hic macte celeber libris, preconatus et ymnis,
Et vita vigidus et fine sole coruscus.

---

61 exscitis *T* 64 *ut *T* *65—68 *stropham a* L *incipientem om. T* 73 *Ut *T*
[II.] EPITAGIUM *eras.* G *T* 2 Aeulogius *T* 5 mate *corr. T*

Qui temnens fluida conscendit lucida caeli
Nec morte periit, sed vibit sede perhenni.
Credite, queso, mihi: vibit, per secula vibit,
Quisquis celesti letatur gloria regni.

III.

ORATIO ALBARI.

Nunc te rogo, sancte, recolas ut nomen amici,
Quem tua hic tenuit dulcis amicitia fixum,
Albari extremi, qui multa clade reati
Infectus vitiis pergit per devia mundi.
Prex tua hunc reveat lapsum ad pascua vite,
Ut solite sancto digno nectatur amore,
Quo tibi coniunctus mansit per secula carus:
Presta, deus deorum, regnans per seculis. Amen.

---

10 **an* Civis celestis ?

[III.] 4 pergit pergit *T ut testatur Huebner qui* II *et* III *edidit IHCh. p.* 120 *ad n.* 218.

CIPRIANI ET SAMSONIS CARMINA.

Cyprianum archipresbyterum Cordubensem certum hoc constat Samsoni abbati superstitem fuisse. De Samsone autem quaestio oritur perobscura[1]. *De quo quae inveniuntur, si coniecturis abstinebimus, hoc modo ordinanda sunt:*

p. C. 858 cuidam loco vocabulo Penna mellari *prope Cordubam ex presbytero abbas praeficitur*[2],

p. C. 862 in concilio Cordubensi credulitate *i. e. confessione se defendit quam postea Apologetico inseruit quo vehementissime in Hostegesim anthropomorphitarum novae sectae caput invehitur*[3],

era 928 (i. e. p. C. 890) mortuus esse perhibetur in Cypriani epitaphio Azagrae codice teste;

era 963 (p. C. 925) campanam aheneam S. Sabastiano eum dedicasse titulus nunc demum ab Huebnero recte lectus[4],

era 968 (p. C. 930) Athanagildum mortuum esse cuius epitaphium condidit idem Azagrae codex refert.

Ac ne quis forte putet duos distinguendos esse Samsones: poetam et qui Apologeticum conposuit, Florezius iam protulit Athanagildum abbatem eundem videri atque eiusdem nominis abbatem apud Albarum ep. XIII. (ed. Fl. Esp. sagr. XI, 170) laudatum et Offilonem alio epitaphio a Samsone celebratum cum qui anni 862. diplomate abbatiae cuidam praeponitur[5]. *Unum igitur eundemque scriptorem et poetam ac pro era DCCCCLXVIII cum Gometio Bravo scribendum DCCCCXVIII. Quos securus sequor; quamvis quid campanae titulo faciendum sit temere adfirmare non ausim*[6].

De Carminum codice conferatur p. 125. Ea omnia unus et primus Florezius edidit Matriti 1753 in España sagrada XI, 524 sqq., unde Cypriani Mignius in patrol. lat. CXXI, 567 transtulit. Omisi, ut par erat, Cypriani hymnos a Iohanne Tamaio aperte subpositos[7], *de quibus vide Nicol. Antonium bibliothec. Hispan. vet. lib. VI c. VII ed. Rom. 1696 tom. I pag. 344 sqq..*

---

1) *Cfr. Florez. Espań. sagr. XI, 300 sqq. Helfferich d. Westgoth. Arianismus Berl. 1860 127 sqq. Ewald N. A. VI, 584 sq..* 2) *Aimoin. translat. Georgii etc. ed. Mabilio A. SS. saec. IV, 2.* 3) *ed. Florez. l. c.* 4) *Huebner I H Ch. 221 p. 73.* 5) *cfr. Morales coron. lib. XIV cap. XXXII (ed. Matrit. 1791 tom. VII, 405 sq.).* 6) *Legitur ille quidem:* Offert hoc munus Samson abbatis in donum sci Sabastiani martiris Chr(is)t(i) era DCCCCLXIII; *sed neque* abbatis *pro nominat. esse neque Christus ita breviari potest.* 7) *Priorem in S. Leocadiam hymnum genuinum esse hymnologi Hispani certatim adfirmant, Cypriani esse neque per se neque Tamaiis credi potest (cfr. Tamai martyrol. X, 450).*

I.

INCIPIUNT EPIGRAMATA DOMINI CIPRIANI CORDOBENSIS SEDIS ARCHIPRESBITERI.

⟨VERSI⟩ AD PETITIONEM ADULFI EDITI.

Hoc opus illustris comitis clarescit Adulfi,
Qui sumptis propriis librorum teca novavit,
Qua novi habentur veterisque in ordine libri
Testamenti veri inianti ad æthera victum:
Pergere mansurum parat et tollere clamat.
Hoc cibo quis fuerit pastus, haud adgrabat extas
Nec ventrem farcit, sed crebre spiritum alit.
Hic fons prespicuis paradisi surgit a limphis;
Hic dulcis austus effluit in pectoris antro;
Hic largos latices per mundi competa mittit;
Hæc fons, que renidet argenti claro metallo
Et intus cluit spiritalis gratie dono.
Obtulit nempe deo predictus comes Adulfus
Memoriam penes Aciscli martiris almi,
Cordoba sacrata conditus qua sistit in aula
Vernulus patronus iam fassus testis alumnus,
Ut tantillo tantus dignetur inpendere martir,
Obtineat meritis, Cristus ut scelera sua
Tergat atque animam carnali claustra relicta
Celicolis glomeret felici in sede beata.
Oblatis bonis fueris dum lector adeptus,
Adsis pro me deo, adclinis posco Adulfus.
Suscipe nunc, nate Fredenande kare, tuendum
Tecam, quam ipse tuus comptam patrabit Adulfus,
Ut legens relegas et puro pectore serves.
Si illius preceptis libens consenseris ipse,
Securus ad aulam poteris conscendere celi.

II.

ITEM EIUSDEM AD PETITIONEM ZOYLI FILII SUI IN FINEM BIBLIOTECE, QUAM SCRIPSERAT SATURNINO ARCHIDIACONO.

Laudum vota tibi [Zoylus] gratus persolvere nitor
Christo redemtori, auctori et domino meo:
Cuius fultus ope tantum explevi laborem.

[I.] arcprsbtri *T*, *uersi *om. T* 1 *illustri *T* 3 veteresque *T corr. Lorenzana pp. Tol. II*, 603 5 adgrabat] ba *in loc. ras* t *superscr. T* 12 gratię *T* 20 **an* beatis ?

[II.] 1 Zoylus *secl. Areval. Isidor. II*, 6 2 **an* Christe ?

[I.] 1 *de Adulfo comite Cordubae vide de Baudissin p.* 13 *et* 177 *adn.* 2 librorum teca *i. q.* bibliotheca, biblia *cfr. Wattenbach. Schriftwesen i. MA.*[2] *p.* 127, *cfr. epitaph. ap. Baedam hist. Angl. eccl. V*, 19 *ed. Holder. p.* 267 Scribi euangelii praecepit in ordine libros | ac thecam e rutilo his condignam condidit auro. 15 *sq. ubi requiescit Acisclus ecclesiae ex famulo* (vernulus *IHCh.* 15) *patronus, ex discipulo confessor* (*hoc enim mihi videtur* fassus testis).

Dum finem adieris istius tecæ legendo,
Pro me deum preceris, lector, intente deposco:
Sic valeas Cristo post evum frui securus.

III.

Terge luctum merens: prata virentia vides,
Alesque pipant diverso modulamine voces
Et licor meri currat in ore tementi.

IV.

EIUSDEM CIPRIANI CUIUS SUPRA.

Renidet in manu flabellum comitis almi —
Litteris conscriptum aureis, ut competit illi,
Nomine ⟨qui⟩ Guifredus ex sacro gurgite dictus —
Ut pellat æstum aura suadente flabello.
Trade libens, comes gloriose, coniugi illud,
Simili ut modo incumbentem disipet æstum
Guisinde dicte et tuo in latere nexe.

V.

ITEM ALII EIUSDEM IN FLABELLO.

Guisindis dextram illustris adorna, flabelle:
Prebe licet falsos ventos, ut temperet æstum,
Tempore æstivo defluxa membra refobens,
Pansus et officium implens super omnia tuum.

VI.

EPITAPHYUM QUOD ISDEM IN SEPULCRO DOMINI SAMSONIS EDIDIT METRO EROYCO.

Quis quantusve fuit Samson clarissimus abba,
Cuius in urna manent hac sacra membra in aula,
Personat Esperia illius famine fota.
Flecte deum precibus, lector, nunc flecte, peroro,
Æthera ut culpis valeat conscendere tersis.
Discessit longe notus plenusque dierum.
[Sextilis namque mensis die vicesima prima.]
Sextilis namque mensis primo et vicesimo sole
Era DCCCCXXVIII.

[III.] *fragmentum est* 3 *ad* tementi *in marg.* vini *T* tementum *pro* temeti *forma ut infra p.* 148 *III*, 4,3
[IV.] 3 *nomine quifredus *T* n. Guifredus *Fl.*
[V.] 4 *in per *T*
[VI.] *de huius carminis editionibus peculiaribus cfr. IHCh. n.* 219 *Duemmler. N. A. IV*, 545 *Ewald. ib. VI*, 584 1 quantusne *T corr. Morales* 5 terris *T corr. Morales* 6 'notus, *quod in cod. est, adnotat Goicoechoa' Huebneri amicus 'factum esse a scriptore codicis ex eo quod antea fuerat* natus *idque sibi videri reponendum' IHCh. p.* 120 *ad n.* 219 7 *interpolatus est

VII.

ITEM EPITAPHYUM AB EODEM EDITUM.

Nobilis hic extat Hermildis in busto locata,
Quæ Cristo famulans tempnendo seculi pompam
Hinc iubilans plaudensque eroum conscendit in aulam.

VIII.

ITEM SUPER TUMULUM SANCTI IOHANNIS CONFESSORIS.

Carceres et dira Iohannes ferrea vincla
Cristi amore tulit : hac functus in aula quiescit.

VIIII.

ITEM EPITAPHIUM A SAMSONE ABBATE EDITUM SUPER SEPULCRUM OFFILONIS ABBATIS.

Offilo hic tenui versus in pulvere dormit,
Fallentem mundum olim qui mente subegit,
Fraglantes dapes tempsit et pocula fulva
Infestum virgo mallens vitare celidrum:
Laudetur talis multorum lingua sacerdos,
Obtetur illi et caeli portio dari.

X.

EIUSDEM SUPER TUMULUM ATANAGILDI ABATIS.

Occulit abbatis magni haec urna fabilas,
Quem Athana— prisca vocitabant secula —gildum.
Hunc, lector, rogito, domino comenda rogando.
Ablatus est subito, scripta in marmore era
DCCCCXVIII.

[VIII.] *praeter Florezium inter alios Huebner quoque ed. IHCh. n.* 217 2 hac] h *eras. T*

[VIIII.] **acrostichon non perspexit Fl.* 3 dempsit *T corr. Fl.* 4 *ad* celidrum *in marg.* cuiusdam generis serpentis *T*

[X.] 1 *ad* urna *in marg.* sepultura *T* 5 dcccLXVIII *T corr. Bravo cfr. praef. p.* 143

[VIII.] *De Iohanne martyre Cordubensi cfr. Morales. coron. XIV c. VI p.* 280 *sqq. (ed. Matr. 1791 tom. VII,* 281) *et Florez. Esp. sagr. X,* 362 *sqq.*

[X.] *Constant haec epitaphia ex formulis tunc temporis in Hispania usitatis, cfr. IHCh. n.* 223:

Clari tecta antestis Martini quoque membra
Hic bustorum sacra more continet *(ego;* pontif(icis) et *edd.)* aula.
Qui Christo famulans petiit vitam adolescens
Monasticam pollensque regulariter egit.
Astigitanam episcopii rexit in arce
Eclesiam; ad eroas latus (e)st ilico nempe:
Sculpta in mar(more era nobies centesima)
Sexages(ima nona Maiarum III) idus. (*i. e. p. Chr.* 931)
Lector, commenda sacra (domino rogo *ego;* et dominum *edd.*) pie orando.

XI.

ITEM CUIUS SUPRA ⟨SUPER⟩ SEPULCRUM VALENTINIANI PRESBITERI.

Tecta Valentiniani membra haec continet aula:
Qui Cristo famulans ornatus veste sacrata
Ad eroas latus est, sculpta in marmore era.

APPENDIX AD CIPRIANUM ET SAMSONEM.

Hispanorum poematibus ea sex adcedant, quae ex codice Toletano (cfr. supra p. 125 sq.) Ewaldus descripsit, primum Vincenti cuiusdam, tertium Recceswindi ut secundum quoque si recte conicio, quartum epitaphium anonymon quod ut legi posset sine ulla reverentia attrectavi, duo denique exorcismi a monacho quodam sanctimonialibus et fratribus scripti alter rhythmicus, cuius primi VI versus inter Eugeni Toletani opera p. p. Tolet. I, 58 III ex eiusdem Toletani codicis Eugeni carminum collectione (N. A. VI, 317) a Lorenzana editi erant, alter elegius, cuius initium item apud Lorenzanam l. c. p. 32 XXIX, versus intercalaris ibid. p. 58 IV et apud Huebnerum IHCh. 268 p. 86 titulo Asturico s. XI. exhibetur.

I.

Deus, misereri mei, — deus, miserere mei,
Miserere, miserere, — parce in peccatis meis.

Alme rector et redemtor, — cernuo vultu precamur,
Qui venisti liberare — sauciumque telis gravem.

Tu me libera de penis, — pone finem malis meis,
Ablue, que tanta gessi, — nec sinas baratro mergi.

Dignum quid minime egi, — sed semper in preceps rui,
Mente, corpore deliqui, — desiderans malum fui.

Peccatorum mole pressus, — erigi post lapsum mallens,
Manu porrige iacente — et a sorde terge clemens.

Inmensum malum infectus, — nequiter, funeste vibens,
⟨Sum⟩ lacrimans eiulanter — cum merore obsecranti.

Solve vinculum delicti, — excipe precem poscenti,
Confitenti iam reatu — depende, quod supplicatur.

Edidi os versus idem — tristis et amarus quidem,
Zabulo diu consensi — Vincentius ego ipse.

Miscerique sanctis tuis — non confido bonis meis,
Nactus veniam conmissi: — propitius esto mici.

Gloria tibi, creator, — gloria, inmense nate:
Vaiulans crucem supplicii — omnem mundum redemisti.

[XI.] *titulum suppl. Fl.* 3 eros *T corr. Fl.*

‖ [I.] Versus Vincentii *manus recens superscr.* 4 **an* lave ? 7 rui *detrita* i *T* 8 *Mente] mente ///// et *T* 11 *infectas *T* 12 **pro* Sum *locus vacuus in T* 18 *ad* Nactus *in marg.* aceptus *T* *conmisi *T* 19 *post* nate *rasur. T*

II.

VERSI DE FRATRIS DOLOSIS ADVERSUS PROXIMUM.

O vos amici corde subtilissimi,
zelo cecati, veneno obnubili,
studentes vabra adversus sodalium,
mores soliti clanculo descerpere
in fota

III.

VERSI PREPARATORIS RECESVINDI ABBATI IN FESTIVITATE SANCTI IACOBI APOSTOLI CHRISTI.

1 Resultet toga, omnis hunum conclamet,
vigilem sanctum altitronum invocet:
conexam simul caritatem afluat
ethere nobis, cum sanctis adsociet,
iudicii diem cum electis misceat.

2 Ego infelix mente, dum abdiudicor
factis dictisque, tremebundus orreo.
Quid faciebo, quum districtus aderit,
cetibus septus angelorum cernitur,
examen lance equum omnis sisterit?

3 O vos amici, fili hac discipuli,
hic adgregati rogatores estote;
sordes lavesque oratu diluite;
huc sanctum dei Iacobum adsciscite:
dependat mea vota cum suspiriis.

4 Celebrem diem anni meta volvitur:
sic iucundemur modeste existere.
tementum flabum cratera infunditur,
quo quisque libans grate porrigentibus
ilaritate prestat sitientibus.

5 Discurrat donum paterae sollemniter,
mensas reviset, convibantes supplicet;
sic saginati, propinati gaudeant:
nullus recuset farcinatum sumere,
calicem vini gutta dum evibitur.

6 Hoc votum rite excolere obsecro,
quum claustra carnis anima eflaverit;
meisque natis votibaque exigite:
imnis Davidis avide precinniant,
veniam nanctus commissis veteribus.

[II.] 4 *illici *T* *post* In fota *reliqua pars paginae desecta periit*
[III.] **an* ABTATI ? 2,1 *adiudicor *T* 3,2 adgregam *T corr. G. Meyer* 3 *orta *T* 4 *hunc *T* 4,3 *trementum *T cfr. supra p.* 145 *III*, 3 5,1 *patrator sollemne *T* 2 *recuset *T* 3 *saginam *T*

7 Sic meditantes migraturi seculo
apostolorum imitantes monita
pacem sequentes corde puro exsequi,
veniam dari invicem alacriter,
finctis loquellis sordi⟨da⟩ depellere.

8 Capite unco defixoque poplite
grates rependo devotorum agmine,
qui properanter viscere miserrimo
anelo fessus: et mortis indicium
octies dena vitaque protenditur.

9 Gloria patri, summo atque filio,
cum quibus, sancto trino, extat, spiritu,
prestantes digna servi beneficia,
in laudi Christi, cuius hec sunt omnia,
daturi regnum post finita tempora. Amen.

IV.

Secla Dei—, nate, fruaris consortio —Serbus:
Hic nomine tuo misto dinosceris esse:
Te quoque vivido docili ⟨i⟩s corde amatur.
Semper clueris, si semper Christumque vereris.
Sacro tuo posco obtavili⟨a⟩ esse orata,
Ut valeam tergi a nugis, que properiis egi.

V.

1 Inclite parentis alme Christe pignus unicus,
Membra, que labore fessa nunc repono lectulo,
Cerne mitis ac benignus atque clementissimus.

2 Tolle monstra, stringe fibras et soporem tempera,
Inprova ne, dum quiete pregravantur viscera,
Demonum fraude maligna sentiant piacula.

3 Celsa prorsus ingens ori fata laudum cantica
Extat mens celitus almi animo ferbentior:
Ingerat premium vite tempus noctis valide,

4 Ut per hoc noctis errorem devincam viriliter,
Expugnato ceruleo spiritu nequissimo
Miscar tuis cum amicis supernorum cibibus.

5 Indito crucis vexilo tue fortitudinis
Presigna tum cor et corpus aeternis oraculis,
Clipeo fideli gliscens inesse sub tegmine.

7,5 *corde *T* 8,2 *agmina *T* 3 *properantes *T* 9,2 qubus *T* 4 Christi cuius *G. Meyer* christiculus *T*

[IV.] 2 *nomen est Serrusdei, sed dei ἀπὸ κοινοῦ* 3 *docilis *T* 4 *Sepe diu eris *T* *sepe a Christo quereris *T* 5 *obtavili *T* 6 *proprus *C*

[V.] 3,1 *rata *T* 4,1 *an* (h)orrorem ?

Increpet in te redemtor mille formis demonem,
Ut discedas nunc a nobis; ipse tibi imperet,
Procul ut effugiaris ab istis Christicolis.

Meminere enim debes penam tibi deditam :
Intuitus membra Christi time, fugam arripe;
Sitque nobis ipse Christus prestus ad custodia.

Confusus procul a nostro recedas cenobio,
Intuere nos munitos crucis signum valide,
Fuge prorsus, fuge, demon, esto tuis particeps,

Usque diem illum magnum verique iudicii:
Tunc sanctos, quos tu temtasti, coniungentur angelis,
Eris quoque tu damnatus in aeterno varatro.

Gloria carmen resonat patri atque filio,
Spiritu, quo semper extat coniuncta equalitas,
Qui cum deo patre ⟨conpar⟩ perfectaque trinitas.

VI.

Imperat omnipotens: procul, o procul effuge, demon,
Ne fraude nostrum possis adire torum,
Ne somnium turbes nec mortis vincla ministres,
Ne fallax animam sordides ipse meam.
Crucis alme fero signum: fuge, demon.

Hic pater et verbum vel sanctus spiritus adsit,
Unus ubique deus celsus et omnipotens,
Lubricus inc anguis fugiat in Tartara preceps,
Torum ne noceat rite dicate deo.
Crucis alme ⟨fero signum: fuge, demon⟩.

Sit celle dominus sanctus, sit mente [pie] benignus,
Ut placeat Christo, fulgeat ⟨ut⟩ merito.
Exorcidio vos, omnes demonum fantasma,
Vos, omnes angeli iniqui, fugite abhinc.
Crucis alme fero ⟨signum : fuge demon⟩.

6,1 *demonum *T* 9,3 *vatuo *T* 10,3 *compar *om. T*

[VI.] 3 somnos *[Eugenius] teste Lorenzana* 4 fallas animum sordibus ipse meum *[Eugen.] teste Lorenz.* 8 *incammis *T* 10 *et* 15 *supplevi* 11 *pie *secl.* 12 *ut *om. T* *post* 15 *sequitur* Quam telluris spatia porrigantur, date deo // omnipotenti honorem. Per hoc signum sanctum crucis tropeum magnum et venerabilem, per quem vos iussit expelli. Crucis alme. Per diem salbasti nos, domine, in nocte custodi nos, Iesu Christe *T*

SEDULII SCOTTI CARMINA.

Sedvli vitam quo minus enarrarem ad tempus impeditus codices hic describere satis putavi quibus facultas nobis datur ad versus eius cognoscendos et edendos.

I. Liber qui est de rectoribus Christianis et convenientibus regulis quibus est res publica rite gubernanda tribus codicibus posteritati traditus est quos Duemmler N. A. III, 188 enumeravit, carmina tamen quibus quae quoque capite breviter stilo prosali dicta sunt aliqua versuum dulcedine concluduntur *praeter reg. bibl. Berolinens. (B) s. XII. cod. theol. lat. 368 in quo primum huic editioni a Gulielmo Wattenbach comparatum exstat f. 77' unus omnia exhibet Palatinus 591 chart. s. XV. (P). Continentur autem eo 1) canonum collectio quales occurrunt in Reifferscheidi et Maasseni indicibus fol. 1* INCIPIVNT, ECCLESIASTICE, REGVLE Sanctorum apostolorum prolate per cletem *(leg.* Clementem*) — f. 53' canones concilii Carthaginiensis f. 54* Si quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus — innoxium occidunt quem huitisga ligna *(sic)* morditum vocant[1]. *2)* libellus cure pastoralis *i. e. de dignitate sacerdotali ed. Ben. app. p. 537* beati Ambrosii *f. 55—61 3)* Augustinus de pastoribus *et* eiusdem de ouibus *i. e. sermo 46 sq. f. 62—99* Explicit liber s. Augustini de ouibus scriptus et correctus de exemplari Hirsaugiensi *4) Sedulius quem Augustus Mau et ego contulimus, fol. 99 sine titulo* INCIPIT OPERIS PREFACIO SVBSEQVENTIS Omne ministerium *etc. — f. 130* Explicit sedulius de | regimine principum | · 1472 · | *5) Bonifaci aenigmata cfr. poet. Karol. I, 3 et N. A. IV, 99 f. 131—137' (in fine Aldhelmi versus iidem positi sunt qui in C poet. Karol. l. c. p. 15) 6) epigrammata Christiana ex lapidibus conlecta* Suscipe terra tuo *v. de Rossi ap. Leonem ed. Fort. p. XXVI 3* Pontificalis apex *Gruter p. 1164, 6* Lux archana dei *de Rossi l. c. 1* Lumine sed magno *de Rossi 2* Ingrederis quisquis *ed. Mai. spicil. Rom. VIII, 69, 1* quamvis clara fides *Mai. script. vet. V, 105, 4* In arca supra corpus s. Petri *Mai spicil. l. c. 2* Iusticie fides *Mai. script. vet. l. c. 105, 3* Scande cantantes *(inedituin?)*[2] In fronte foras in ecclesia S. Petri *Mai. spicil. l. c. 3* Credite victuras *de Rossi 7* Qui regni claves *Mai script. vet. l. c. 106, 1. 7) Aldhelmi*

---

1) *fol. 8' post concili Nicaeni capitula scriba loquitur:*

Sicut naviganti dulcis est portus,
Ita scribenti novissimus versus.
Sospes semper ave (seu) sine fine vale.
Ubicumque manes, sit tecum gracia Christi.
In omnibus rebus semper modus optimus erit.

2) In gradu sancti Petri ubi legunt:

Scand(it)e cantantes domino dominumque legentes: [ex alto]
Ex alto populis verba superna sonent.

aenigmata prologo praemisso 139'—141'. Ex codice Palatino Sedulium primus edidit Angelus Maius Spicil. Rom. VIII, 1—69 secundum quem exprimendum curavit Migne patrol. CIII. Prioris editionis nec Maius neque ego diligenter explorantes ullum exemplum reperire potuimus, ut Fabricius Schoettgeniusve errore lapsi esse videantur, qui tradunt 'Sedulium de rectoribus Christianis et convenientibus regulis, quibus est respublica rite gubernanda Lipsiae 1619. 8' prodiisse.

II. Inter codices a Nicolao Cusano xenodochio 'S. Nicolai prope Cusam in opposito Orsicastelli in ripa Mosellae sito' donatos quattuor equidem novi saeculo XII. eodem loco ni fallor ab iisdem scribis exaratos codicem nunc Bruxellensem 3819—20 Bruxellensem 11196—97 Bruxellensem 10615—729 cod. etiamnunc Cusanum C. 14 (de quo Ios. Klein ueber eine hs. des Nicol. v. Cues Berl. 1866 p. 6 et Duemmler. Anselm der Peripatetiker Halle 1872 p. 3 sq.). Neque tamen unde provenerint ipse scio, coniectura Kleini est contendentis Cusanum C. 14 scriptum esse in quodam monasterio Gallico. Fortasse autem verum inveniendi ansam dabunt verba in Bruxell. 10615 sqq. fol. 71' col. 1 Ciris fragmento s. XII. ex. superscripta ab Aemilio Grosse Fleckeisen. annal. 1869 p. 276 male et lecta et intellecta: ((q)uo)d i(n) Virg(ilio) s(ancti) Euch(erii) dee(st) i(n) lib(ro) Cirris(,) hic est. *Nam hinc in Treverorum vicinitatem duci videmur. Quae omnia ideo praemisi quia in codice Bruxellensi 10615—729 qui continet medii aevi florilegium longe pretiosissimum seges quoque Seduli carminum exstat uberrima. In quo (C) leguntur 1) fol. 1—21 a) homiliae collectae (Augustini serm. 65 150 5 6 45 97 277 130 ep. 60 Niceti opuscul. duo ed. Migne patrol. LXVIII, 366—376 Augustin. serm. 53 1* de discipulis et magistris Nili monachi *(descripsi) Augustin. serm. 254 Gregori Nazanz. tract. decim. interprete Rufino) b) Theofridi Epternacens. flores epitaphior. ed. Migne vol. CLVII. 2) fol. 22—35 Salviani de gubernat. dei cfr. Salvian. ed. Halm. p. V sq. 3) fol. 36—57 gromatici cf. Haenel Richter krit. Iahrb. f. d. Rechtswiss. I, 762 sq. 4) fol. 58—65 (cum quibus f. 74 coniungendum) Notkeri epistola ed. I. Grimm kl. schr. V, 190 sqq. Notkeri rhetorica ed. Wackernagel ZfdA. IV, 463 sqq. — fol. 60, deinceps alia Notkeri sive ex eius disciplina profecta (non Boethi commentarii ut adfirmat Plew Germ. XIV, 48 sed in Boethium commenta) 5) fol. 66—73 a) ex Senecae controversiis excerpta non interpolata*[1] *Sen. ed. Kiessling p. 270, 28—298, 2 368—380, 3* POST LAQVEVM *b) sententiae ex bibliis patribus papis fortasse certo consilio collectae veluti f. 68' adscribitur* IN NOMINE DOMINI CONTRA BERINGARIOS DE CORPORE DOMINI *c) carmina contra papatum* Anulus et baculus duo sunt insignia per quae *ed. Wattenbach. Anz. d. Germ. Mus. XXIII, 335 et XXIV, 14 (apographon est in cod. Cusan. nunc Brux. 9799—9809 f. 122*[2] *quem c nominabo)* Certamen regis cum papa Musa canamus *ab initio XXXVIII versus ed. Du Méril 1843 p. 405 sqq. cfr. N. A. II, 404 (apographon in c)* Gens Romanorum subdola *ed. id. p. 231 (apogr. in c. 122') Hunaldi* Hactenus ex vetito peccata fuere timori *(ineditum? apogr. in c 122'—123)* Fert genitrix natum Stephano testante beatum *(descripsi) d) poetae lat. minores Ciris v. 454—541 Priapea ed. Baehrens II, 158 158 sq. 160 sq. Catalecta Tibulli Priapeum elegiae in Maecenatem cfr. Grosse Fleckeisen. annal. XV, 275 sqq. Flori Virgilius orator an poeta Flor. ed. Halm. p. 106 sqq. 6) 74—76 continuatur Notkerianum (v. supra 4) Paulin. Nol. ep. XVII. ed. M. inde a 235, 2 ep. XXVII. 306 sq. 7) 77—78 Sidon. Apoll. ep. V, 5—11 8) 79—92 Wandalbert. ed. Duemmler poet. Karol. vol. II, 569—622 Heito ed. id. ib. p. 267—275 visio pauperculae mulieris ed. Wattenbach DGQ*[5] *260 sq. Walahfrid. visio Wettini ed. Duemmler. l. c. p. 301 sqq. Fulgentius Ruspens. serm. 250, sequitur*

---

1) *Senecae patris codex optimus Brux. 9581—9595 ipse quoque Cusanus est cfr. Oehler annuaire d. l. bibl. r. d. Belg. III, 141 et Klein l. c. p. 8 adn. 2.* 2) *Descriptas ex C esse codicis c eas partes quas supra adponam ex C ad certum redigere possum; atque supervacuo Voigt ecbasin captivi oneravit.*

Speciales Francorum protectores sunt Dyonisius martyr dominus preciosus *unde sit ignoro cfr. Gregor. ed. Krusch p. 465 sq. 9) Polemius Silvius ed. Mommsen Abhdlg. d. Saechs. Ges. d. Wiss. III. 231 CIL. I, 332 sqq. Seeck notit. dign. p. 254 sqq. Riese geogr. min. 130 sqq. cfr. Abhdlg. VIII, 694 10) 99—106 Aratorum interpres cfr. Caesaris Aratea ed. Breysig Berol. 1867 p. XXVIII 11) 107—122 Manilius C apud Iacob. 12) 123—137 Sidon. Apoll. carmina omnia epistolae selectae 13) 138—156 Paulini Nolan. carmina cfr. Auson. Schenkl. p. XLII Peiper. XXXII 14) 157—164 Cassiodorius de inst. div. script. 15) 165—172 Gilonis carm. ed. e. g. Quercet. SS. hist. Fr. IV, 898 sqq. 16) 173—174 Winrici carmen ed. Kraus Jahrb. d. Alterthumsfr. L p. 233—247 17) 175—178 carmen Mettense cuius ultimos CXXI versus ed. Duemmler N. A. V, 433 sqq. cfr. XI, 643 sqq. duo hymni de. S. Gorgonio (descripsi) 18) 179—186 Theoderici Solinus metricus cfr. de Reiffenberg annuaire d. l. bibl. r. d. Br. IV, 67 sqq.*[1] *Theoderici de cane mortuo fortasse eiusdem de ventorum turri cfr. Ritschl op. III, 838 loci Vitruvi Augustini de civ. d. Gregor. ad Constant. Aug. carmina de nummo Lactanti Phoenix epitaphium Iuliani ed. de Reiffenberg ann. d. l. bibl. r. VI, 1845 p. 117 sqq. = bullet. d. l'ac. IX, 1 30 sqq. 19) 187—200 cebas. capt. ed. Voigt Argent. 1875 (apogr. in c 130—134') Aldhelmi aenigmata (apogr. in c 130—137') carmen de mensibus* Linea Christe tuos prima est quae continet annos *(descripsi) Ausoni ep. LXVIII ed. Sch. p. 214* Aviani viri clari ad amicos *ed. Baehrens p. l. m. IV, 116 (quorum carminum apogr. in c 137') versus cuiusdam Scoti de alphabeto ed. Bs. V, 375 (apogr. in c 137') Hildebert. de nummo ed. Otto comment. crit. Giss. 1842 p. 163 sqq. cfr. Hauréau l. mél. poët. d'Hild. Paris. 1882 p. 39 sqq. (apogr. in c 123'—124 usque ad v. 198) duo poematia mihi ignota* Deposcat requiem cum nox breviata diurnam *et* Si te nosse potes felix nil amplius optes — Plura petis non plenus eris donec moriaris. *20) 201—223 Arnulfi deliciae cleri ed. Huemer Roman. Forsch. II, 211 sqq. versus de XII ventis Tranquilli phisici ed. Reifferscheid Suet. fragm. p. 304 sqq. carmen qui dicitur* S. Augustinus de laudibus dei *editurus est Grosse cfr. de Reiffenberg bull. d. l'ac. de Br. IX, 1 151 sq. carmen de S. Lucia editurus est Harster 214—223' Sedulius 21) 224—231 novus Arianus ed. Grosse Regimont. gymn. progr. 1868 (apogr. in c 138—142) interposita satira in Italos* Nulla salus aut pax veniat tibi gens tenebrosa — Hoc si feceritis peccamina vestra recedent *cfr. de Reiffenberg ann. 1843 p. 77 (apogr. in c 142—142') carmen de pugna Hastingensi cfr. e. g. Potthast bibl. hist. I, 569 (apographon in c primorum LXVI versuum f. 142') Gell. noct. Attic. XIV, 5 XV, 3, 7 4, 3 cfr. Gell. ed. maior. Hertz. II, XLVIII. — Carminum syllogen Sedulius Scottus ipse instituisse nequit, sed — ut huc vertam verba in maioris Seduli codicibus tradita — 'opus inter cartulas dispersum reliquit quod recollectum adunatum' neque tamen 'ad omnem elegantiam divulgatum est' a nescio quo Musis amico. Singula carmina quis ediderit, infra textum indicabo; ipse denuo edam apographo Pincharti in Duemmleri usum confecto (cui Hauptius Duemmleri amici rogatu emendationes olim adsperserat), Bethmanni Monumentis Germaniae destinato, mea denique ipsius collatione. nisus quam huius anni mense Ianuario institui dum vv. cl. Ruelens dignus r. bibl. codd. custos et Ouverleaux ab eadem bibliotheca me adiuvant summa qua Belgae florent liberalitate. Folii Seduliani imaginem fidelissimam editioni suae adnexuit Pirenne.*

III. Appendicis loco VIII carmina addam ab Hageno in carminibus medii aevi Bernae 1877 primum evolgatis quibus Ernestus Duemmler (cuius muneris hoc totum est quod Maronis Leodiensis Musa reviviscit) Seduli scripta locupletare voluit. Sed quae N. A. IV, 317 sqq. adtulit argumenta ea non suadent, nisi ut credamus carmina sine titulo tradita a Scottigena quodam condita esse Sedulio eiusque scriptis familiari: ars

1) *Iudaeus non est ut de R. suspicatur, sed locus sic expediendus* Iudeae regio . in ea Asfaltites lacus; *cfr. Solin. ed. Mommsen p. XCII.*

enim a Seduliana non nihil disstat. Leguntur in cod. Bernensi 363 (cfr. Hagen catal. codd. Bern. 347 sqq.) s. IX. Scottice scripto I II III f. 194' IV V 196' VI VII VIII 197', quae ipse 1885 Bernae iterum exscripsi.

I.

I.

Omne ministerium, trifido quod praeminet orbe,
Arte gubernandum, sunt artis plurima dona:
Omnicreans dominus terras mare sidera caelos
Arte creat, totum pulchrum regit arteque mundum,
Artibus egregiis sapientia celsitonantis
Praeposuit hominem cunctis animalibus orbis,
Ars currum regitat, naves ars rite gubernat
Atque triumphalis res artem bellica spectat —
Indiget artis opis sic et res publica, felix
Esse queat rectore bono populoque beato.
Ob hoc caelestum transcurrens prata librorum
Florida congessi vobis, rex inclite, serta,
Quae capitis vestrae mentis diadema perornent
Sceptraque glorificent Christi dominantia nutu,
Atque salutiferas divini dogmatis herbas
Pollice decerpsi nardo redolente calathis.
Sumite de liquidis Israhel fontibus undas,
Quae satient bibulum praedulci rore palatum:
Gloria nam regum, nitidis et stemmata sceptris
Dogmata sunt domini nec non exempla priorum
Gestaque nobilium procerum famosa per orbem. —
Artibus his vigeat vestri res publica victrix
Atque gubernetur multis feliciter annis,
Donec sideream vos ascendatis in aulam,
Iuste regnantum qua perpes gloria pollet.

II.

Tecum principium, finis rex Christeque tecum:
Alpha operis famuli sis, deus, ωque tui.

[I.] [1.] 1 preminet *et sic semper* pre *pro* prae *et* e *pro* ae *et* oe *P* 3 sydera *passim P* 4 pulcrum *B* 5 egreiis *B* sapiencia *et talia passim P* 6 Preposuit *B quoque* 9 opes *P* 11 percurrens *corr. B* 12 inclita *P* 13 uestri *corr. B* dyadema *semper P* 15 docmatis *semper P* 16 calathis *BP; nam quantitatem Sedulius nondum perspectam habuisse videtur, sed infra recte II* LXXXI 49 18 satiente *P* palathum *P* [II.] 2 si *P corr. Areval. proleg. in Sedul. ed. p.* 38.

[I.] [1.] 1 praeminere *apud Prudentium legit e. g. cath. XI,* 109; *cfr. inscript. Christ. e. g. ap. Maium script. vet. V,* 178, 2, 1 sacrae quae praeminet arae. 16 *Fast. V,* 255 decerpsi pollice florem. [II.] *AΩ signum symbolicum ex apocalypsi notum de quo cfr. F. X. Kraus Realencyklop. d. christl. Altert. I,* 60 *sqq. frequentissime etiam apud Karolinos legitur itaque, ut A pronuntianda sit alpha Ω sonum habeat mere vocalem. Sic Prudentium Paulinum Nol. Orientium Sedulium secuti voluerunt e. g. Iosephus Scottus Albarus Milo de sobrietate Sedulius infra quoque. Unde Flor. Lugdun. poet. Karol. II,* 534, 181 *emendandus vel certe pronuntiandus* Alpha prior cunctis, Ω cunctis ultimus extat.

III.

Quisquis florigeri sceptrum fert nobile regni,
Primum celsithrono vota precesque ferat.
In cuius sacro sunt omnia numine sceptra
Et pax nobilium, vita salusque ducum.
Nam regale decus radians diademaque regni
Est timor altithroni, sanctus amorque dei.
Lilia florigerum comunt ceu lactea campum,
Ut rosa punicei schematis ore rubet:
Sic iustus rector virtutum flore virescit,
Germinat ac fructus mentis in arce sacros.
Pulchra Salemonem decoravit purpura regem
Nec non Davidis fulgida sceptra patris;
Sed magis interius prudens devotio cordis
Ornavit iuvenem glorificando deum. —
Instar Luciferi niteat res publica vestri
Exortuque novo splendida vota gerat.

IIII.

Qui regit affectus animi, rex iure vocatur
Et, fluxas carnis qui domat illecebras.
Quamvis, qui fulvum superat virtute leonem,
Rex teneat clarum laudis honore locum —
Set plus est laudum fastus calcare superbos,
Iram ceu rabidam mitificare feram.
Magnus et ille cluit saevos qui triverit hostes,
Lauriger ac victor clara trophea refert —
Gloria sed maior: comptum caelestibus armis
Hostes aereos vincere posse ducem.
Est magis imperium mentem frenare per artem,
Quam si quis habeat triplicis orbis opes:
Nam templum domini iusti mens regia fulget,
Fit thronus excelsi iudicis ipsa dei,
Comitur illa domus flavo speciosior auro,
Iustitiae solem gaudet habere suum.

V.

Ceu rotae cyclus celeri recursu
Volvitur, summas reprimitque ad ima,
Quas rotat partes rapidum per axem,
Mobilitate:

[III.] 3 sunt sacro *P transposuit Maius* 7 florierum *P corr. Maius* 8 schematis *P sed Sedulium* scematis *scripsisse puto* 9 rector *sed punctis postea deletis P* 10 *Germinat ut *P* Germinet ut *Maius* 13 deuocio *et talia semper P* [V.] 1 ciclus *semper P* 4 Mobilate *P corr. Maius*

[III.] 5 *Met. IX,* 689 Et regale decus. [IIII.] 1 *Trist. V,* 2, 8 Affectusque animi. 3 *Aen. IV,* 159 fulvum descendere monte leonem. 8 *Fort. III,* 9, 86 Belliger ad caelos ampla tropaea refers. 9 *Aldhelm. laud. virg. c. g.* 361 fretus caelestibus armis. 15 flavum aurum *Vergilianum. Art. am. II,* 299 pretiosior auro.

Regna sic mundi trifidum per orbem
Gloriae celsum stabilire culmen
Nesciunt lapsum, sed habere norunt
Aurea Sceptra.

Inclitae plebis fuit Israhelis
Floridum regni decus adlevatum,
Quando servabat sacrosancta legis
Mystica iura:

Unde pollebat domini triumphis
Atque crudeles superabat hostes,
Dum suam plebem pietas tonantis
Glorificabat.

Rursus heu quantis premitur ruinis
Abrahae sanctum speciale patris,
Dum creatori sua prona tempsit
Subdere colla;

Una sed tantae medicina gentis
Iam fuit votis rogitare celsum,
Qui potens noscit stabilire regna
Perpete nutu. —

Principes terrae, domino potenti
Ferte gaudentes thymiama voti;
Quem tremunt caeli proceres superni,
Magnificate.

VI.

Qui cupit rector probus esse iudex,
Lance qui iusti trutinaque gaudet
Inhians pulchri terebrare falsa
Cuspide veri,

Luminum patrem rutili creantem
Solis ac lunae nitidique cosmi
Poscat, ut sensis niteat coruscis
Luce sophiae;

Vota cognoscat Salemonis aequi,
Quae volaverunt subito per aetram
Ac penetrarunt domini sabaoth
Aurea tecta.

Ipse percepit docilemne sensum
Mente lustratus? sapiensne factus
Insuper regni columen gubernat
Gentis Hebraeae?

---

12 mistica *semper P* 14 superat *P corr. Maius* 26 timiama *P* [VI.] 6 nitidisque *P corr. Maius* 13 docibilem ne *P* docilemque *Maius* 16 ebree *P*

[V.] 20 *Fort. III,* 30, 7 Subdere colla decet, quia sunt iuga dulcia Christi. [VI.] 12 *e. g. Aen. VI,* 3 aurea tecta.

Quid valet flavi nitor omnis auri?
Ostra quid prosunt rosei decoris?
Gloriae quid sunt Scithicaeque gemmae?
Quid diadema?,

Orba si mentis acies hebescat,
Lumen ut verum nequeat tueri,
Unde discernat bona prava iusta
Fasque nefasque. —

Ergo rectori decus est amare
Te patris verbum sapiensque lumen,
Christe, qui sceptris dominaris orbem
Celsaque regna;

Cuius in dextra requies beata
Constat, in leva locuplesque gaza:
Gloriae princeps humiles coronas,
Tollis opimos.

VII.

Rex pius et sapiens terno moderamine regnat
Semet suosque ⟨et⟩ subditos.
Gloria regnantis proba moribus eminet uxor
Sicut honusta vinea:
Illam nobilitas triplici virtute venustet
Rosis pudici pectoris;
Lactea formoso niteant si colla decore,
Magis nitescat castitas;
Christus ut ecclesiam sibi casto iunxit amore,
Uxor viro sic haereat;
Mitis simplicitas in cuius mente redundet
Velut columbae gratia;
Quam decoret pietas prudentia sacra potestas,
Esder ut alma floruit.
Vincula pacis ament rex et regina: duobus
Sit foedus et concordia;
Invida non dirimat geminos discordia pacis,
Quos lex superna iunxerat.
Disciplina regat quorum praenobile germen:
Rami decori floreant.
Aridus haut viridi bene crescit in arbore palmes,
Cultor bonus hoc providet:
Princeps et rectrix populum si rite gubernant,
Suam regant prosapiam,
Abrahae veluti generosa stirpe creatis
Ornent polos nepotibus.

---

17 Qui *P corr. Maius* 21 habescat *P corr. Maius* 29 dextera *P corr. Maius* 31 coronat *corr. P* coronans *Maius fort. recte* [VII.] 2 *et *om. P* 4 *honesta *P* 17 Inuidia *corr. P* 21 *aut *P*

[VII.] 4 *Sedul. de reg. princ. c. IX* princeps pacificus tamquam floridus et fertilis est . . et quasi vinea honesta (*leg.* honusta) copioso abundans fructu. 25 *Met. XIV*, 699 humili de stirpe creatus.

VIII.

Absque gubernaclo navis ceu nutat in alto,
Fluctibus ac tumidis tunditur illa nothis:
Gloria sic regni praeclaraque sceptra labascunt
In pessumque cadunt heu sine consilio.
Nam sunt nonnulli, quorum fit mellea lingua,
Aspidis ac subtus tetra venena latent;
Qui delenificis persuadent omnia verbis,
Quorum sermo strepit subdola ceu fovea:
Horum consilio res publica fulta videtur,
Cum submersa ruat o miseranda nimis.
Ob hoc consilii praedulcem carpere botrum
Iam decet, excelsum qui tenet imperium.
Dorcades ut vigili montis de vertice visu,
Quo cito transfugiant, cuncta pericla notant:
Sic adversa cavet speculari lumine mentis
Dux bonus arte bona consiliisque probis.
Ceu margaritum bibulis praenobile conchis,
Quomodo dulcifluo mel legiturque favo:
Sic et amicorum puro de fonte legendum,
Quod decet et prodest, utile consilium.
Verus amicitiae custos sine felle probatur,
Cui placet omne bonum, displicet atque malum:
'Est est' qui vere seu 'non non' dicere norit,
Cui cor secretum consonat osque pium,
Olli firma fides vita fit carior ipsa,
Nescit harundineas texere mente strophas,
Non illum nutare facit clangorque tubarum —
Anchora nam stabilis corde manet fidei —,
Talem nonque gazae, non auri pondera norunt
Fallere nec laesa fit pretiosa fides.

IX.

(Tam)quam praecipitans turbo regentes
Subvertit nimium copia rerum.
Qui primumque boni regmine clarent,
Fiunt saepe mali fine profano;
Sacris qui fuerant moribus aurum,
Mox plumbo similes viliter horrent
Et, qui vitis erant ubere laeti,
Agrescunt veluti spreta labrusca:
Incautum dominum mente strophosa
Fallunt praecupidi sic et amici.

[VIII.] 1 Abque *P corr. Maius* *gubernaculo *P* 3 quod *P corr. Maius* 6 iuuena *P (cfr. infra II XLI 12) corr. Maius* lactent *P corr. Maius* 10 *post* 11 *P transposuit Duemmler* 13 montis]m *ex corr. P* 15 cauent *P corr. Maius* 23 **an* novit ? 26 strofas *semper P* 29 *namque *P* non *Maius* 30 *ne *P* *sit *P* preciosa *semper P* [IX.] 1 *Quam *P* turba *corr. P* 3 *regimine *P*

Os quod proloquitur, conscia mens perhibet.
Nostri versiculi hos laudant hosque salutant —
Nec falsum dico, scis velut, alme pater.
Nam vestri nobis furvos clementia furvis
Multones tribuit, saepe dedit niveos.
Quorum qui fuerat formosior ac mage pinguis,
Heu quam crudeli morte peremptus obit.
Egregii pecoris custos praeclarior ipse,
Ulli nec parilis nec similisque fuit;
Cornibus et rigidis excelluit alma potestas
Omnes cornigeros candidulosque greges;
Vellere qui niveo niveisque micabat ocellis,
Fortis et in pugna victor inormis erat.

[XL.] *ed. Pirenne p.* 60 1 Hildebertus *C tacit. corr. Pirenne* 4 senex *C del. et superscr.* tenes *C* [XLI.] *ed. Duemmler Sedulii carmina p.* 20 *sqq.* 7 coruis *corr. C* 12 uiuena *C corr. Duemmler cfr. supra p.* 158 17 letheus *C corr. Haupt* 22 sepe *C*

[XL.] *Epitaphium sive potius epitaphia Seduli esse non spondeo. Hildebertum Coloniensem chorepiscopum* (834—862) *esse Duemmler putat Sedul. carm.* 2 *adn.* 10. [XLI.] 8 corniger *i. q. pastor* (*cfr. Voigt ecb. capt. glossar. p.* 143)? 9 *Ge. IV,* 300 geminae nares. 14 umbilicus *venter esse potest, Hauptium laesa quantitas tantum offendit ut corruptum putaret.* 15 *Cfr. supra V,* 7. 25 *Cfr. ecl. V,* 44. 28 *Prudent. cath. III,* 157 de grege candidulo.

Hunc Aries caeli casto dilexit amore,
Consortem regni hunc voluitque sui,
Hunc Lucina potens niveo pro tegmine clarum
Sidus in excelsis ponere caelicolis
(Namque ferunt Lunam lanarum vellus amasse,
Pan deus Arcadiae vellere lusit eam),
Hunc meus arsit amor — nam nec mihi cornea fibra —:
Quis, nisi stultus, enim, qui nec amaret eum?
Et, quae nulla negat, vestri clementia dives
Mox donare decus hoc mihi disposuit;
Sed fortuna bonis semper contraria rebus
Tytiron eripuit tum mihi heu misero.
Quidam latro fuit nequam de gente Goliae,
Aethiopum similis, Cacus et arte malus,
Terribilis forma, vultu piceusque maligno,
Asper erat factis, asper et eloquiis:
Te, pie multo, tulit, manibus traxitque nefandis
Per multos tribulos, heu nefas, o miserum.
Tu multum fueras mitis multumque serenus,
Infelix multo, multa per arva volans.
Vis rabiosa canum furem conspexit euntem
Ferri, cornigerum magnanimumque ducem;
Mox animosa cohors saltus dedit ipsa salaces:
Ingens fit strepitus, fit sonus atque fragor;
Oribus et rapidis furem furtumque requirit:
Frondea silva latrat, personat omne nemus.
Quid moror in verbis? mitis heu multo tenetur;
Fur fugit in tenebris ocior ille nothis.
Multo relictus erat solus multumque pugnabat,
Cornibus illĕ minax vulnera multa dedit:
Obstupuere canes victi multone bicorni
Atque leoninam rentur adesse feram.
Omnes econtra latrabant ore canino;
Ille sed egregius fulserat ore pio.
'Quis furor in vestris consurgit cordibus?' inquit
'Gnoscite me famulum praesulis Hartgarii.
Non sum latro malus, non sum furunculus ille,
Sed sum multo pius, dux gregis eximius.
Si vos oblectet hostem superare tyrannum,
Proximus ecce fugit fur: teneamus eum.
Sin autem rabies vestri raucusque latratus
In me tranquillum bella cruenta ciet:

34 *uelle locis *C* 35 lunarum *C corr. Haupt* 36 archadię *C* 55 furum *corr. C* 59 repugnat *Wattenbach* 61 Obstupere *C corr. Duemmler*

35 *sq. Ge. I,* 397 lanae ... vellera. *ib. III,* 391 *sq.* Munere sic niveo lanae, si credere dignumst, Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit. 51 *Aen. IV,* 132 odora canum vis. 53 salax *cfr. XXI,* 17; *praeterea e. g. Aen. XII,* 681 saltum dedit ocius arvis. 54 *Aen. I,* 725 Fit strepitus; *ib. IX,* 749 Fit sonus. 56 *Aen. VIII,* 305 Consonat omne nemus. 57 *Amat. II,* 535 Quid moror in parvis? 58 *Aen. VIII,* 223 fugit ilicet ocior Euro. 68 *e. g. Art. am. I,* 326 Dux gregis.

(Per caput hoc iuro, per cornua perque superbam
Hanc frontem vobis) praemia digna feram.'
His dictis subito permulsit corda ferarum:
Pax fieri coepit binaque pars resilit;
Unus sed fuerat veluti latrator Anubes,
Cui canis inferni Cerberus ater avus,
Gutture qui triplici cervos agitare fugaces
Informesque ursos arte solebat avi.
Is, cum conspiceret rabidum genus esse quietum,
Dentibus infremuit hirtaque colla tumet;
'En vos' inquit 'ovis ficto sub nomine pacis
Ceu vulpes ludit subdola verba sonans?
Hic fur est nequam, furis comes atque malignus:
Idcirco bini frondea tecta petunt.
Causa mali tanti (testor) hic solus habetur,
Qui pacem verbis, fronte facitque minas'.
Tunc os falsidici vibratis cornibus ingens
Multo ferit, dentes fregerat atque duos,
Insuper et frontem contrivit fronte caninam
Et victor fieret, proelia ni fugeret:
Nam praeceps volitat quasi victor hoste relicto,
Cursitat incautus simpliciterque fugit.
Incidit in tribulos posthaec sentesque malignos,
Aspris inhaesit heu pius ille locis;
Tum mox a tergo maledictus Cerberus instat,
Ore cruentato vulnera saeva dedit.
Labitur exanimis multo (mirabile visu)
Irrorans vepres sanguine purpureo:
Fleverunt Nymphae, sonuerunt omnia silvae
Balantumque greges ingemuere nefas,
Multonem niveum tu, candida Luna bicornis,
Luxisti merito, fles Ariesque poli.
Iustus quid meruit, simplex, sine fraude maligna?
Munera nec Bachi, non siceramque bibit,
Non hunc ebrietas deflexit tramite recti,
Non epulae regum nec procerumque dapes:
Illi pastus erat sollemnicus herba per agros
Ac dulcem potum limphida Mosa dabat;
Non ostri vestes rubei cupiebat avarus,
Sed contentus erat pellicia tunica;

---

76 cepit *C* 78 aterque *C corr. Haupt* 84 culpes *corr. C* 92 prelia *C* 96 pie *C corr. Haupt* 98 Ori *C corr. Haupt* seva *passim C* 101 Nimphae *C* *an* *numina ? 109 sollomnicus *C corr. Duemmler* 111 nostri *C sed versum post* 116 *repetit C ubi* ostri *legitur*

77 *Aen. VIII,* 698 latrator Anubis. 79 *Ge. III,* 539 cervique fugaces; *Met. III,* 356 agitantem .... cervos. 80 *Ge. III,* 247 informes ursi. 86 *Ge. IV,* 61 *sq.* et frondea semper | tecta petunt. 87 *Aen. VI,* 93 Causa mali tanti. 89 *Aen. VII,* 483 cornibus ingens. 98 *Met. IV,* 104 ore cruentato tenues laniavit amictus. 99 *Aen. XI,* 818 Labitur exsanguis. 100 *Aen. VIII,* 645 rorabant sanguine vepres. 101 *Met. XIII,* 688 Nymphae quoque flere videntur. 102 *Ge. I,* 272 Balantumque gregem. 105 *Iuvenc. II,* 113 sine fraude maligna. 112 *Cfr. XIII,* 15.

Nonque superbus equo lustrabat amoena virecta,
Sed propriis pedibus rite migrabat iter;
Non mendosus erat nec inania verba loquutus:
Báá seu béé mystica verba dabat.
Agnus ut altithronus pro peccatoribus acrem
Gustavit mortem filius ipse dei:
Carpens mortis iter canibus laceratus iniquis
Pro latrone malo sic, pie multo, peris.
Quomodo pro Isaac aries sacer hostia factus:
Sic tu pro misero victima grata manes.
O pietas domini clemens ac larga potestas,
Qui non vult homines morte perire mala:
Dextra superna dei latronem salvat iniquum,
Olim quae cuidam mox cruce praestat opem.
Grates fer domino, nequam male perfide latro,
Dic cum psalmista talia verba miser:
'Dextera me domini tunc exaltavit Olimpi:
Vivam, non moriar, facta deique canam.
Me castigavit castigans alma potestas,
Tradidit haut morti me rapuitque neci.'

EPITAPHIUM.

Tu, bone multo, vale, nivei gregis inclite ductor,
Heu quia nec vivum te meus hortus habet.
Forsan, amice, tibi fieret calidumque lavacrum —
Non alia causa, iure sed hospitii;
Ipse ministrassem devoto pectore limphas
Cornigero capiti, calcibus atque tuis.
Te (fateor) cupii; viduam matremque cupisco,
Fratres atque tuos semper amabo. Vale.

XLII.

DE QUADAM ECCLESIA.

[Hanc paradisiacam vernantis scematis aulam]
Florigeras species, ista quas cernis in aede,
Inclitus Hartgarius praesul lampabilis actu,
Aethereae Solimae sacro dum flagrat amore,
Hoc vario specimen iussit splendescere cultu.

Haec domus est domini vitreis oculata fenestris, ITEM.
Quam Phebus lustrat radiis et crine sereno.
Nam quintis decimis Maii sacrata kalendis
Albicat in specie, picto micat ipsa decore.

Haec in honore nitet Petri Paulique coruscans, ITEM.
Virginis et Mariae hanc sacrum nomen honestat
Aedem lucifluam sparso ceu flore refertam,
Sanctorum reliquusque chorus haec tecta sacravit.

116 mistica *C* 126 *an* *iam ex ? 133 vale *add. C*^{2} 136 hospicii *C* [XLII.] *ed. Duemmler l. c. p.* 23 *sq.* *1 *alia lectio videtur esse pro* 2 3 hargarius *C corr. Duemmler* 5 uultu *corr. C*

113 *Aen. VI,* 638 et amoena virecta. 128 *ps.* 117, 16 [XLII.] 6 *Cfr. XI,* 17 *et IV,* 42 *sqq.*.

XLIII.

ITEM AD BERTAM.

Maternum specimen, patrium decus atque venustas,
Aurea sic rutilas velut argentata columba,
Electro similis, niveae genitricis imago,
Splendida cura patris, Iesu quoque sponsa beata,
Gemmis virtutum renitens, speciosa quadriga
Iustitiaeque rotis scandens super aethera stella.

XLIV.

AD KAROLUM REGEM.

Ferte viro casiam, myrram date, cinnama ferte,
Ireos ac flores, ferte viro casiam.
Nam deus omnicreans oleum defudit ab alto,
Unxit eum regem nam deus omnicreans.
Caesare de gemino vos estis tertia palma
Sceptrigerumque decus Caesare de gemino.
Spargite, quaeso, viro, Pancheos ducite flores,
Lilia Caesareo spargite, quaeso, viro.

XLV.

DE STRAGE NORMANNORUM.

Gaudeant caeli, mare, cuncta terra,
Gaudeat Christi populusque vernans;
Facta miretur domini tonantis
Fortia patris.

Laudibus dignus bonitatis auctor,
Magnus in magnis opifex beatus,
Cuncta dispensat dominante nutu
Sceptriger orbis.

Spes, salus mundi, pius ipse rector
Conterens pravos humiles coronat,
Sublevat valles reprimitque montes
Celsa potestas.

Qui facit rectis radiare verum
Lumen in cordis speculoque mentis,
Quos tegit semper pietate pollens
Conditor almus.

Pauperes, dites, laici, potentes,
O coronate clericalis ordo,
Omnis aetatis decus atque sexus,
Plaudite cuncti.

Brachium patris validum potentis
Ecce protrivit subita rebellem
Strage Normannum pietatis hostem:
Gloria patri.

Proelium campo struitur patenti,
Splendor armorum radiat per auras,
Voce bellantum varia tremescit
Machina caeli.

Tela sparserunt geminae phalanges,
Danus infelix sua dampna quaerit,
Ferreos imbres serit atque fixit
Agmen inorme.

[XLIII.] *ed. Pirenne p.* 60 [XLIV.] *ed. Pirenne p.* 60 *sq.* 2 *ut C* *post* 8 et reliqua *C: carmen ut antecedens quoque non ad finem descriptum* [XLV.] *ed. Grosse p.* 8 10 conteres *C corr. Grosse* 14 Lumen *C* .l. xp̃ mtis *C corr. Grosse* 18 *post* Ó *del.* cl *C* 29 Tala *C corr. Grosse* 30 querit *C*

[XLIII.] *i. e. filiam Lothari I. abbatissam Avennacensem de qua cfr. Duemmler Sedul. carm. p.* 2 *adn.* 6. 3 *Met. XV,* 316 Electro similes. [XLIV.] 1 *sqq. Similiter Claudianus de nupt. Hon.* 93 *sqq.* Hic casiae matura seges Panchaeaque turgent | cinnama. *Claudianum tamen ab eo lectum esse versibus de regim. princ. c. XV. laudatis probari non potest, quos ex Orosio Paulore Diacono petiit.* [XLV.] 17 = *XVII,* 9. 28 *cfr. I XVII* 23 *sq..* 31 *Cfr. XXXIX,* 31.

Quem sitiverunt varios per annos
Sanguinem, sumunt rabidi tyranni:
Dulce fit cunctis satiare pectus
Caede virorum.

Quique foderunt foveas, ruere;
Quae fuit turris nimium superba,
Ecce curvatur nihilata Christo
—— Gens inimica.

Sternitur grandis populusque fortis,
Tota contrita est maledicta massa,
Sorbet os mortis sobolem malignam:
Laus tibi, Christe.

Hinc ferunt stragem populi fuisse:
Praeter ignotos hominesque viles
Horrido campo nimio cruore
Tres myriades.

Iustus est iudex dominator orbis,
Christianorum decus omne Christus,
Gloriae princeps, domitor malorum
Regmine summo,

Fortis est turris, clipeus salutis
Conterens bello validos gigantes,
Cuius excelsum super omne nomen
Est benedictum.

Ultor existit populi fidelis,
Qui maris quondam tumidis procellis
Pressit Aegyptum, celeres rotasque
Obruit imo.

Ostriger Iesus super omne regnat,
Quicquid excelsus genitor creavit,
Stirpe Davidis benedicta proles,
Gloria nostra.

Cui rependatur tymiama voti,
Quem celebremus pietatis actu,
Cui melos promat super astra regi
Fistula laudis;

Gloriae plausus, modulans osanna
Personet patrem genitumque Christum,
Spiritum sanctum: polus unda tellus,
Glorificate.

XLVI.

IDEM CONTRA PLAGAM.

Libera plebem tibi servientem,
Ira mitescat tua, sancte rector,
Lacrimas clemens gemitusque amaros
Respice, Christe.

Tu pater noster dominusque celsus,
Nos tui servi sumus, alme pastor,
Frontibus nostris rosei cruoris
Signa gerentes.

Infero tristi tibi quis fatetur?
Mortui laudes tibi num sacrabunt?:
Ferreae virgae, metuende iudex,
Parce, rogamus.

Non propinetur populo tuoque
Nunc calix irae, meriti furoris:
Clareant priscae miserationes —
Quaesumus, audi.

Deleas nostrum facinus, precamur,
Nosque conserva, benedicte princeps,
Mentium furvas supera tenebras,
Lux pia mundi.

Sancte sanctorum dominusque regum,
Visitet plebem tua sancta dextra,
Nos tuo vultu videas serenus,
Ne pereamus.

XLVII.

ITEM DE QUODAM ALTARI.

In hoc altari sanctorum gloria pollet,
Quod sacros claudit thesauros reliquiarum.

---

35 saciare *C* 36 *suorum *C* 43 hos *C corr. Haupt* 59 ęgiptū *passim C* 65 timiama *C* ł liquidi canoris 67 promat super *C*] *discrepantiam pro* super astra regi *add. C*^{c} [XLVI.] *ed. Pirenne p.* 61 3 gemens *corr. C* 6 serio *C corr. Pirenne* 17 *an Deluas ? 18 benedidicte *corr. C*^{c} [XLVII.] *ed. Duemmler Sedulii carmina p.* 24

[XLVI.] 9 *sqq. Confert Pirenne ps.* 113, 17 Non mortui laudabunt te, domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.

Hinc pretiosa crucis hic Christi portio regnat,
Infera quae vicit, caelestia regnaque pandit;
Hanc aram decorat genitricis honorque Mariae
Virginis altithroni paradisi sceptra tenentis;
Servat apostolicum decus hoc altare per aevum,
Inter quos renitet Petri Paulique triumphus;
Martyribus cineres redolent hic sorte beatis,
In quibus est Stephani victrix ac prima corona.
Hoc altare sacrum Rorici tempore regis
Antistes domini Ratbaldus iusserat esse
Atque pio mentis voto tibi, Christe, dicavit,
Omnibus et sanctis fieri devovit honorem.

XLVIII.

VERSUS IN QUODAM PICTO SOLARIO SCRIPTI.

Angelus apparet Zachariae missus ab astris,
Alloquitur Mariam Gabriel archangelus almam.
[Angelus affatur domini sabaothque Mariam.]
Exultant animis Elisabet atque Maria;
Nascitur in Bethlem cosmi salvator Iesus.

Messiam natum pastoribus angelus inquit.
[Natum fert dominum pastoribus alma caterva.]
Sistitur in templum Simeonis gaudia Christus.
Ecce magi domino thus dant, symirnan et aurum,
[Ecce magi stellam visunt, Simeon quoque Christum.]
Angelus in patriam quos fert per devia caram.
[Inde magi patriam diviso calle revisunt.]

Fugit in Aegyptum Ioseph, puer atque Maria;
Trux necat Herodes infantes caede beandos.
Praedicat in heremo Iohannes dogma salutis:
Agnum cunctipatris Christum fert voce Iohannes.

Iordanis dominus glaucis intinguitur undis.
Vinum defecit, Iesu fert alma genitrix
Sex latices domino: vini redolentque saporem.
Cephan, Andream Messias puppe sequestrat.

---

8 retinet *C corr. Haupt* 9 Martiribus *passim C* [XLVIII.] *ed. Pirenne p. 62 sq. versus indigestos partim cum Pirennio qui* 1 2 7 3 4 5 8 9 12 10 11 6 13 *posuit ordinavi ita tamen, ut eos secluderem quos poeta ut correctiones margini adscripsisse videbatur; cfr. similia p. 207, infra p. 216 et discrepantias cod. B* 7 *domini sabaothque *e. g.*] roseam elisabet atque *C* 4 *bethleem *C* 9 syminam *corr. C* dant, dant smyrnan *Haupt* 10 symeon *passim C* 14 cede *C* 15 ihohannes *corr. C* 20 *Cephan et Andream *C Sedul. dissolutionem cum iusta prosodia praetulit cfr. XXI, 1 p. 187*

[XLVII.] 8 *Cfr. XLII, 10.* 11 *An Roricus Herioldi Danorum regis frater? de quo Duemmler Gesch. d. Ostfr. Reichs I, 266.* 11 *Cfr. Sedul. c. p. II, 103 sq..* 12 *Cfr. Iuvenc. I, 288 sq..* [XLVIII.] 1 *Sedul. c. p. V, 326* nam missus ab astris | angelus. 20 *Cfr. XXI, 1.*

XLIX.

IDEM AD HARTGARIUM.

Nunc viridant segetes, nunc florent germine campi,
Nunc turgent vites, est nunc pulcherrimus annus,
Nunc pictae volucres permulcent aethera cantu,
Nunc mare, nunc tellus, nunc caeli sidera rident.

Ast nos tristificis perturbat potio sucis,
Cum medus atque Ceres, cum Bachi munera desint;
Heu — quam multiplicis defit substantia carnis,
Quam mitis tellus generat, quam roscidus aether.

Scriptor sum (fateor), sum Musicus alter et Orpheus
Sum bos triturans, prospera quaeque volo,
Sum vester miles sophiae praeditus armis:
Pro nobis nostrum, Musa, rogato patrem.

L.

IDEM.

Angelicus nobis adventus claret aventi
Nuncius ut Raphael gaudia laeta ferens.
In tenebris fuimus, tenebrae nos atque caligo
Presserunt maestos, heu pater alme, viros:
Tu nobis subito clarescens inclita lampas
Laetitiae maniplos fers, benedicte, novos.
Limphida transmisit nobis et glauca Mosella
Praeconem placidum florigerumque patrem.
Tu, baptista dei tanquam Iohannes honore,
Nuncius es pacis: pax tibi semper — ave.

LI.

IN QUADAM ECCLESIA.

Hos pietatis equos Christus regit undique frenis
Et fert quadriiugos dux super astra suos.

LII.

ITEM.

Aures in domini sabaoth martyres orant:
'Quem bibimus calicem, verax, ulciscere, iudex.

[XLIX.] *ed. Duemmler Sedulii carmina p.* 24 2 **et C* 5 pocio *C* 7 desit *C corr. Haupt* substancia *et talia saepius C* 8 utis *corr. Haupt* [L.] *ed. Duemmler p.* 25 IDEM *in fine* 1 *versus postea add. C* 6 bndicte *breviationis signo omisso C* 9 babtista *corr. C* *iohannis *C* [LI.] *ed. Pirenne p.* 63 1 frenis] regit *corr. C* [LII.] *quod est fragmentum ed. Pirenne ibid.; post LII sequuntur in C anth. lat. ed. R. c.* 494 *et Eucheriae ib. c.* 390 *in unum coniuncta (cfr. Baehrens p. l. m. V,* 363 *et cod. Valencen. N.* 3. 36 *s. X.) hoc titulo* IN VELO QVOD CHINTILA REX IN HONORE PETRI OPTVLIT HI VERSVS SCRIPTI SVNT

[XLIX.] 3 *Aen. IV,* 525 pictaeque volucres; *ib. VII,* 39 *sq.* volucres . . . | aethera mulcebant cantu. 6 *Cfr. IX,* 6. 10 *e. g. Cor.* 1, 9. 9 bovi trituranti.

Sol tenebrosus erit, lunae decus atque rubescet,
Labentur stellae, cum venerit arbiter orbis;
Tunc caligosis pavidae se condere speleis
Optabunt gentes agni, patris ante tribunal.'

LIII.

HARTGARIUS EPISCOPUS AD EBERHARDUM.

In hoc nobilium florent praecepta virorum
Codice, belligeris qui micuere rosis,
Qui varios populos trifidum domuere per orbem
Artibus egregiis consiliisque bonis.
Triplex bellorum hic splendidus ordo coruscat
Milibus armigeris Martia bella ciens;
Hic tuba terribili sonitu clangore remugit;
Praecipites scopulos carrobalista serit;
Horridus ast aries frontis ductuque superbo
Muros turrigeros conterit atque quatit;
Falcatos itidem currus ars alma virorum
Deludens superat, pro nihiloque putat;
Mox ingens elefas praerupti montis ad instar
Sternitur ad terras arte domante cadens:
Sic adversa domans ars victrix omnia vincit,
Ars munit populos, subrigit atque beat.
Quicquid belligerae mundus sapit artis in orbe,
Hic in thesauris condita cuncta novis:
Idcirco dignum vobis hoc munus habendum,
Bellipotens ductor, flos, decus atque patrum,
Ecclesiae murus, laus inclita, zelus et ardens,
Adversus Mauros dextera fida virens.
Te tremit armipotens Sclavus, Saracenus et hostis:
Ecclesiae pestes sternis, amande, truces. —
Roboret altithronus vestros insigniter actus,
Sis semper victor longa per aeva valens.

LIV.

Rector serene, rutilans sub axe sidus,
Salve per aeva, populi beate ductor,
Francis paterna pietas, honore primus,

[LIII.] *ed. Duemmler Jahrb. fuer vaterl. Gesch. I,* 184 2 fosis *C corr. Duemmler* 16 subregit *C corr. Duemmler* 20 decus *postea add. C* 22 *uiros *C* nigros *Duemmler* [LIV.] *ed. Pirenne p.* 63 *sq. carmen ex eorum numero quae S. imperfecta reliquerat*

[LII.] 4 *Fort. IV,* 26, 91 Nubibus invectus cum venerit arbiter orbis. [LIII.] *Cfr. Duemmler annal. patr. hist. l. c. p.* 179, *ubi rectissime statuit Vegeti fuisse codicem Eberhardo donatum, cfr. Wattenbach GQ.*[5] *I,* 206 *adn.* 2. 7 *Aen. IX,* 501 *sq.* At tuba terribilem sonitum procul aere canoro | increpuit, sequitur clamor caelumque remugit. 8 *de* carrobalistis *cfr. Veget. II,* 25 *ed. Lang*[2] *p.* 60. 10 *Veget. IV,* 14 *p.* 137 appellatur aries . . quod habet durissimam frontem, qua subruit muros. 11 *ib. III,* 24 *p.* 116 Quadrigas falcatas in bello rex Antiochus et Mithridates habuerunt. Quae ut primo magnum intulere terrorem, ita postmodum fuere derisui: nam difficile currus falcatus *etc.*. 11 *sqq. de* arte *cfr. Sedul. I 1 p.* 154.

Pulchrum nitore specimen decusque Romae,
Fama, Lothari, volitans per orbis oras,
Thylen adusque penitrans celebre nomen,
David serena species, honora proles,
Alter Salemon redolens charisma pacis,
Sion venusta soboles, in orbe princeps,
Vivens valeto cyclicis per aeva giris.
Christo favente dominans, beate, sceptris,
Caesar, superna valeas tenere regna;
Caelis per aeva niteas beata stella
Gaudens nitore Solimae per omne saeclum.
[Stella beata niteas per aeva caelis,
Saeclum per omne Solimae nitore gaudens.]

LV.

CONTRA MENDOSOS.

Omnis mendosus corvos fert esse columbas —
Sicque columba dei dicitur esse corax —
Perque caput iurat, quod sint mendacia vera,
Veraque testatur figmina falsa fore.
Pro tenebris lucem reputat, pro luce tenebras
Is, sucum fellis dulcida mella refert,
Sic mites agnos scabroso denteque rodens
'Hos' inquit 'rabidos valde cavete lupos'.
Ille sinus geminos laevo sub corde revolvens:
Hic cernit verum, condit ibique dolum.
Hinc piceus rivus per cannam gutturis exit
Eructans mendas fumigerosque globos.
Ore hians patulo blaterat linguaque trisulca:
Credas septenos verba sonare viros.
Non vult agnosci perfusus lampade veri
Ille, cavernosa sed latet in fovea.
Aethiopum tunica verum tegit arte nefanda,
Oris et ex flatu nubila caeca vomit.
Ambulat in furvis Aegyptius ille tenebris,
Quomodo nicticorax luce micante fugit.

LVI.

ORATIO CONTRA FALSIDICOS TESTES.

Lux aeterna deus fons lucis fons veritatis,
Perspicua tales argue luce viros:

---

4 decus quoque *C corr. Pirenne* 5 oras *in* horas *corr. C* 7 honore *C corr. Pirenne* 10 ualeo *C corr. Duemmler* 13 cua *C* *15 16 *discrepantiae pro* 13 14 *versu* 16 *sequenti* S ‚icut et alii *(signo post* S *detrito) C i. e.* Secuntur *(Haupt, an* *Sedulii sicut?*)* et alii [LV.] *ed. Duemmler p.* 25 8 *Uos *C* 12 fumigeroque *corr. Duemmler* 17 tonica *C corr. Duemmler* *tegitur e nefanda *C* [LVI.] *ed. Pirenne p.* 64 *sq.*

[LV.] 3 *cfr. XLI,* 73. 13 *Prud. ham.* 202 Et discissa dolis resonat sermone trisulco. 20 Nycticorax ipsa est noctua, quia noctem amat; est enim avis lucifuga et solem videre non patitur. *Isidor. XII,* 7, 41.

Ius est namque tibi gemitus audire tuorum,
Qui te quique tuum nomen amore sonant.
Tu pater es veri, verus deus, omnia verax,
Te verum dominum cuncta creata probant.
Ergo fuga densas, o lux inmensa, tenebras,
Detege mendosos luminis ore globos.
Non confundantur mites te principe pacis,
O fili David, o Salemone prior;
Sed confundantur mendosi daemonis arma,
Quis inopes contra sibilat aspis oves.
Tu leo de Iuda, tu rex, (tu) splendide Christe,
Vince latebrosas luce nitente strophas.
Claresca cunctis erroris et atra caverna,
Unde serit piceas falsa loquela faces.
Tu quondam fueras castae fautorne Susannae,
Testes falsidici nec valuere viri?
Non illis geminus numerus, non cana vetustas
Profuit, haut fusum falsa per ora malum;
Sed te veraci domino, te iudice summo
Sorpserunt reprobos Tartara caeca viros:
Qui dilexerunt mendosis figmina plastis,
Inter mendosos praemia digna luunt.
Magne, tui victrix sic splendet celsa potestas,
Cuius in aspectu nubila falsa cadunt.
Tu solus nobis sis iudex, Christe, benignus,
Alto deque throno propitiare tuis.
Credimus altithroni genitum te, maxime rector,
Speramus mitem mitibus esse ducem:
Ergo tuis famulis alienae sarcina molis
Non apponatur iudice te domino;
In te sperantes non confundamur in aevum,
Sceptri virga tui frangat inorme nefas;
Iustitiae trutinam manibus rege, candide iudex:
Vera volent sursum, vergat in ima malum.
Tu nobis clipeus, tu sis turrisque salutis;
Maxime, tu minimos respice, Christe, tuos.

LVII.

ITEM DE IPSO FALSIDICO TESTE.

Quid mendosa tibi retulit vulpecula, pastor?
Fors eructavit, quos bibit illa dolos?
An tetros vomuit carbones ore nigello,
Garrula gannivit subdola verba sonans?
Forsitan occlusis mortem sibi finxit ocellis,
Prendere quo superas arte valeret aves?

---

5 deus] dr *C i. e.* dicitur *pro* dꝰ 11 demonis *C* 13 tu *add. Pirenne* 19 uenustas *C corr. Manitius* 20 Profluit *C corr. Pirenne* [LVII.] *ed. Grosse p.* 11

[LVI.] 29 *Aen. VIII,* 572 divom tu maxime rector. [LVII.] 4 *cfr. XLI,* 84. 5 *sqq. de apologo quem tangit cfr. Voigt ecbas. capt. p.* 58.

An rufa per mentum sub ovina veste latebat,
Ne quis eam noscat matris habere strophas?
An tortis pedibus giros contexuit illa,
Obliquos peragens cursibus illa cyclos?
Forsitan et vobis retulit, quod limphida Mosa
Iam nullos pisces, nulla fluenta tenet? —
Sed tu, celse pater, iusti speculator et aequi,
Vibratis oculis figmina falsa nota:
Quomodo noctigenas dispellit Lucifer umbras,
Lampade iustitiae sic renitesce tuis.
Igniscat zelus recti te iudice, quaeso,
Fulminea norma destrue grande nefas.
Sint perturbati, qui turbavere serenos,
Nec sileat cyclicae formula iustitiae.
Cornuta facie ceu Moyses esto coruscus,
Ceu iudex Daniel destrue falsa minax.
Scandala sint olli, qui nobis scandala movit,
Scandala qui loquitur, scandala quique facit. —
O polus o tellus o Titan o mare magnum,
Exaudite meum carmine vos gemitum.

LVIII.

ITEM RITHMICI UERSICULI.

'Bonus vir est Robertus,
Laudes gliscunt Roberti,
Christe, fave Roberto,
Longaevum fac Robertum,

Amen salve, Roberte,
Christus sit cum Roberto' —
Sex casibus percurrit
Vestri praeclarum nomen.

Nam lapis bene gestis
Sexangulus coruscas.
Te lapidem descripsi?:
Fors durum verbum dixi.

At ne sim lapidatus,
Vos obsecro per limphas
Proque duro sermone
Bachus sit mi in ore.

Si durus sermo meus,
Assit mihi Liaeus:
Dives inopsque gaudet
Nam vestra pietate.

Vix vobis est aequalis
Iuxta fluenta Mosae:
Hoc retulit Mosella,
Hoc celebrat et Rhenus.

Hoc mille tonant tonnae
Puro plenae Lieo
Ingentesque bachones
Et cornuti multones.

Multiplices (sint) gazae
Christi dono collatae,
Sis licet doctus verbo:
Es doctior in corde.

Es pater inter patres
Et sophus inter sophos,
Imbres seris dicaces
Ex flumine Iordanis.

Nam instruis perfusus
Caelesti rore mentes
Et construis sublimem
Tendens in astra turrim.

---

7 rubra *Haupt* 20 *ciclicę] silice *C* [LVIII.] *ed. Grosse p.* 6 1 Rotbertus *iusta opinor forma est cfr. p.* 201 10 sex anglulus *corr. C* 16 mihi *C corr. Gr.* 29 *sint *om. C* (que) *Grosse* 37 *perfusas *C*

7 *Aen. VI,* 406 qui veste latebat. 25 *Aen. V,* 628 per mare magnum. [LVIII.] *cfr. XXXVI.* 10 *Cfr. VI,* 63.

Felicibus et visis
Superna specularis:
Ex sopho m⟨i a⟩latus
Nunc angelus clarescis.

Vere florente mundo
Te gaudeas beatum
Post longa saecla patrem
Montis Sion in arce [ceu Lucifer in caelo].

Qui tristibus Falerna
Largiri gaudes dona,
Poteris fonte vitae
Alma sanctorum sorte.

Nec tanta de Siloa
Grata manant fluenta.
Haec suxi — non negabo,
Haec sugam: sicera, abi.

LVIIII.

INCIPIUNT RECIPROCI UERSUS SCRIPTI DOMINO IMPERATORI LOTHARIO.

Fulgide Caesar, ave, nunc mundi doxa, Lothari,
Flos magni Karoli, fulgide Caesar, ave.
Qui genitore pio genitus de Caesare Caesar
Natus et Augustus qui genitore pio. —
Rex benedictus adest Karoli benedicta propago;
Nunc laetare, Sion: rex benedictus adest.
Flos micat ecce virens et Christi palmes honustus;
Spargamus flores: flos micat ecce virens.
Maior honore cluit Francorum duxque serenus:
Excipe nunc, Maie, maior honore cluit.
Lucifer hic renitet, pascha qui forte latebat;
Omnes laetemur: Lucifer hic renitet.
Dum rosa non aderat, hic festo tempore paschae
Pulcher adest Caesar, dum rosa non aderat.
Qui roseus fuerat Lantbertus namque beatus,
Excipit ecce rosam, qui roseus fuerat,
Praesul et Hartgarius Lantberti nobilis heres,
Diligit Augustum praesul et Hartgarius.
Mosa, tuum specimen Musis modulare canoris;
Ceu Rhenus celebra, Mosa, tuum specimen.
Heridanus fluvius nam novit Caesaris almum
Nomen et exultat Heridanus fluvius.
Hic vir, hic armipotens, meritum qui tollit in astra;
Hercule fit potior hic vir, hic armipotens.
Hic tuus est Salemon, felix o Francia, gaude:
Pacificus princeps hic tuus ⟨est⟩ Salemon.
Stemmate iustitiae nec non pietate serenus,
Enitet hic rutilus stemmate iustitiae.
Lilia pacis amat bellorum mixta rosetis,
Candidus hic rector lilia pacis amat.

---

43 *in latus *C* in(fo)latus *Duemmler* 48 Ceu lucifer in celo *C* **est alia lectio pro* 48 *priore parte* 53 siola *C corr. Duemmler* 56 *sicera abi] sibi spero *C* [LVIIII.] *ed. Duemmler Sedulii carmina p.* 25 *sq.* 16 roseam *C corr. Duemmler* 23 hic] h *ex* a *C* 24 Herculę *C* 25 ante Francia *del.* gaudium *C* 26 est *add. Duemmler*

[LVIIII.] *nescio cuius anni mense Maio scriptum.* 17 *XVIII,* 9. 21 *e. g. Ge. I,* 482.

LX.

DE ADVENTU IMPERATORIS LOTHARII.

Corde gaudemus hilares sereno,
Dum redit Caesar pius ac serenus
Conferens secum bonitate dulcis
Gaudia pacis.

Totus exultat populusque vernans,
Omne congaudet decus atque sexus:
Gloriam Christo recinunt ovantes
Quo redeunte.

Lucifer nobis rutilat venustus,
Franciae sidus super astra notum,
Rector Augustus pietate plenus
Sceptriger orbis,

Nobilis palma ecclesiaeque tutor,
Martius heros rutilans in armis,
Aureum Romae specimenque magnae,
Gloria saecli.

Rex tuus mitis, sapiens, honorus,
Pacifer ductor Salemonis instar
Nunc venit Caesar, tuus, alma, princeps,
Filia Sion,

Floridus palmes generans corimbos,
Vineae Sorehc sacrosancta proles
Atque rumore speciosa cedrus,
Regia stella

Murus est ingens clipeusque fortis,
Fidus adiutor, gladius salutis
Plebis excelsae populique magni
Rex benedictus.

Vosne Nortmanni tremuere cuncti?:
Dum videt vestras acies coruscas,
Fugit ad classes volitante cursu
Hostica turba.

Splendor armorum superavit hostes,
Solus aspectus ducis atque magni:
Hinc timor plantis pedibusque nudis
Addidit alas.

Nulla spes restat nisi sola navis,
Hinc cavernosas petiere sedes:
Arma perhorrent trepidi timore
Principis almi.

Talis exarsit tibi, celse rector,
Zelus adversus Belial phalanges
Nec tibi inventus similis vel unus,
Unice Caesar,

Sicque Francorum decoratis almum
Nomen ac famam seritis per orbem,
In libro vitae meritumque clarum
Conditis astris.

LXI.

VERSUS AD BERTAM.

Maternum specimen, patrium decus, alma venustas,
Sancta columba dei, Berta beata, vale.
Caesaris egregii proles benedicta Lothari,
Flos Ermingardis matris et altus honos —
Solus in orbe suum Caesar hoc pignus habere,
Hanc prolem meruit regius ille suam.
Qua rectrice pia non altera fulsit in orbe
Sanctior aut potior nobiliorve parens;
Moribus in sacris excelluit alma potestas
Fulgens ceu rutilo splendida stella polo;
In terris habitans sapiebat gaudia regni
Caelestis Solimae semper amore virens:
Vix similem habuit sub caeli cardine mundus,
Nullus et armipotens Caesar habere potest.

[LX.] *ed. Duemmler ib. p. 26 sq.* 2 pius] auis *corr. C*[1] 9 honustus *corr. C*[1] 22 sorech *C cfr. p. 171* 27 excelsi *C corr. Duemmler* [LXI.] *ed. Pirenne p. 65 sq.* 3 lotharii *C*

[LX.] 35 *sq. Aen. VIII, 224* pedibus timor addidit alas. [LXI.] *cfr. XLIII.*

In vobis redolent cuius nunc stemmata morum,
Indole praeclara matris imago micat;
In vestrae mentis speculo sapientia claret,
Fervet amor Christi cordis in arce tui;
Norma pudicitiae vos estis luxque serena
Non dispar matri consimilisque patri:
O quam felices rector rectrixque parentes,
Hanc margaritam qui genuere novam.

LXII.

ITEM.

Te, beate rex, precamur ore corde mentibus,
Quo serenus atque mitis des serena tempora:
Ecce nunc aquosus aer imbre rura perluit,
Uberes agros, vides, ut uber unda dissipet.

Quaesumus, superne rerum temperator omnium:
Frugibus sit te regente blanda temperatio;
Cum precamur, alme rerum, te, imperator omnium,
Vitibus sit te dicante fertilis serenitas.

LXIII.

DE PASCHALI FESTIVITATE SEDULIUS CONPOSUIT.

Haec est alma dies, sanctarum sancta dierum,
Veris pulcher honos signiferique decus;
Hic est namque dies, dominus quem fecit Iesus.
In quo laetatur cosmicus orbis ovans. —
Crinibus hunc niveis, croceo vestitus amictu
Solis ab exortu Lucifer ecce stupet,
Clarus et occiduis rutilascit Vesper in horis
Atque sui domini noscit amore diem. —
Vernat stelligeri Septemtrio cardine caeli
Haec septenaria lampade festa colens:
Aegypti tenebras dispellit luce Canopos
Ac sic lucifluos spargit ab ore globos. —
Aurea sideream transcurrit Luna per aetram
Gestans sceptrigerum nunc diadema novum
Ipsaque celsithroni miratur cornua Christi
Exaltata sui principis ac domini. —
Titan gemmigeri centrum conscendit Olimpi,
Ardens flammivomis emicat ecce rotis:

19 pudiciae *C corr. Pirenne* [LXII.] *ed. Grosse p.* 6 6 temperacio *C* 8 Vitibus te uincante *corr. C*, *ferulis *C*, Vitis sit te vilicante sphaerulis s. *Haupt* *post* LXII *nullo interstitio sequitur Caeduallae epitaphium ex Baedae hist. Angl. eccl. V*, 7 *ed. H. p.* 236 *sq. sumptum, non ex Pauli Diaconi Lang. hist. VI*, 15 *ed. W. p.* 169, *cfr. Mai. auct. cl. V*, 403 *sqq. et de Rossi apud Leonem ed. Fort. p. XXVI; ex Cusano edidit Pirenne p.* 66 *sq., ubi corrig.:* 19 uidit (*C*) 26 die (*Baeda;* ℣ *C*) XII ma KL. MAIAR.; 17 supremo *contra Maium et* Britanni *contra Pirennium tuetur Ermold. in hon. Ludov. III*, 13 (*II*, 41) [LXIII.] *ed. Duemmler Sedulii carmina p.* 27 *sq.*

Victorem celebrat Christum rota fulgida Solis,
Dum fit nocte nitens maior in orbe dies. —
Tellus florigeras turgescit germine bulbas,
Floribus et pictum gaudet habere peplum.
Nunc variae volucres permulcent aethera cantu,
Produnt organulis celsa trophea novis. —
Exultant caeli, laetatur terreus orbis,
Nunc alleluia centuplicatque tonos.
Nunc chorus ecclesiae hymnizans cantica Sion
Ad caeli superos tollit osanna polos.

LXIV.

QUODDAM PROBLEMA.

Fucata est veritas et, si inventa fuerit veritas, neque erit aequitas. Item: si fuerit aequitas, neque invenietur veritas.

IDEM DE IPSO PROBLEMATE.

Inventum fuerit si verum, non erit aequum:
Attamen est aequum felicis nactio veri.
Aequum si fuerit, tunc rectum non erit aequum,
Quamvis sit verum non falso nomine dictum.

Nascitur ex aequo, quod iam mox abdicat aequum:
Sic ex non aequo nos aequum cernimus esse.
Si verum fuerit, quod et aequum, scire memento:
Non erit inventum seu verum sive quod aequum.

Aufertur vero verum rectoque quod aequum:
Heu bona quanta bonis sunt hic contraria rebus.
Qui quaerit verum, neque nanciscetur in aequo,
Cum tamen est rectum, si verum repperit ipsum.

Fit satius dominis, si falsum sit quod et aequum,
Aequum fitque magis, verum tollatur ab aequo:
Res eadem nunc vera manet, modo falsa relucet,
Nunc non aequa cluit, nunc servat pondus et aequi.

LXV.

AD LEUTBERTUM EPISCOPUM.

Corde laetamur hilares sereno,
Dum redit praesul, decus atque blandum
Conferens secum populo benigne
Gaudia pacis.

Est iubar praesens: tenebrae recedant;
Pontifex almus pietate plenus
Ecce Leutbertus rutilat beatus
Gloria terrae.

Nunc papae vultus radiat nitore,
Arboris sacrae benedicta virga,
Floribus pollens bonitatis actu
Ceu rosa claret

Ecce paschalis renitetne stella?,
Cuius adventu hilarescit omnis
Dives et pauper, populusque vernat —:
Spargite flores.

---

21 *bullas *C* [LXIV.] *ed. Pirenne p.* 67 *sq.* furata *C tacit. corr. Pirenne* 3 Equum *et sic passim C* 11 querit *C* 13 sacius *C* [LXV.] *ed. Duemmler Sedulii carmina p.* 28 12 paret *corr. C*[a]

[LXIII.] 23 *Cfr. XLIX,* 3. [LXIV.] *Aenigmatis solutio mihi videtur INIQUITAS.* [LXV.] *Leutbertus episcopus Monasteriensis* (849—871) *cfr. Duemmler Sed. carm. p.* 2 *adn.* 10. 1—4 *Cfr. LX,* 1—4.

Cui dedit Christus sua sacra dona:
Infolam sanctis meritis nitentem
Corque tranquillum caritate comptum —
Francia gaude.

Palma cui triplex fabricatur astris:
Una nam claret probitate cordis,
Alteram comit tuba dulcis oris
Praesulis almi,
Tertiam palmam decorat beatam
Inclitum factum bonitate plenum,
Dapsilis dextrae pietate pollens
Larga potestas.

Hunc, deus, serva populo patronum,
Qui regat plebis nitidas bidentes;
Pascuae vitae mereatur astris
Prendere caulam.

LXVI.

DE ADVENTU FRANCONIS EPISCOPI SEDULIUS CECINIT.

Aureum sidus pietate fulgens,
Inclitus praesul, pretiosa lampas,
Nunc redit nobis bonus ecce pastor,
Gloria nostra,

Nunc iubar pulchrum renitens decore,
Germinis celsi viridisque virga,
Quae secus cursus redolens aquarum
Palma virescit.

Ecce gaudentes resonamus odis:
Deserit maeror speculumque mentis,
Plena fulgescit radiisque Luna
Vos venerando.

Ecce Lantberti benedictus heres:
Cuius adventu hilarescit omnis
Plebs et exultans sua vota noscit
Te rec⟨olentem.⟩

Unde venisti, rutilans topaze?:
Fors Eden gratis latuistis hortis,
Arboris vitae quia poma fertis
Dulcia nobis.

Zelus an divi Finees in ara
Cordis exarsit tibi, clare praesul,
Filios contra Belial superbos
Munere Christi?

Hincque Nortmannus trepidabat hostis?:
Intuens vestras niveas phalanges
Fugit ad naves, latitans in amne,
Ocior Euro;

Optat alatis volitare plantis,
Franciae taedet tetigisse fines
Arma perhorrens nimio pavore
Caesaris almi.

Gratus est nobis tuus, alme, vultus:
Gratias Christo referamus omnes,
Quod pii patris specimen coruscat
Stemma decoris.

Quaesumus patrem, patris atque prolem,
Spiritum sanctum: sua dona nobis
Septies fundat redolens aroma
Hic et in aevum.

LXVII.

AD EVERHARDUM COMITEM.

Inclitus ecce comes rediit lumenque serenum,
Armipotens ductor nunc Everhardus adest,
Quem nobis Alpes, quem Longobardia misit,
Excipe praeclarum, Francia, laeta virum.
Floridus advenit cunctis in gaudia palmes,
Splendor Francigenum Christicolumque decus.

---

18 infulam *corr. C*^{a} 19 *castitate *C* probitate *Haupt* 32 *Pendere *C* [LXVI.] *ed. Duemmler ib. p.* 28 *sq.* 13 lamberti *C* 16 *om. C* *te decus *add. C*^{a} 18 oris *C corr. Haupt* 21 an diui *Duemmler*] audiui *C* 30 tedet *C* 33 *ante* tuus *del.* almus *C* 35 choruscet *C tacit. corr. Duemmler* 39 septiens *corr. C* 40 in *add. C* [LXVII.] *edd. Duemmler Jahrb. f. vaterl. Gesch. I,* 185 *sq. et Grosse p.* 12 EVE | RDHARDV̄ *C* 3 remisit *C corr. Duemmler*

[LXVI.] 27 *sq. Aen. VIII,* 223 fugit ... ocior Euro. 29 *Aen. IV,* 259 alatis ..... plantis. 31 *Cfr. LX,* 39. 39 *Cfr. ad Audrad. supra p.* 80 *v.* 243. [LXVII.] 3 *Cfr. infra LXXVII,* 7.

Doxa triumphalis bellis ac Martius ardor
Hunroci proles haec benedicta nitet.
Affrica quem trepidat, horret Maurusque nigellus;
Tu, Saracene, tremis bellica gesta viri;
Roma sed admirans ducis inclita facta beati
Italiae clipeum gaudet habere pium.
Pulchrior hic auro, pretiosior atque topazo
Moribus in cunctis eminet iste bonis:
Protegit hunc Christus clipeo gladioque salutis,
Lorica fidei, sic galeaque spei;
Non hunc aequiperat Hector, non magnus Achilles,
Forsan eum Gedeon assimulare potest.
Est bonitatis amans; placidae fit pacis amator
Hic dux bellipotens, sidus in orbe micat:
Iustitiae pennis per scalam scandit Iacob
Nec mancus dextra splendida dona serit.
Cui sub corde pio dives clementia pollet,
In cuius vultu gratia blanda nitet,
Cuius et in claris fulgescit gloria gestis —
'Alma Maria,' rog⟨o⟩ 'et protege, Christe, virum'.
Inter Francigenas sublimi vertice palmas
Hic pius atque bonus florida palma viret.
Mitibus est mitis, miseris fit dapsilis ille,
Moribus in sanctis est ovis inter oves;
At si quando viro zelus fervescit in ara
Cordis, fit subito maximus ipse leo:
Non illum terret sonitus clangorque tubarum,
Sed neque Normannos inclitus ille timet. —
Obsecro: ferte viro, victrices ducite palmas
Bellorumque rosis, vos, decorate virum.
Diligit is Christum: sic Christus diligit illum,
Per hunc ecclesiae cornua clara levans.
Discite Francigenae, cuius vos discite gesta,
Virtutes clari mente tenete viri.
Hunc pater, hunc genitus, hunc sanctus spiritus, oro,
Magnificet terris glorificetque polis.

LXVIII.

AD GUNTHARIUM COLONIENSEM EPISCOPUM IDEM SEDULIUS.

Fontibus in liquidis versatur vestra Camena
Nec torrens Cedron conmaculavit eam,
Pegaseos haustus despexit vestraque Musa:
Sed fontis Siloa sacra fluenta bibit.

---

26 *roget *C* 28 bonas *corr. C* 37 diligat xp̄c illū *corr. C* 41 spiritus sanctus *C corr. Grosse* [LXVIII.] *edd. Duemmler Sedulii carmina p.* 29 *et Nolte rev. d. scienc. eccl.* 1877 *p.* 279 4 syloa *C*

8 *sq. Cfr. XXV,* 21 *sq.* 15 *sq. Cfr. Sed. I* XVI 37 *sqq..* 17 *Amat. II,* 711 magnus Achilles. 22 *Fort. e. g. III,* 8, 28 splendida dona dares. 31 *sq. Cfr. LXVI,* 21. 33 *Cfr. Sedul. I* VIII 27. [LXVIII.] *Guntharius* (850—863) *episcopus Coloniensis.* 1 *Ecl. II,* 59 liquidis .. fontibus .. 4 *Fort. V,* 3. 18 Unde animae vivo fonte fluenta bibant.

Ast neque Parnasi dignatur visere colles
Montis in arce Sion vestra Talia sonans:
Aedibus in nostris vestri chelis organizavit,
Fistola vigenis personuitque tropis.
Armonicen videas melicas depromere voces,
Quam vix Orpheus Trax similare potest,
In quis praedives vestri clementia cordis
Erga Sedulium tunc patefacta sophum:
Hinc vicies refero vobis de pectore grates,
Quas septimpliciter multiplicare libet.
Ditior Heridano sis, florentissime praesul,
Pactolus vobis aurea dona fluat,
Montis oliviferi viridis nec desit oliva,
Limphida vina Sorehc vinea vestra ferat
Nectareaeque tonent te nobis, optime, tonnae,
Aspris nascantur prospera quaeque locis.
In Christo valeas, vestri valeatque Camena,
Indiget haut nostra quae neque lauta poa.
Pulcher versificus nam pulchras condidit odas,
Formavit niveas pastor amoenus oves.

LXIX.

IDEM AD EUNDEM DE BIBLIOTHECA.

Aspice pandecten vitae de fonte scatentem,
Ubere quae gemino clara fluenta serit.
Hic Geon, Fison, Eufrates, Tigris et amnis
Potant Christicolas nectare quosque pios.
Mel caeleste, fluens oleum, lac suaveque vinum
Ydria metretis hic redoletque novis.
Mystica nam tropicis anagoge floret in arvis,
Arboris hic vitae dulcida poma virent.
Hoc opus egregium Guntharius, inclita lampas,
Sedis Agrippinae pontificalis apex,
Vovit clavigero munus hoc scriptile Petro:
Cephas, Christe, pio praemia ferte viro.
Vos videamus, amen, Septembri mense beatos,
Post scenophegian vos videamus, amen.
Gloria te domino nobis clarescit in aeva,
Aurea gliscat — amen — gloria te domino.

---

15 dicior *C* 18 uestra] ua *corr. C*^{1} 19 optimę *C* 20 Aspis *corr. C*^{1} 22 nuro *C corr. Duemmler* [LXIX.] *edd. Duemmler ib.* 29 *sq. Nolte ib.* 280 3 fyson *C* tygris *C* 4 christicolos *C corr. Duemmler* 5 sauaueque *corr. C* 16 gliscit *Nolte*

15 *Fort. V. M. I,* 128 Largior Eridano. 16 *Cfr. e. g. Aen. X,* 142. [LXIX.] 1 *Cfr. Wattenbach Schriftwesen*^{2} *p.* 125 *sqq., adde e. g. Alcuin orth. ed. K. VII,* 306, 16 Pandectes omnia ferentes: ideo vetus et novum testamentum, si insimul scribitur, pandectes dicitur. 3 *cfr. e. g. Fort. V. M. II,* 77. 10 *Fort. e. g. IV,* 8, 8 pontificalis apex.

LXX.

IDEM AD EUNDEM.

Tempora iam volitant cyclicis fugientia pennis,
Gliscit plaustrigeri concava spera poli,
Fugit September, properans October anhelat,
Autumnus finem tendit ad usque suum,
Cana hienps celerat glacialibus horrida crustis
Et fert nubigenis nubila tristis aquis.
Tu solamen eras, spes nobis, inclite praesul,
Adversus tumidi flamina dira Nothi.
Heu — bruchus timidus fors hic torpebo latebris,
Visere dilectum non valeoque meum?
Horrida plus aspris sunt haec mihi tempora ramnis,
Quod mihi sophistae pastor amoenus abest.
Pro tenebris lucem reputo, pro nocte lucernas,
Heu, quia nec claram lampada cerno meam.
At cum parebit cunctis praedulcior ille:
Cedite vos ramni, nox et abito nocens:
Nubila tristitiae tunc linquent corda piorum,
Tunc pax et requies paschaque mentis erit. —
Gratia vos domini multis comitetur in annis,
Gratis glorificet gratia vos domini.
Sum memor ecce tui — testatur parva Camena —;
Sis memor, oro, mei: sum memor ecce tui.

LXXI.

IDEM AD ADDONEM ABBATEM.

Dextra potens domini te ducat, frater amande,
Mox properans hilaris quo remigrare cupis.
Rheni glaucicomas superetis, quaesumus, undas
Nec vobis noceant Scylla, Caribdis — amen;
Dehinc transcursis Iordanis rite fluentis
Vosmet cornipedes excipiantque sophos;
Posthaec et Solimam laeti cernatis opimam,
Qua domus est domini plus Salemonis ope —
Qua gaudet Solima per multum Francia felix,
Europae totus quin etiam populus;
Qua pausat rutila martyr Bonifacius aula,
Cuius laus, meritum transit honosque polum,
Instar apostolicum roseo diademate comptum
Purpureum sidus terrigenumque decus —.
Postquam Haddonis libetis et oscula pacis,
Exantlate pio talia verba patri:

[LXX.] *ed. Grosse p.* 13 2 Ceu scit *C corr. Duemmler* plaustigeri *C* 5 *celebrat *C* 7 spe *C corr. Duemmler* 8 tumida *corr. C* 18 pascaque *C* [LXXI.] *ed. Duemmler Forschungen zur Deutschen Gesch. V,* 394 *sq.* 14 trigenumque *C corr. Duemmler* 15 addonis *C corr. Duemmler* 16 Ex atlante *C corr. Duemmler*

[LXXI.] *Hatto abbas Fuldensis* (842—856) *ut Duemmleri opinio fert adpellatur.* 4 *Cfr. e.g. Aen. VII,* 302.

'Frater Sedulius casiae de flore salutans
Exoptat vobis prospera quaeque probis.
Quot flores ligno vitae, quot poma virescunt,
In paradisiacis cinnama quotque locis,
Quot liquidae manant guttae de fonte Siloa:
Vobis ambrosios tos vovet ille scifos.
Vestros atque dies multiplicet alma potestas,
In terra meritum multiplicetque polo.
In domino valeas, pastor bone, grexque decorus
Sive rosae iuvenum, lilia sive senum.
O mihi iam liceat mox tales visere stellas,
Per quas terra micat, quas paradisus amat.
Eden ut videam, gaudens illic requiescam,
O pater, huic — avido — propitiare viro.'

LXXII.

SEDULIUS CECINIT.

Angelus altithroni comitetur vos, rogo, fratres,
Vestrae norma viae ne salebrosa fiat,
Sed duce grammatica vos ars cornupeta fandi
Protegat et scuto sacra Sophia suo;
Cuius suxistis teneris vos ubera labris,
Musica non absit dulcisonumque melos;
Messias vobis succenturiatus ubique,
Sit ver florigerum, sit ariesque poli;
Ethica Christicolas ducat cosmeta sophistas
Illuc, Iordanis quo fluit unda ferax.
Hinc vestri Solimam hilares cernatis opimam
Cultu divitiis nobilibusque viris.
Qua Bachus regnat, sedes et Musa locavit,
Urbs, colit, es felix, quam deus atque dea;
Incli⟨ta⟩ te Stephani sed maior doxa celebrat,
Unde levas gnatos mater in astra tuos.
Te pater, alma parens, Adventius, aurea lampas,
Moribus exornat pastor et ore rethor,
Quem domini gratis chrismavit ⟨st⟩illa tonantis,
Quo regat is niveas papa beatus oves.
Cuius aromaticum transcendat sidera votum,
Vincat Pancheos turibulumque thimos;
Cuius libetis, rogo vosmet, ut oscula pacis:
Dicite cordaci florigeroque patri:

---

17 *salutes *C* 18 uobis *C*] *del. et adscr.* probis *C*^{s} *cfr. XIX,* 6 *p.* 185 19 Quod *C corr. Duemmler* [LXXII.] *edd. Duemmler Sedul. carm. p.* 30 *sq. inde a* 24 *Pirenne p.* 69 5 tenebris *C corr. Duemmler* 8 sis *C corr. Duemmler* 15 Inclite *C corr. Haupt* 17 advencius *C* 19 *ille *C inter* 23 et 24 *positus est n. LXXIII in C*

30 propitiare *imperat. deponentis* propitiari *ex Vulgatae usu,* avido *mihi videtur scripsisse pro* aveo, *cum in glossarum quodam libro legisset* auido] cupio *pro* cupido *cfr. Placid. ed. Deuerling. ad p.* 8, 7. [LXXII.] 17 *Adventius episcopus Mettensis* (858—875) *cfr. Duemmler Sedul. carm. p.* 2 *adn.* 10. 24 cordax *i. q.* cordatus *cfr. Engelbrecht Sitzgsber. d. Wien. Ak. CX,* 466.

'Nomina quot nitidis, quot verba loquacia cartis,
Flamina quot Musae mellifluique tropi,
Vobis Sedulius vernanti corde sophista
Tot paradisiacas, plus et adoptat opes.
Quaeso memento mei, Musis dignissime praesul,
Aligeris precibus, quaeso, memento mei.
Sum memor ecce tui, resonat ceu parva Camena;
Sis memor, oro, mei: sum memor ecce tui.
Norma beata queas prolixis vivere cyclis,
Vivere lux populi, norma beata queas.'

LXXIII.

Adventio domino papae deus donavit
Gloriam et honorem atque thronum Stephani.
Est ille vir pastor clarissimus et
Sapiens et prudens ecclesiarumque amor.
Hoc non est in terra benignior alter,
Egregius factis decorus isque verbis,
Pietatis regulas, caritatis tenensque palmam.
Quem, mundi salvator, conserva virum clementem.
Pretiosus atque lapis semper sit topazus
Sectator Stephani Francorumque lucerna.
Christum rogo patris genitum maximi:
'Hunc terra rege, glorifica inque Sion.'
Ubi regnat dominus gloriae paschaque Christus,
Omnes ibi simus corona beati.

LXXIV.

I D E M.

Aut lego vel scribo, doceo scrutorve sophian:
Obsecro celsithronum nocte dieque meum.
Vescor, poto libens, rithmizans invoco Musas,
Dormisco stertens: oro deum vigilans.
Conscia mens scelerum deflet peccamina vitae:
Parcite vos misero, Christe Maria, viro.

LXXV.

I D E M.

Sacra Camena, refer: quis te decoravit amictu, POETA
Quis laetam faciem reddidit atque tuam?
Aut quis laurigera cinxit caput, oro, corona,
Unde micas alba pulchrior en edera?

[LXXIII.] *ed. Pirenne p.* 68 *sq.; prosa est quam Sedulius versificaturus si licuisset erat: e. g.*

A domino meruit gratis Adventius almum
Ecclesiae specimen atque thronum Stephani *etc.*

3 pastor *add. C*[2] 5 Hac *C corr. Pirenne* in *bis C* 10 Sectatur *C corr. Pirenne* [LXXIV.] *ed. Duemmler Sedulii carmina p.* 31 4 sternens *C corr. Wattenbach* [LXXV.] *ed. Duemmler l. c. p.* 31

25 *sqq. Cfr. XXVI,* 5 *sqq.*. 26 *Cfr. infra LXXV,* 10. [LXXIV.] *Cfr. anth. l. ed. R.* 26.

3 *Baeda orth. ed. K. VII,* 288 rhythmizo] modulor. 5 *Fast. IV,* 311 Conscia mens recti famae mendacia risit.

Inveni magnum — fateor tibi, Tyrsis — Homerum, CAMENA
Inveni Musas organicosque tropos:
Dextera praepollens Gunthari praesulis almi
His ornamentis me decoravit ovans.

Me docuit dulces Musarum farier odas:
Doctior is Phebo Musica flabra sonat.
Cuius in aspectu nihil est crinitus Apollo:
Glorifica vatem quem, bone Christe, patrem.

Talia cantando salve, benedicta Camena, POETA
Et, qui te compsit, salvus in aeva fiat.
Si tibi tanta dedit, speramus nosne beari?:
Speramus papae saecla beata fore.

LXXVI.

Laetamur subito tranquilli mente serena,
Dum tranquillus adest nobilitasque potens:
Glorificum nobis dominum lumenque coruscum
Misit Hildwinum dextra superna dei.
Fistola nostra sonet, melicis et concinat odis
Sambucae superans bambiliique tonos.

---

9 decorauit *corr. C* *post* 16 *sequitur in C* AD CRVCEM DOMINICAM *ed. Pirenne p.* 69 *inter Alcuini opera editum a Quercetano et Duemmlero poet. Karol. I,* 344 *CXIV 1* 1 *sq., tum* ITEM *ed. Pirenne ib. exstat inter Alcuini opera l. c. p.* 345 *v.* 5 *sq., tum id quod Duemmler edid. Sedul. carm. p.* 32 *XXXV:*

SVPRA PORTAM VRBIS QVE DICITVR PORTA SANCTI PETRI.

Innovat antiquum melior pictura decorem,
Sanctorum meritis frons reparata micat.
Nunc caelo est similis, vere nunc inclita Roma,
Cuius claustra docent intus inesse deum.
Ianitor ante fores fixit sacraria Petrus:
Quis neget has arces instar habere poli?
Admitti ad caelos mortalia corpora credas,
Sub pedibus domini dum pia porta patet.
Pestes bella famem insidias casusque nefandos
Erecta omnipotens arcet ab urbe manu.
Non hic fallacem lusit pictura decorem:
Sed domini populos urbs titulata probat.
Parte alia Pauli circumdant atria muros,
Hos inter Roma est: hic sedet ergo deus.
Sic oculis hominum Christi praestatur imago:
Nam verum sola cernere mente licet.

I T E M.

Lętior occubuit Paulus cervice secanda:
Cui caput est Christus, despicit ipse suum.

Seduli non est, e cod. Palat. 833 *fol.* 57 (*secundum Mai script. vet. V,* 31 *et* 158) *Gruter edidit inter epigrammata Christiana* 1 *sq. MCLXX* 10 1 *sq.* 2 *sq. ib.* 12 1 *sq.* 5 *sq. ib.* 8 1 *sq.* 7 *sq. ib.* 11 1 *sq.* 9 *sq. ib.* 10 3 *sq.* 13 *sq. ib.* 8 3 *sq.* 15 *sq. ib.* 11 3 *sq.* 17 *sq. MCLXIIII* 8 1 *sq.* 11 *sq. non repperi, sed de tota re G. B. de Rossi adpellandus est* [LXXVI.] *ed. Duemmler ib. p.* 32 *sq.* 4 hilduunum *C* 5 *concinet *cfr. p.* 185 6 *bunibulique *C cfr. cod. Vat. epithal. Laurent. ed. Bs. p. l. m. III,* 299 *v.* 63 bombuliique *Haupt*

[LXXV.] 10 *Eugen. Tolet. carmen philomel. (cfr. supra p.* 126) 4 Et superat miris musica flabra modis. 11 *Fort. III,* 24, 2 Cuius in aspectu. [LXXVI.] *Hilduinus Cameracensis episcopus* (862—63) *cfr. Duemmler Sed. carm. p.* 2 *adn.* 10.

Quem nobis Rhenus materque Colonia misit,
Excipe praecelsum, limphida Mosa, virum.
Hic vir namque viret florens velut arbor amoena
Virtutum liquidis imbrificata tropis,
Ecclesiae specimen, paradisi fertilis arbor
Nec cedens ventis turbinibusque feris;
Flamina non ipsam terrent fluctusque minaces:
Namque super petram stat bene firma suam;
Fert roseos flores bellis, fert lilia pacis
Et viret in foliis semper honusta novis;
Dulcida poma gerens doctrinae spirat odores,
Pistica quos nardus vix simulare potest;
Hanc neque cana hiemps spoliat quassantibus Euris
Nec scit in adverso perdere mala Notho;
Floribus immo magis fructuque redundat opimo,
Gliscit et ad superos cedrus ut alta polos:
Ecclesiae decus est haec arbor et aurea lampas
Florens in Solimis gloria, Rhene, tuis.
Rhene, tuis Solimis fama celebraris in orbe —:
Te magis Hiltwini lux decoratne tui?
Est sophus ille pater, sophian diligit ille,
Mentis et est sophicis praeditus ipse gazis;
Potavit liquidos divini nectaris haustus
Fonteque de vitae sacra fluenta bibit;
Actibus insignis sexangulus ille topazus
Inter Francigenas norma venusta nitet. —
Christe deus, talem cyclicis, rogo, protege giris
Atque para largo castra beata viro.

LXXVII.

ITEM.

Floridus ecce venit: campi, florete patentes;
Florescant silvae: floridus ecce venit.
Tempora veris aves celebrant crispante susurro,
Produnt organulis tempora veris aves.
Obsecro: prome tonos, septimplex fistola Musae;
Exuperans cignos, obsecro, prome tonos.
Rex venit ecce pius: regalem texe camenam;
Dicite vos, Musae: rex venit ecce pius.
Quisquis amarus ei, sit rauco pectore Codrus;
Olli fel refluat, quisquis amarus ei.

---

16 *honesta *C* 20 Nescit *C corr. Duemmler* [LXXVII.] *primus edo* 2 Florescunt *corr. C* 5 thonos *C* 6 opsecro *corr. C* 9 fit *C corr. Haupt*

10 *Martian. Cap. VI,* 584 *ed. Eyss. p.* 197, 23 imbrificabat aquis. 11 *Ge. IV,* 142 fertilis arbos. 24 *Colonia ut LXX,* 11. 29 *Aldhelm. ed. Gil. p.* 271, 31 nectaris haustus. 30 *Cfr. LXVIII,* 4. [LXXVII.] 3 *Cfr. LXIII,* 23 *sq.*. 9 *Serv. ad Aen. XI,* 458 'rauci' autem *τῶν μέσων* est: nam modo canoros significat, alias vocis pessimae: Iuvenalis (I, 2) 'rauci Theseide Codri (*sic Monacens. pro* Cordi)'.

Caesare de gemino floret haec tertia palma,
Regia stella micat Caesare de gemino.
Ostriger hic rutilat bellis cornuque coruscat,
Egregius princeps ostriger hic rutilat.
Chrismata pacis amat: pax olli semper habundet;
Septriger hic rector chrismata pacis amat.

LXXVIII.

ITEM AD BERTAM.

Caesaris hic domini deargentata columba
Inter Francigenas candida Berta nitet,
Stella venustatis, niveae rectricis imago,
Flos Ermingardis Caesareumque decus.
Nobilis illa fuit mater rectrixque beata,
Nobilis in genere, nobilis atque fide,
Nobilis in sanctis rutilabat moribus illa,
Nobilis in sensu proloquioque pio;
Sancta fuit studio, caelestia semper amabat
Omne malum fugiens, omne bonumque sequens
Divitias mundi despexit munere Christi:
Hinc acquisivit praemia summa poli;
Ad fontem vivum sitiebat mente beata:
Hinc desiderium venit adusque suum;
Larga fuit manibus, plures ditavit egenos
Ceu stellas caeli — quis numerabit eos?
Quis numerare potest doctusne notarius arte,
Quantis distribuit munera, quanta dedit?:
Hinc sibi perpetuos thesauros condidit astris,
Exultat multum hic tribuisse deum;
Nec parce sevit: mercedis hinc metit amplum,
Dapsilitas largas reddit opima gazas. —
Cuius nobilitas in vobis, optima Berta,
Claret in exemplis, moribus atque bonis:
Congaudet populus simili te prole parentis,
Exultant variis dives inopsque modis.
Terrenum sponsum caelestis nunc capit aula:
Hinc tibi nunc melior sponsus inestque deus.
Turturis ecce genae florent tibi mentis honestae,
Emicat interius castus amorque dei.
Vos niveaque stola sponsus decoravit Iesus
Atque pudicitiae sparsit in ore rosas,
Cinxerat et gemmis virtutum pectus amoenum,
Elegit sponsam spe meliore suam.
Caesaris hanc prolem conserva, Christe, benignam,
Huic margaritae, sancta Maria, fave.

[LXXVIII.] *ed. Duemmler Sedulii carm. p.* 33 *sq.* 12 aquisiuit *C corr. Duemmler* 13 siciebat *C* 21 seuit *C* 29 florent tibi *Wattenbach*] florentibus *C* 34 spem *C corr. Duemmler* *post* 36 Finit *C*

[LXXVIII.] 1 *Cfr. XLIII,* 2. 19 *e. g. Iurenc. I,* 650 Condite thesauros vobis in vertice caeli.

LXXIX.

Nos grates domino referamus riteque laudes,
Ornat qui plebem semper in orbe suam.
Nam sicut caelos stellarum lumine pinxit,
Vestiit ut terras floribus ipse novis:
Ecclesiam decorat sanctam sic conditor almus
Virginibus viduis coniugibusque piis,
Sic fructus triplex sanctorum crescit in agro,
Quam pulchram segetem post paradisus habet.
Coniugium sacro fulgescit in ordine primum,
Ex quo sunt viduae virginitasque nitens:
Primus honor fuerat vobis, gradus ordine primus,
In quo servastis iura pudica thori.
Florentem iuvenem peperistis nobile lumen,
Francorum viridis qui quasi palmes obit,
Aspera mors secuit perpulchram heu quia virgam:
Sed tali virga nunc paradisus ovat.
Terrestrem sponsum rapuit mors invida vestrum:
Pro quo caelestis sponsus amoenus adest.
Iste magis dives prae cunctis regibus orbis,
Pulchrior hic violis, pulchrior atque rosis.
Cuius mirantur Sol, aurea Luna decorem,
Laudat et angelicus quem super astra chorus,
Cuius dulce iugum, cuius miseratio suavis:
Exultat talem Bobila habere virum.
Ipse tibi gemmas virtutum congerit almas,
Insuper aeternas ipse dicabit opes.
Quod manibus tribuis, hilari quod menteque donas
Pauperibus, vitae scribitur ecce libro:
Illic thesauros vos invenietis opimos,
Qui neque marcescunt, sed super astra virent.

LXXX.

Mitis et Arcas ero, rore sacrate sitim —
Arte mera modero, more domare metra.

Nostri simplicitas fratrem superare trilinguem
Exultat victrix: palmam date, laeta iuventus.
Qui fodit foveam, grandi ceciditne ruina?
Victus et occubuit, voluit qui victor ut esset?
Et cornuta quidem devicit bestia calvam,

[LXXIX.] *ed. Duemmler ib. p.* 34 *sq.* 4 nouas *C corr. Duemmler* 18 amenus *C* 22 laudet *C tacit. corr. Duemmler* 26 *dicabat *C* [LXXX.] *nullo interstitio sequitur in C, ed. Duemmler ib. p.* 35

[LXXIX.] 8 *Fort. IV,* 17, 12 quem paradisus habet. 17 *e. g. Fort. IV,* 26, 47 Abripuit teneram subito mors invida formam. [LXXX.] *Hauptium latere non potuit* 1 *sq. versus recurrentes esse. Puri artificio inter Karolinos Hrabanus usus est de laudib. s. crucis fig. XXVIII, quod ipse explicat ed. Henze p. LXXV:* In cruce antecedentis paginae est unus versus scriptus XXVII litterarum, qui eisdem litteris legi et relegi potest in hunc modum: Oro te ramus aram, ara sumar: et oro. | 2 *Ge. III,* 63 laeta iuventas.

Rinoceron mutilam protrivit acumine frontem:
Adversus doctos noli certare, sophista:
Si pugnare libet, cur desint cornua fronti?
Aureus ex Luna processit noster Apollo,
Quae soror est olli violis praedulcior Hyblae;
Nobile puniceum provenit ab arbore malum,
Intra quod latitat robur mirabile vitae.

LXXXI.

DE ROSAE LILIIQUE CERTAMINE IDEM SEDULIUS CECINIT.

Cyclica quadrifidis currebant tempora metis, POETA
Vernabat vario tellus decorataque peplo.
Lactea cum roseis certabant lilia sertis,
Cum rosa sic croceo sermones prompserat ore:
Purpura dat regnum, fit purpura gloria regni; ROSA
Regibus ingrato vilescunt alba colore.
Albida pallescunt misero marcentia vultu;
Puniceus color est toto venerabilis orbe.
Me decus auricomum telluris pulcher Apollo LILIUM
Diligit ac niveo faciem vestivit honore.
Quid, rosa, tanta refers pudibundo perlita fuco,
Conscia delicti? vultus tibi nonne rubescit?
Sum soror Aurorae, divis cognata supernis; ROSA
Et me Phebus amat, rutili sum nuncia Phebi;
Lucifer ante meum hilarescit currere vultum:
Ast mihi virginei decoris rubet alma venustas.
Talia cur tumidis eructas verba loquelis, LILIUM
Quae tibi dant meritas aeterno vulnere poenas?
Nam diadema tui spinis terebratur acutis:
Eheu — quam miserum laniant spineta rosetum.
Ut quid deleras verbis, occata vetustas? ROSA
Quae tu probra refers, plena sunt omnia laude:
Conditor omnicreans spina me sepsit acuta,
Muniit et roseos praeclaro tegmine vultus.
Aureoli decoris mihi vertex comitur almus LILIUM
Nec sum spinigera crudelis septa corona,
Profluit at niveis dulci lac ubere mammis:
Sic holerum dominam me dicunt esse beatam.
Tunc Ver florigera iuvenis pausabat in herba: POETA
Olli tegmen erat pictum viridantibus herbis,
Ipsius ad patulas redolebant balsama nares
Floripotensque caput sertis renitebat honoris.

---

10 hybrę̣ *C* [LXXXI.] *ed. Duemmler ib. p.* 35 *sq.* 11 pudipundo *C corr. Duemmler* 12 non erubescit *C corr. Wattenbach* 20 misero *corr. C* 22 *an* *plena (a)? 27 *profluitat *C* 30 te generat *C corr. Duemmler* 32 *retinebat *C* redimibat *corr. Duemmler*

8 *Ecl. VI,* 51 cornua fronte. 10 *Ecl. VII,* 37 thymo mihi dulcior Hyblae. [LXXXI.] 3 *e. g. Fort. XI,* 11, 5 lactea lilia ... 8 *Fort. VIII,* 16, 3 toto venerabilis orbe. 9 *Aen. III,* 119 pulcher Apollo. 19 *Ecl. V,* 39 spinis surgit paliurus acutis.

Pignora cara mei, cur vos contenditis? inquit. VER
Gnoscite vos geminas tellure parente sorores.
Num fas germanas lites agitare superbas?
O rosa pulchra, tace: tua gloria claret in orbe;
Regia sed nitidis dominentur lilia sceptris.
Hinc decus et species vestrum vos laudat in aevum:
Forma pudicitiae nostris rosa gliscat in hortis,
Splendida Phebeo vos, lilia, crescite vultu;
Tu, rosa, martyribus rutilam das stemmate palmam,
Lilia, virgineas turbas decorate stolatas.
Et tunc Ver genitor geminis dans oscula pacis POETA
Concordat dulces patrio de more puellas.
Lilia tunc croceae dant oscula grata sorori,
Illa sed huic ludens spinetis ora momordit.
Lilia vernigenae ludum risere puellae,
Ambroseo bibulum potant et lacte rosetum.
At rosa puniceos calathis fert xenia flores
Ac niveam largo germanam ditat honore.

LXXXII.

IDEM.

Iste cherub Christi nova signat mystica legis,
Munditiae fialam hic gestat flore refertam,
Turibuloque precum sacros hic spirat odores.

ITEM.

Cingitis altithronum, leo bos homo rexque volucrum,
Geon, tuque, Fison, Eufrates, Tigris et amnis.

ITEM.

Eminet ecce cherub antiquae gloria legis,
Angelus ac patrum fiala fert vota piorum,
Turis opes redolent per hunc et aromata cordis.

ITEM.

Hic sex discipulos trames describit honoros,
Dulcis odor Christi per quos respirat in orbe.

ITEM.

Campus hic aureolus, argenti qui vomit undas,
Sex alios domini fidos designat amicos.

ALIBI.

Guntharius praesul Christi venerandus honore
Has fieri species speculandaque scemata iussit.

---

36 caret *C corr. Duemmler* 45 *grata] data *C* [LXXXII.] *ed. Pirenne p. 69 sq.* 2 Mundicię *C* *post* 3 *add.* ITEM *C*

33 *Ecl. VIII,* 92 Pignora cara sui. 46 *Aen. XI,* 418 ore momordit. 49 *Cfr. ecl. II,* 46. [LXXXII.] 5 *Cfr. LXIX,* 3.

LXXXIII.

Fons aeterne deus, humilis miserere Mosellae
Augens nubigenas ubere roris aquas.
Alter, qui glaucas pluat almo numine limphas,
Non est, non fuerat, non erit ille, deus.
Qui celsam rutili molem regis ordine caeli,
Quem laudatis, aquae, vos super astra deum:
Respice nunc terras et aquosis prolue nimbis
. . . . . .

III.

I.

DE PASCHA.

Omnium regi referamus omnes
Gratias Christo domino sabaoth;
Cuncta quem laudant elementa regem
Consona votis;

Quem canunt cives Solimae supernae,
Cum regit mundum mare rura stellas
Continens nutu dominus creator
Omne creatum;

Pascha qui nostrum, via, vita fulsit
Ortus in terris, oriens ab alto;
Carnis in claustro patiendo mortem
Morte redemit;

Providus custos generis humani
Morte devicta rediens redemptor
Victor ad vitam tulit ipse praedam
Mortis ab ore:

Hinc planetarum corus axe fulget,
En iubar pulchrum speculumque solis,
Plena fulgescit radiisve Luna
Lumine fratris;

Inde congaudet polus unda tellus,
Gloriam Christo recinunt ovantes
Praepetes pennis volucres volatu
Nunc philomelae.

Tado, te Christi pretiosa palma
Sublevet semper meritis in altum,
Omnibus nobis pater atque fautor
Orbe remotus.

[LXXXIII.] *ed. Pirenne p.* 70 7 *in marg. add. C²; sequuntur versus quos Pirenne edidit p.* 70 *sqq., sed excerpti sunt ex Paulini Nolani natal.* 4 5 6 10.

[III.] [I.] 3 quem *Hagen*] q̃ *B* 5 sr̄nę *B quae est breviatio pro* supernus 15 p̄dā *B* mundum 17 *post* fulget *chresimon adponit B* 23 pennis *et pro adonio* 24 carmina cantant *discrepantiam adscripsit B* omnes 28 *remotis *B*

[LXXXIII.] 7 *Cfr. VII,* 71 *p.* 174.

[III.] [I.] *Imitari videtur frater Ellinicus poet. Karol. tom. II,* 418 *sq.*. 1 *sq. cfr. Sedul. II* LXVI 34 *supra p.* 220. 3 *cfr. eund. XVII,* 20 *p.* 184. 5 *ib. v.* 31. 14 *e. g. Sapphic. in S. Severin. v.* 19 *ed. Knoell p.* 72 Morte devicta retroire egisti *(ego;* redire fecisti *cod.)* ad | gaudia vitae. 16 *cfr. XLV,* 43 *p.* 209. 18 *sq. Sedul. II* LXVI 5 *et* 10 *sq. supra p.* 220. 21 *sq. ib. LX,* 6 *sq. p.* 217 *et XLV,* 71 *p.* 209. 25 *Tado archiepiscopus Mediolanensis* (860—68) *cfr. Duemmler Sybel. HZ. XXXVII,* 347 *et gesta Berengar.* 164.

II.

Tado, benigne vide vatis pia vota canentis:
'Vive deo felix saecla futura videns.'
Te docet — euge — papam domini doctrina docentem,
Sensibus in vestris sunt satis artis opes.
Angelus angelicam Rafael medicus medicinam
Conferat et vitae tempora longa tuae,
Opilio domini serves ut ovile superni
Per solis cyclos, pastor ovilis ovans;
Denique stelligeri conscendas culmina caeli
Praesul ab angelicis ductus ad astra choris.
Emicat ecce dies paschalibus alma triumphis,
In qua congaudent sidera rura salum.
Salve, festa dies, festarum sancta dierum,
Qua deus infernum vicit et astra tenet.
Tellus en vario pandit sua munera partu
Spondens agricolae vincere posse famem.
Surrexit Christus sol verus vespere noctis,
Surgit et hinc domini mystica messis agri.
Nunc vaga puniceis apium plebs laeta labore
Floribus instrepitans poblite mella legit,
Nunc variae volucres permulcent aethera cantu,
Temperat et pernox nunc philomela melos,
Nunc chorus ecclesiae cantat per cantica Sion,
Alleluia suis centuplicatque tonis.
Tado, pater patriae, caelestis gaudia paschae,
Percipias meritis limina lucis: ave.

III.

Vive, Sofride, potens per splendida saecla sub astris,
Sis decus in populis, sis decus inque polis.
Angelus angelicam Rafael medicus medicinam
Conferat et vitae tempora plura tuae:
Nam, quos Christus amat, castigat amore paterno,
Largus et aeternas auget amator opes.

[II.] 1 anno Tado *B* beate bigne uide *B* 2 longa metens futura uidens *B* 4 inq, tuis in uestris *B* *super* 6 *et iuxta* omnipotens dn̄s uite dn̄ omnipotens dn̄s sum̄e bonitatis origo *posuit B* 7 Opilio *sic B* 10 coris *semper excepto VIII,* 18 *B* 11 dn̄i: dies : pascalibus *continuo B* is plurima dona suis 16 agricolae uincere posse famem *B* aera 21 aethera *B* sonos 22 melos *B* [III.] 2 plis (i *ex* o) *B* t̄i terris

[II.] *Annoni quoque (cfr. app. crit. ad v. 1) poeta offerre voluit, qui ni fallor episcopus Frisingensis est* (854—75). 9 *Aldhelm. laud. virg.* 1445 Lucida stelligeri scandentes culmina caeli, *cfr. de princ. vit.* 371. 10 *cfr. Sedul. II XX* 46 *p.* 187. 13 *Fort. III,* 9, 39 Salve, festa dies; *cfr. Voigt Ysengr. p.* 48 *et Sedul. II LXIII* 1 *p.* 218. 14 = *Fort. l. c.* 40. 15 *Fort. l. c.* 9 Terra favens vario fundit munuscula fetu. 16 = *Fort. l. c.* 16. 19 *sq. Fort. l. c.* 25 *sq.* Construitura favos apes hinc alvearia linquens | f. i. p. m. rapit. 21 = *Sedul. II LXIII* 23. 22 *Fort. l. c.* 29 *sq.* Hinc filomela suis adtemperat organa cannis | fitque repercusso dulcior aura melo. 23 *sq. Sedul. II LXIII* 26 *sq.*. 25 *Fort. V,* 10, 1 Summe pater patriae. 26 *Aldhelm. princ. vit.* 218 tendens ad limina lucis. [III.] 3 *sq. supra II,* 5 *sq.*.

Post solis cyclos solaria scandito castra,
Civis stelligeri sis et in urbe poli,
Pollet ubi regnum sanctorum principe Christo
Perpetuis opibus perpetuisque bonis;
Nam quod mundus habet, mundi quod circulus ambit,
Deficiunt saeclis singula quaeque suis.
Caelestis patriae caelestia praemia vobis
Prospera contingant, adsit et omne bonum.

IV.

HLOTHARII VERSUS.

Rex pietate vigil, nostros miserate labores,
Permotus elegis questibus affer opem.
In te mater enim penes inclinata recumbit
Et pia distribuit iura Sophia tibi;
In te diffusos statuit, rex optime, sensus,
In thalami secum arcibus arce locans.
Hinc arcana tibi legis mysteria prompsit,
Quidque sequi debet clericus ordo, dedit
Et, quaecumque homines perquirunt arte magistra,
Constituit, Caesar, iure tenenda tibi.
Astrorum retinens augusto in pectore legem
Conscriptam numeris multimodisque notis,
Nostrum praeterea quis v⟨olv⟩at spiritus orbem,
Ae⟨quo⟩ra sollicitent flamina quaeve maris,
Vel, cur Hesperias casurum sidus in undas
Rurs⟨us⟩ ab Eoo surgat in arce poli,
Causas quin etiam nosti, cur omnicreantis
Ad specimen factus sit pretiosus homo.
Vt breviter referam, te cuncto stemmate compsit
Sophia praeclaro, virtus et auxit ope:
Cedit namque tibi priscorum gloria regum,
Regia nunc novitas extulit aucta caput.
India quos tremuit, servivit et ultima Thyle,
Hos superas equidem religione pia;

---

7 : castra *continuo B* 12 deficiunt *B (continuo ?)* 13 caelestia praemia *B* [IV.] 2 promotus *ex scribae usu breviatio solvenda esset* 5 : arcibus *continuo B* 6 *an* *arcte ? 13 *quod e litterarum vestigiis extricare possum* Nsr̄ *videtur:* Nosti *quod Hagenus supplet certe non fuit* uo . . at *B suppl. Hagen* orbem ł astra *B* 14 *suppl. Hagen: exstat etiam vestigium* q *litt.* flamina *B* maris *B* 16 *suppl. Hagen: exstat etiam vestigium* s *litt.* 22 *ante* Regia *chresimon adponit B* 24 Nos *B corr. Bursian. et Pannenborg*

11 *Fort. VII,* 12, 56 Quiquid ab Oceanis circulus ambit aquis. 14 *Sedul. II VI* 34 *p.* 171. [IV.] *Lotharius imperator* 833—855. 1 *e. g. Aen. VI,* 56 Phoebe, gravis Troiae semper miserate labores. 3 *Aen. XII,* 58 *sq.* decus imperiumque Latini | te penes, in te omnis domus inclinata recumbit. 9 *e. g. Aen. XII,* 427 arte magistra. 9 *sqq. Boeth. cons. phil. I metr. II,* 10 *sqq.* Et quaecumque vagos stella recursus | exercet varios flexa per orbes, | conprensam numeris victor habebat. | Quin etiam causas unde sonora | flamina sollicitent aequora ponti, quis volvat stabilem spiritus orbem | vel cur Hesperias sidus in undas | casurum rutilo surgat ab ortu. 23 *Ge. I,* 30 tibi serviat ultima Thula, *cfr. Boeth. III metr. V,* 5 *sqq.* Etenim licet Indica longe | tellus tua iura tremescat | et serviat ultima Thyle.

Perfida colla tibi flectentur iure superbi,
Mens humilis subdet perfida colla tibi.
En: quae, rex, iugiter meditaris iura Sophiae,
Quae virtute sua reproba colla domat.
Nam scriptura refert, hanc excidisse columnas
Septem praecipuas et statuisse domum;
Subdidit interea rigidos regina tyrannos
Collaque calcavit viribus aucta suis.
Haec quoque permagnis te praefert dotibus auctum
Atque opibus propriis inclita quippe fovet:
Haec regimen summum tribuet Sapientia vobis
Atque suis faciet sedibus ipsa frui.

V.

Hauriat Caesar sapiens, benignus
Auribus carmen citharaeque melos,
Qui debet crebra variaque laude
Glorificari.

Laudibus regnum et diadema clarum
Caesaris magni vigeat, coruscet,
Caesarem semper recinetque nostrum
Carmen ubique.

Omnis exultet moduletque cernens
Regis aduentum propero recursu,
Visitans nostrum Latium sereni
Sexus et aetas.

Tetra cum nubes radios corusci
Solis inuadit Boreasque spirans
Verberat nubis tenebrosum amictum,
Emicat ut sol:

Haud secus noster reduci meatu
Caesar Augustus Latium petendo
Nubilae mentis pepulit tenebras
Splendidus ore.

Arbiter regnum moderans ab aevo,
Protegens nostrum comitare regem,
Porrige et dextram famulo fideli,
Christe redemptor:

Regnet ut sceptrum retinens avitum,
Iure subiectos foveat Quirites,
Gaudeat tanto domino subesse
Urbs quoque Roma.

Imperet fretus propriis habenis
Sponte subiectis placita quiete,
Legibus torquens alios severis
Rite rebelles:

Virtus ast illum comitatur alma:
Cuncta, quae optamus, regimen secuntur
Caesaris nostri domino volente,
Te quoque, Christe.

Summa maiestas — pater atque nate,
Spiritus sanctus — precibus adesto,
Reddimus regis tibi pro salute
Quas, deus unus.

---

27 q̄ *B i. e. quae* 29 scriptura *B* 33 ñ qq *fuit in B* 34 indita *B corr. Hagen* [v.] *praeter Hagenum ed. Peiper Gaudeamus! Lips.* 1877 *p.* 160 *sqq.; acrostichi lusum Duemmler detexit Sybel h. Z.* 37, 347 1 Hariat *B corr. Hagen* 11 Visentis *Bursianus: quod metrum pessumdaret* 13 cum] ceu *Havet* 15 uerberet *B corr. Hagen* nubes *B corr. Havet* 16 emicet *B* *et *B* 18 petendus *B* 23 Porrige et *sic B* 30 placida *Hagen* 36 christe *B corr. Hagen*

29 *Prov.* 9, 1 Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem; *cfr. Sedul. I* XII *p.* 159 *sq.*. 32 *Rem.* 88 viribus acta suis.

VI.

VERSUS QUI DESCRIPTI SUNT IN CALIC⟨E⟩.

H⟨oc⟩ agni cratere sacro potantur et haedi,
Sed haurit digne, crimine quique caret.
Hunc Angelbertus renovans insignis et auro
Praesul et eu magnis gemmis vernantibus auxit.

VII.

PRAEF⟨A⟩TIO.

Desere corda, dolor, cum sint en gaudia nobis:
Noster adest senior; desere corda, dolor.
Gloria nostra redit, clementia luxque serena;
Cuncti laetemur: gloria nostra redit.
Cedite vos, tenebrae; tenebrarum, cedite, nubes;
Dum iubar est praesens, cedite vos, tenebrae.
Pastor amoenus adest: pastores, ducite dona;
Pastores veniant: pastor amoenus adest.

COLLATIO SIVE NARRATIO.

Orbis ab urbe venis, patriae pater: euge reversus;
Tado, decus populis orbis ab urbe venis.
Sunt tua rura tibi: salve, sol, sole salutis;
Urbs est metropolis, sunt tua rura tibi.
Te vocat Ambrosius, domini domus et ⟨t⟩ua sedes;
Sanctus, Tad⟨o⟩, tuus te vocat Ambrosius.
Te redeunte tui ⟨re⟩deunt ad gaudia cives
⟨Exul⟩tantque chori te redeunte tui;
Te duce plebs domini praepollet lampade Christi;
Poll⟨esc⟩unt iusti, te duce, plebs domini.
Porrige, pastor, opes; ovibus date vellera vestris;
Nobis exulibus porrige, pastor, opes.
Munera multa tibi tribuat deus altus ab arce,
Conferat et vitae munera multa tibi.
Collige Scottigenas, speculator, collige sophos:
Te legat omnipotens; collige Scottigenas.
Haec tibi scripta, pater, compulsus amore paterno
Scripsi, si recipis haec tibi scripta, pater.
Pacifer orbis ades patrata pace per urbes;
Ecce, sator pacis, pacifer orbis ades.

[VI.] *titul. suppl. Hagen: litt.* e *cauda superna apparet* 1 *suppl. Hagen:* c *quoque vestigium est* 2 quisque *Hagen* 3 dngelbertus *sic B* 4 uernantibus *sic B* [VII.] PRAEFATIO *Hagen*] ps . . atio *B post secundam litteram quae fuit* f *vel* s *vix minus duabus perierunt* 10 pto *B* 11 salutis ł srño *B* 13 ł ac: & . ua *B* 15 16 *suppl. Hagen* 17 ł lustratur ppollet lumine xpi lampade xpi *B* 18 *suppl. Hagen* domini ł *et insequenti versu* rel⟨ligi⟩one mic⟨at⟩ te duce plebs dm̄ *B* 21 . nunera multa *B* **voluit* superna 22 *ante* munera *del.* multa *B* 25 *ante* Haec *del.* tibi *B*

[VI.] *Seduli esse Sedulianumve vix adfirmaverim. Angelbertus episcopus Mediolanensis* (824—860) *cfr. Duemmler ll. cc. supra ad c. I. Alter Angelberti titulus poet. Karol. II,* 665; *calicum inscriptiones apud Ang. Mai. script. vet. V,* 197. 3 *Aen. IV,* 134 insignis et auro. [VII.] 3—8 *iidem fere Sedul. II x* 1—5. 7 *sq. Sedul. II xi* 11 *sq.*. 17 *Sedul. II i* 33 *p.* 167. 18 pollescere *legitur apud Aldhelm. laud. virg.* 897. 25 *Cfr. III,* 5.

Nos decet altithrono grates modo reddere regi,
Vota vovere deo nos decet altithrono.
Prospera cuncta fluant, vobis decus ⟨af⟩fluat omne,
Praemia contingant, prospera cuncta fluant.
Utere pace, bonis, quibus utitur Itala tellus;
Ecclesiae bonitas, utere pace, bonis.
Cunctipotens dominus, qui numine cuncta tuetur,
Vos tueatur — amen — cunctipotens dominus.
Nunc, bone pastor, ave, sanctos comperte labores,
Post iter emensum nunc, bone pastor, ave.
Suasit amor domini Simonem visere Petrum,
⟨I⟩re vias duras suasit amor domini.
Vicit iter pietas pacis dans foedera mundo,
Eximiae fidei vicit iter pietas.
'Optime pastor, ave' dicat polus undaque tellus,
Cuncta elementa sonent: 'optime pastor, ave'.

VIII.

DE LEODFRID⟨O⟩.

Culmen honoris, ave, magno de semine magnum;
Carpe vias vitae, culmen honoris, ave.
Te decet omne decus, bonitas, bonitate tonantis;
Dux Leodfride potens, te decet omne decus.
Percipe vota videns, princeps sub principe Christo;
Versifici vatis percipe vota videns.
Pax tibi sitque salus: saecli per marmora salsa,
Per mare tutus eas; pax tibi sitque salus.
Saecula plena bonis post vitae saecla viantis,
Perpes possideas saecula plena bonis.
Pollet ubi populus caelesti lumine gaudens,
Sis caeli civis, pollet ubi populus.
Sidereis opibus sis sidus in urbe tonan⟨tis⟩,
In patria lucis sidereis opibus.
Sidereae Solimae Petrus portarius aulae
Sit tibi cum clavi sidereae Solimae.
Sanctus et Ambrosius te ducat ad ⟨agm⟩ina Sion,
Angelicus⟨que⟩ chorus, sanctus et Ambrosius.
Dextra superna dei te protegat, obsecro, Christi,
Te quocumque ferat dextra superna dei.
'Optime ductor, ave' dicat polus undaque tellus,
Cuncta elementa sonent: 'optime ductor, ave'.

---

29 grates mⁱ ł nc̄ *B* *versum post* regi *sequentem in B occupat* ł nos decet altithrono regi mⁱ reddere nota 31 *affluat *ex litterarum fragmentis facilius quam Hageni* et fluat *suppletur* 40 *suppl. Hagen.*

[VIII.] 1 magnum ł celsum *B* 3 tonantis *B* 7 secli *B*] s *et cauda foramine mutilatae, sed certae* 11 ł parentis ł munere umine *B* 13 ł diues sidus *B suppl. Hagen* 17 * . mina *mutila quoque* m *B* 18 ł sanctorum angelicus *B* *que *om. B* 19 propostegat *corr. B*

30 *Aldhelm. laud. virg.* 2106 Vota vovete deo. 32 *Cfr. III,* 13 *sq.*. 33 *Sedul. IV,* 76 Utere pace mea. 37—42 *iidem fere Sedul. Scot. II VI* 53—58 *supr. pag.* 172. 43 *sq. ib.* 79 *sq.*.

[VIII.] *Liutfrid Lothari II aruiculus cfr. N. A. IV,* 317. 1 culmen honoris *Fort. V,* 15, 1. 20 = *Sedul. II V* 6 *p.* 169. 21 *sq. v. supra VII,* 43 *sq.*.

APPENDIX AD SEDULIUM.

Duemmlero (N. A. IV, 319 sq.) obtemperans Sedulium subsequi volui carmina ex codice Sangallensi 904 prompta duo, quorum alterum p. 88 (i. e. re vera f. 40) ad imum primae columnae legitur alterum p. 89 (i. e. f. 40′) columnam internam obtinet utrumque fine caret, cum foli 40 columna externa perierit I., II. cum quod uno ex folio in codice vacuo relicto supererat librario subpetiverit penso nimis angustum. Nam librarius ut ex apparatu videbit qui videre potest, non poeta quae est Nigrae opinatio, Scottico codici (de quo vide Nigram reliquie Celtiche I Torino 1872) Karolinorum s. IX. minuscula usus versus hos inseruit. Unde non moror quominus Duemmlero concedatur a Scotto quodam statuenti compositos eos esse dum Gunthārius Coloniam Agrippinam archiepiscopus regit i. e. intra annum 850 et 863.[1] *Edidit utrumque Nigra l. c. p. 5 sqq., alterum Duemmler Wartmanni apographo usus 1871 Anzeiger fuer Kunde der Deutschen Vorzeit XVIII, 10 sq.. A quibus mea ipsius editio, quam ad adornandum Duemmleri novum apographum et iteratae Wartmanni curae praesto erant, praecipue eo differt quod inter scribae manum (G) et correctoris (G′) diligentius distinxi: G′ enim lectiones, quibus quamvis auctoritatem derogo, et per se sunt examinandae et tantum non omnes redarguendae.*

I.

Lex mala membra regens animum per crimina bellat,
Lex bona in mentis arce resistit ei.
Pausareque negant, ut victrix victaque fiant,
Unus et una queat tunc homo lexque sua . . . .

II.

Umbrifera quadam nocte de pectore somnum
Carpebam fessis luminibusque meis:
Auricomae quaedam tunc fulgens mitra puellae
Clarior enituit sole rubente mihi.
Illa procera nimis tangens a vertice caelum,
Florida telluris dum graderetur, erat.
Lumina contulerat gemina radientia fronte:
Quis videt aetheria, rura mareque simul;
Ubera lactifera referebat pectore bina:
His pascit modicos, quos iubat, atque rudes.

[I.] 1 cremina *G* 2 *totum versum expunxit G′* 4 quat *corr. G* *post* 4 Lex hominis intus arte resistit ei *add. G′ male v.* 2 *sanaturus, nam* in mentis arce *est ut apud Sedulium e. g. I 111* 10 *pag.* 155

[II.] 2 fessis *priore* s *erasa G* 3 Auricŏmae *G* quedam *G* *mira *G*] *del. et* forma *superscr. G′* puelle *G* 5 Illä pro nĭmis *G*, *an voluit ut legeretur:* Procera illa nimis ? celum *G* 6 *tellura *G* gradiretur *G corr. Duemmler* *ea *G* 7 gemina *G*] *del. et super* fronte *scr.* superna *G′* radientia *cfr. supra p.* 113 *app.* 8 etheria *G* 9 referebat *G*] preferebat *corr. G′* *an reserabat ?

1) *De Gunthario cfr. praeter Duemmler. et Nigram Nolte Revue des sciences ecclés. IV. ser. 1877 p. 281 sqq..*

[II.] *Personae fictio Boethio debetur de cons. phil. I,* 1. *Boethi quoque Philosophia* pulsare caelum summi verticis cacumine videbatur. 1 *sq.* somnum carpere *e. g. Iuvenc. II,* 33.

Sic exorsa sua verba pulcherrima virgo,
Cum gelidus sudor fuderat ossa mea:
'Quid, miser, es trepidus? non sum fallentis imago,
Sed per iussa dei vera referre sinor.
Cognita Graiugenis sic sum, veneranda Latinis:
Utrisque merito signaque dupla veho.
Inde sophia vocor Graece, sapientia Romae,
Unus sed sensus nomina per varia.
Imbuti regis doctores hac sapientes:
Lumen abere meum nullus in orbe negat.
Ergo parce metu, non me ludente timebis:
Utere pace mea, sint tibi cuncta bona.
Te voco, ut veniens Guntari limina tecti
Prospera percipias: nam bonus ipse suis.
Gloriferae famae Guntari fertur honestas
Europae turmis laudibus almisonis:
Pacifer egregius praesul venerabilis almus,
At patiens humilis largus et ipse pius;
Moribus et forma pietateque dignus honore,
Electus domini pastor et ipse gregis.
Quosque dualis alit ipsius cura favendo:
Dogmate corda fovet, corpora veste civo.
Agmina mortiferae carnis surgentia farre
Mactavit mentis rite favente deo:
Hinc securus inest prostratis hostibus istis,
Totus ut interior sit placidus domino.
Nam hominis geminae leges horiuntur in usu,
Quae pugnare solent nocte dieque simul.
Donifer altitronus denudat anthra sophiae
Gunthari ingenio lumine legifero:
Pagina signiferi septeno tramite cursa
Astrorum lege huic bene nota sopho;
Carmina musidica pollentia famine salso,
Ludifero sensu aedificata colit,

---

11 Sic exorsa sua uerba *G*] Talibus allocitur uerbis *superscr. G'* 13 falentes *corr. G* 14 *iussa dei] musa dō *G* iusa uisa sed a duo *superscr. G'* 15 ueneranda latinis *G*] bilis sumque *superscr. G' versum ut patet sine* cognita *lecturus* 16 utrisq, merito *G*] Ide fidelis e *superscr. G' post* ueho *add.* familiaris ero *et iuxta* 17 *sq.* is inde fidelis is eoro *G': varia correctoris conamina sunt ad perpoliendum v.* 16 (*voluisse mihi videtur* Inde fidelis ero *vel* Familiaris ero signaque d. v. *Nigrae* (Utrisque meri)tis inde fidelis ero) 17 Inde *G*] *del. et* ipsa *superscr. G'* Grece *G* 20 abere *i. e. avere cfr.* 10 iubat 32 ciuo *et* corbus *in Seduli cod. Cusano* 21 laudente *corr. G* 23 uoco *G*] *del. et* peto *superscr. G'* *uenies (*add.* a *a G'* ?) *G* Guntarii *corr. G* 25 (*et* 40) contari *G* honestae *G*] *corr. G'* 27 pressul *G* 28 humilis] h *del. G* 29 hore *corr. G* 30 ips *G* 31 Quosque *G*] Quemque *corr. G'* duales *G corr. Duemmler* alit *G*] alens *corr. G'* 33 surgentię *G*] *corr. G'* *parte *G* 34 *lite *G* 35 Hinc] hinc est *subscr. G'* 37 legis *G corr. Duemmler* 38 Que *G*] *subscr.* lex *G'* 43 *fulso *G* 44 lud^{i}fero *G* edificata *G*

21 *Aen. I,* 257 Parce metu. 22 *Cfr. Sedul. III* VII 33. 37 *sq. cfr. carm. I.* 43 *sqq. cfr. Sedul. II* LXVIII *p.* 221 *sq.*.

Concinit et miras modolatis cantibus odas
  Dulcisona voce glorificata deo.
Patria pauperibus, caecatis nobile lumen
  Ac gressus claudis, quis bene fautor agit,
Candida progenies, stirpis et origine clara
  Inclita nobilitas Francigenumque decus
. . . . . .

---

46 glorificata *G*] glorifera *corr. G'* 47 cecatis *G* 48 *Atq; *G* gresus *corr. G vel G'* 49 Progenies candida *G corr. Duemmler* 51 *finem deesse significavi.*

49 *Cfr. Sedul. II* XXIV 45.

BIBLIOTHECARUM ET PSALTERIORUM VERSUS.

Quantum 'tituli' prodessent ad historiam artis rite redintegrandam Antonius Springer nuper nos docuit (Westdeutsche Zeitschrift f. Gesch. u. Kunst Trev. 1884 p. 214 sqq.) neque ingratus esset labor eos omnes edendi quibus sacrorum librorum donatores scribae imagines enarrantur, etiamsi — id quod est plerumque — ipsi libri hodieque extant. Quod leges huic operi praescriptae vetabant, ne pro Karolinis temporibus fieret omnibus adunatis. Sed alii ut qui ad Alcuini et Theodulfi recensiones pertinent supra a Duemmlero et me suis quique locis editi sunt, partim hic eduntur, alii in altera huius voluminis parte sequentur, quam lector a Harstero recenseri.

Hoc loco exhibiti in sex bibliothecis — de quo nomine confer nunc Birt d. antike Buchwesen p. 116 — psalteriisque inveniuntur:

I. in Karoli Calvi psalterio nunc cod. Parisino bibl. nat. 1152 (Delisle le cabinet III, 320) intra 842 et 846, quod f. 170 in lactaniis solius Hirmindrudis mentio fit, scripto ab eodem si recte suspicantur Liuthardo qui nostrum codicem aureum (infra IV.) una cum fratre scripsit. Versus ab Henrico Barbet de Iouy notice des antiquités etc. composant le musée des souverains Paris 1866 p. 15 sqq. et a Leopoldo Delisle editi sunt, iterum pro me examinati a Molinier.

II. in enchiridio precationum quod Karolus Calvus sibi conponi iussit iam parens factus et viva uxore (*f. 21* libera me, clementissima trinitas, una cum coniuge nostra Yrmendrudi ac liberis nostris) *i. e. post 846*[1] *et ante 862; codex est reg. Bav. thensauri B. 63 (E. de Schauss catalog. Monac. 1879 p. 134). Cfr. Gulielmum Meyer ueber das Gebetbuch Karl des Kahlen Sitzungsber. d. k. bayr. Akad. d. Wiss. 1883 p. 424 sqq..*

III. in bibliis Karolo Calvo a Viviano abbate monasterii maioris laico et monachis[2] *oblatis anno si recta est coniectura (cfr. Boehmer reg. 1616) 850 dum in Turonum civitate versatur; qui codex nunc est Parisinus bibliothecae nationalis lat. 1 (Delisle le cabinet d. manuscr. III, 234 sqq.). Alcuini exemplum quod et ipsum ex Turonensi scriptorio prodiit (Rahn psalterium aureum Sangallense Sangall. 1878 p. 7 sqq.) exprimere videtur (Corssen epist. ad Gal. Berol. 1885 p. 9 sq. Ianitscheck Strassburger Festgruss Berol. 1885 p. 28) neque tamen tam fideliter quam Londinensis liber Alcuiniani merum apographon (Ianitscheck*

---

1) *Karoli filii Ludowico minores quando nati sint, nescimus.* 2) *Alius monasteri maioris tunc monachus biblia nunc Modoetina exaravit ut Corssen l. c. p. 10 recte coniecit. Qui idem versus rudes rettulit, qui ibi sunt in fine:*

Hos tandem d(omini) ca(rax)avit dextera libros,
Exiguus Christo devotus famulus almo
Amal(ricu)s ovans atque hic sua otia fregit.

v. 1 supplevi ego, v. 3 Corssen coll. Mabil. annal. Ben. II, 746.

Gesch. d. Deutsch. Malerei Berol. 1886 p. 39 40 adn. Frimmel die Apokalypse i. d. Bilderhss. d. M.A. Vindob. 1885 p. 53 adn. 4), qui quos Alcuini continet versus apud Duemmlerum leguntur poet. Karol. I. p. 284: IV IV[a] p. 283: LXV I p. 285: I[a] vol. II p. 692 reliquique in musei Britannici catalog. II Londin. 1884 p. 3 sqq.; sed Parisino codici poeta quidam novos pro occasione inmutata versus addidit. Hos (I VI X XII) edidit Baluzius capitular. regum Francor. II Paris 1667, reliquos interque eos Alcuini Barbet de Iouy l. c. p. 21 sqq. et Leopoldus Delisle l. c., omnes conlatos accepimus ab Augusto Molinier. Scripturae imagines optimae apud Delisle tab. XX, picturae plenissimae apud Bastard cuius collectione hic caremus (cfr. Frimmel l. c. p. 53 adn. 1 et Barbet de Iouy l. c.).

IV. codex est euangeliorum Monacensis 14000 qui propter splendida ornamenta vulgo aureus nuncupatur, scriptus (v. IV XI 1 sqq.) anno 870 a Beringario et Liuthardo sacerdotibus. Qui quas fortunae vices subiisset ex quo e S. Dionysi prope Parisios monasterio ubi adservatus erat Ratisbonam asportatus est expositum est apud Colomannum Sanftl in 'dissertatione in aureum ac pervetustum ss. evangeliorum codicem ms. monasterii s. Emmerami' Ratisbonae 1786, Ratisbonae quomodo Henrici II. missali exemplo exstitisset nuper fusius Riehl demonstravit zur Bayr. Kunstgesch. I. Berol. 1885 p. 13 sqq.. Alcuinianam recensionem cum quoque sequi iam inde apparet quod versus nonnulli qui in Alcuini exemplo nunc deperdito exstabant ad verbum fere repetuntur, imagines quoque Alcuinianae (cfr. Ianitscheck Strassburger Festgruss p. 25 Frimmel die Apokalypse p. 55) exprimuntur etsi paulo secus dispositae: veluti quae in codice aureo f. 6' videtur Alcuino in fronte codicis *erat. Atque quo adulationis Karolo Calvo rege Francia processisset inde a Karoli Magni gravitate satius perspiceretur, si qui saeculo IX. ex. Alcuinum excerpsit (cfr. Sickel. Sitzungsber. d. Wien. Ak. LXXIX, 512) plura transtulisset ex bibliis in codicem Parisinum 5577. Cfr. Duemmleri poet. Karol. I p. 292 sq.: ubi tamen excerpta Parisina praeeunte Frobeno versibus ex ipso codice aureo petitis interpolantur. — In codice Monacensi qui leguntur versus ium pridem editi erant a Colomanno Sanftl l. c.. Contuli ego cum exemplo, non sine labore volvens monstrum plus quam sesquipedale neque tamen sine fructu. Litterarum formae repraesentantur a Sanftelio et Silvestre.*

V. altera Karoli Calvi biblia codex olim S. Dionysi nunc Parisiis in bibl. nat. 2, 'a Parisino 1' (supra p. 241) 'genere et initialium et scripturae aliquantum diversus' (P. Corssen ep. ad Galat. p. 10), intra 871 et 873[1] *compositus. Cfr. Delisle le cabinet III, 259 tab. XXVIII, 1 et poet. Karol. I, 440). Carmen est f. 1'—3 quod cum Baluzi editione capitul. reg. Francor. II, 1566 sqq. Molinier mihi contulit.*

VI. denique cum Karoli Calvi libris apte coniungitur bibliotheca Romana in sacro S. Pauli scrinio foris custodita. De qua cum artis palaeographiae historiae scriptorum opiniones longissime inter se discedant (cfr. Blanchini euangeliarium quadruplex II Romae 1749 p. DXCIII et Duemmler. N. A. IV, 536) doleo equidem quod ipse inspiciendi occasionem praetermisi: nam versus quod denuo cum Margherini editione quam continent 'inscriptiones antiquae basilicae S. Pauli ad viam Ostiensem' Romae 1654 p. XXIII sqq. conlati sunt, id Augusto Mau debetur. Cum Pertzio tamen crediderim Karolum III. esse quo auctore codex scriptus est i. e. intra 880 et 88; nam de Karolo Magno propter scripturae genus de Karlomanno propter nomen de Karolo Calvo propter coniunctivum I, 14 cogitari nequit cfr. Archiv. V 457;[2] *similitudo autem textus scripturae (epist. ad*

1) *Hos angustiores fines constitui: nempe anno 873 quo anno Karlomannus Karoli iussu occaecatus est (Duemmler Gesch. d. Ostfr. R. I, 796) vixdum quisquam Karoli clementiam praedicare potest.* 2) *Haud scio an haec dum Pertz et Schnaase Gesch. d. bild. Kuenste [2] III, 640 adn. 2 mihi inponunt confidentius pronuntiarerim. Nam quod Schnaase de imagine imperiali stemmate compta adfirmat potest errare; quod autem rex orbus dicitur contra suadet ut de Karolo Calvo cogitemus cfr. Duemmler Gesch. d. ostfr. R. I 589 sq. et 758.*

Galat. ed. Corssen Berol. 1885 p. 10) picturae (Springer die Genesisbilder etc. Abhdlg. d. Sacchs. Ges. d. Wiss. IX inde a p. 670 Ianitscheck Gesch. d. Deutsch. Malerei p. 44 sq.) cum codice Parisino 1 (supra p. 241) eo explicatur quod ex ipso Parisino similive libro codex Paulinus fluxit i. e. ex exemplo Alcuiniano qualia Karolo Calvo regnante circumferebantur. Levem picturarum notitiam ex Seroux d'Agincourt V. ed. Franc. tab. XL—XLIV hausi deficiente nobis Westwoodi the bible of the monastery of S. Paul Lond. 1876.

I.

I.

Quattuor hic socii comitantur in ordine David:
Asaph ⟨est⟩, Eman, Ethan atque Idithun.

II.

Cum sedeat Karolus magno coronatus honore,
Est Iosiae similis parque Theodosio.

III.

Nobilis interpres Hieronimus atque sacerdos
Nobiliter pollens transscripsit iura Davidis.

IV.

Rex regum Karolo pacem tribuatque salutem.

V.

Hic calamus facto Liuthardi fine quievit.

II.

In cruce qui mundi solvisti crimina, Christe,
Orando mihimet tu vulnera cuncta remitte.

III.

I.

Rex benedicte, tibi haec placeat biblioteca, Carle,
Testamenta duo quae relegenda gerit.

[I.] [I.] *f.* 1′ 1 *supra imaginem c. g. apud Labarte l'hist. des arts industr.*[1] *alb. tab. XXXVIII expressam* 2 *ipsis figuris adscribitur, sed mancus; ante* EMAN *lineola dispicitur quam* ÷ *interpretatus sum an* *ÆTHAN *trisyllabum?* [II.] *f.* 3′ *supra imaginem Karoli Calvi ap. Labarte l. c. cfr. Cahier Mélang. I Paris* 1847—49 *p.* 30 *adn.* 1 [III.] *f.* 4′ *cfr. Cahier ib. ap. Lenandre les arts sompt. tab. I,* 21 [IV.] *f.* 106 *psalmorum seriem sequitur* [V.] *f.* 172

[II.] *supra imaginem regis Karoli Calvi repraesentatam in Anzeiger f. Schweiz. Altertumskunde* 1878 *tab.* I

[III.] [I.] *f.* 1—2

[I.] [I.] 2 *Nomina sumpta ex tractatu qui est in codice* de prophetia David, *quem edidit Vezzosi in I. M. Thomasi oper. II Rom.* 1747 *pag. XLI sq. cfr. C. L. F. Hamann Canticum Moysi Ien.* 1874 *p. V et Rahn psalt. aur. p.* 26 *p.* 61 *adn.* 66.

[III.] [I.] 1 *Theodulf. I p.* 523 *v.* 1 Rex benedicte.

Fert quod amas, quod amare velis, quod discere prosit,
Quod capias, teneas quodque frequenter agas.
Corrigit hortatur reficit castigat honestat
Arguit obsecrat increpat ornat alit.
Eloquium, mores, studium componit et actus
Estque cibus potus norma via arma salus.
Interiora hominis promit, caelestia pandit,
Aptat utrumque sibi munere plena dei.
Et praesens transacta canit praesentia monstrans,
Singula iura silet, singula sed resonat.
Instabilem quamvis stabilem post reddet amantem
Se, si sit fassis deditus ille suis.
(Dedit)us ut verum credat quod continet omne,
Inde sequens veri spes fiat aequa pii.
Dulcis amor nimium mox rite duobus in ollis
Tertius incedat, iungat et ipse tria.
Iam subeant menti, fuerint quae noxia culpae,
Per lacrimas genitus perque doloris opus.
Sic sic cum precibus quaeratur gratia Christi,
Muneris est cuius quicquid in orbe boni.
Quid volumus, petimus, facimus, quid scimus, habemus,
Inde datur, nostris, utile, non meritis.
Aut vanum aut vacuum aut nil aut laudabile nusquam,
Spiritus auctor agens cui nisi sanctus eat:
Quo duce res adaperta patet, quae clausa latebat
Antea, eo nutu hanc reserante suo;
Cum quo mens pollet, sine quo tenebrascit in umbris,
Ceu careat luce vel rationis ope.
Praeterea corpus minuant ieiunia digne
Casta atque excubiae noctis ubique bene,
Quatinus ingenium concrescat acumine sensus,
Cum caro putris abit, cum tenuata perit:
Carne fatigata pedetemptim gliscit acumen
Cordis et initium sumit habere datum.
Cos acuit ferrum (mihi crede): secare capillum,
Radere seu pariter absque labore caput.
Nec minus afflictum iusto moderamine corpus
Intellectum offert, sanat et auget eum.
Denique dum superent gazae, dum larga facultas,
Dum maiora inhies, dum utiliora roges,
Da quod egent miseris, miserum defensio fito:
Pauper egenus inops te miserante boet.
Te miserante boet, vivat quicumque misellus:
Te auxilium vitae postulat esse suae.

---

15 **suppl.*

17 *Sedul. hym. I,* 82 Dulcis amor Christi. 25 *Amor. I,* 5, 23 nil non laudabile vidi. 27 *Theodulf. contr. iudic.* (*I,* 506) *v.* 498 Quo via clausa diu nunc adaperta patet. 37 *Amor. II,* 2, 9 mihi crede. *Infinit. est pro imperativo.* 39 *Aldhelm. laud. virg.* 731 iusto moderamine pondus.

Esto pater frater mater soror agnus utrinque,
Debilibus spes res gloria summa dies.
Dilige iustitiam: callis comitetur amicus
Iustitiae tecum primus ad omne bonum.
Exalta muni custodi collige lauda
Sublima clerum seu venerare tuum.
Aedibus et sacris meritos sic defer honores,
Sedibus in sanctis ut merearis opem.
Tempore manduca bibe dormi surge labora:
Sunt facienda suis omnia temporibus.
His habitis aliisque bonis in nomine trino
Cunctipotentis heri cum deitate sui,
Huius ab initio thomi scrutarier oro
Eius scripta pia mente opere ore fide.
Hic fons, hic doctrina potens, hic flumina opima
Eclesiae sanctae candidiora nive.
Scilicet alticanori quinque volumina Moysi
Iuncta nitent, mortem illius usque canant.
Iosue dux ducens consurgit fortis in armis
In patriam populum, iure tenente locum.
Septimus ecce liber censorum nomina fatur,
Quorum Hebrea fuit sub ditione manus.
Horum facta genus tempus loca bella triumphi
Sunt inserta sibi debito honore sui.
Femina quis sociata sedet Ruth nobilis una,
Quam Iob eximiae consequitur fidei.
Hunc imitare libens, quoniam patientia pura
Extitit ac nobis magna figura fuit.
Quattuor et Regum libri bis octo Prophetas
Ante, quibus David iungitur hymnificus:
Hymnica psalmorum cecinit qui carmina David
Plurima de Christo mystica saepe loquens.
Prodiit ex cuius regali virgo Maria
Semine, quae peperit virgo beata deum.
Pacificus Salomon nec non Sapientia iuxta,
Tertius est Iesus continuatus eis.
Post Paralypomenon, Ezras quoque sive Nemias,
Hinc Hester, Iudith et Tobias recinit.
Inclita bella deinde tonant Machabea quondam
Pro lege ac patria proque salute data.
Haec scriptura quidem breviter memorata vetusta
Stat quanquam modico rusticuloque stilo.
Initiant testamenti praecepta novelli
Bis duo concordi famine sanctivomi:
Mattheus Marcus Lucas celsusque Iohannes
In sensu parili dogma tonando dei.

---

49 *cfr. Theodulf. ib.* (493) *v.* 1 Iudicii callem. 50 *Theodulf. ib.* (496) 102 primus ad omne bonum. 62 *Theodulf. praefat. biblioth.* (536) 148 candidiora nive. 91 *Theodulf. praefat. bibl.* 87 Mattheus Marcus Lucas sanctusque Iohannes, | vox tonat.

Personae quorum variae, doctrina sed una,
Unus utrisque tenor, una sequenda via.
Hi, quid vel quae quanta seu vel qualiter egit
A patre descendens natus, ubique docent.
Hinc hominis primo facies asscribitur, orsus
Est quia sat domini caelitus ex genesi.
Forma leonis inest pulchre formata secundo,
Quod tetigit rura devia voce sua.
Rebus ait sacris siquidem quia tertius, inde
Nunc olli species imprimitur vituli.
More aquilae quoniam transcendit sidera quartus,
Eius ob id specimen sthematis ipse gerit.
Quis et, apostolicos, Lucas, quod edidit actus,
Subdit, ubi totus instruitur populus.
Catholicae hinc septem redolent mirabile cartae,
Format apostolicus quas operando stilus.
His haerent bis septem Pauli scripta deinde,
Ante lupina cui vox modo ovina micat.
Hoc concludit opus iam visio sancta Iohannis,
Visio sancta satis ac memoranda nimis
Haec nova rite cluit series subiuncta priori,
Umbra prior quarum causaque posterior.
Ergo iter est duplex, utriusque effectus in uno,
Quo tribuente datur scansio celsa poli.
Hic, quia divitiae aeternae vitalia mensae
Implent omnino nectare perpetuo,
Hic, paradyse, tuus nitida ratione patescit
Multimodus fructus melliferaxque locus.
Hic sitiens potum, esuriens panem, anxius aeque
Laetitiam inveniet, laetus et inde fiet.
Haec tamen in hoc mortali dum corpore quisque
Degit habetque magis, plus ab amore velit.
Sic si ligna magis dentur, magis aestuat ignis,
Sic mage vina sitit, prout mage quisque bibit.
Cum vero spes res fuerit, tunc pleniter horum
Plenus amator erit, iam saciatus ero.
Ad quod haec domus, haec doctrina, haec semita, tantum
Mens instet vere sub deitatis ope.
In phisicis, logicis, etiam moralibus istic
Omnia sunt, lector, in brevitate tibi.
Hic hic argentum aurum gemmae vascula vestes
Et quicquid terrae carius esse valet.
Hic et lex preciosa — nihil preciosius illa
Aut est aut viget aut ridet oletve sacre —

97—104 *cfr. Theodulf. praef. bibl.* 89—96. 105 *Theodulf. ib.* 133 Hinc ad apostolicos quos Lucas protulit actus. 109 *cfr. Theodulf. ib.* 97 *sq.*. 111 *ib.* 135 Visio sancta libros, quae sancto visa Iohanni est, | claudit. 125 *sqq. Theodulf. c. iudic.* 347 *sqq.* Non sitis haec explenda tibi . .: | quo magis ac *(ego;* hac *LM)* biberis, hinc tibi maior erit. | Estuat inde magis, quo plus ligna accipit ignis: 352 Et magis inde sitit, quo magis illa bibit. 135 *Theodulf. praef. bibl.* 151 Lex pretiosa dei est, quid enim pretiosius illa?

Iusta iubens, iniusta vetans, mala cuncta repellens,
Omnibus inque bonis nobilitate potens.
Discidium furor ira dolus discordia rixa
Consilio legis huius obire queunt.
Erudit indoctos, quosdam sapientibus aequans,
Contribuit mediis dogma salutis ita.
Magna pluit magnis, disponit parvula parvis,
Est in utroque stilus iustitiae validus.
Notitiam Iesu praebet confessio munda,
Extat ea en homini lex veneranda sibi.
Extat ea en homini lumen per compita mundi,
Terribili voce lux et origo sui.
Artibus ingenuis praecellit dignius ista
Ars: genere eloquio vi ratione vice.
Utile sive decens nec non perstringit honestum,
Imbuit exornat instruit armat amat.
Haec aperit, totus postquam mutaverit orbis;
Quid sit ibi eclesia mox reditura citim.
Terret ibi plures, quodam demulcet et illic,
Fixa futura notans nec dubitata quidem.
Ante tamen reserat clare primordia cosmi
Et per quam illius esse fuit sophiam:
In primis caeli terraeque marisque creator,
Ipsius et natus, spiritus atque agius.
Huius ab amne fluit divina scientia late,
Mundum pestiferis exspolians tenebris:
Quoque modo quisquis caveat munitus ab armis
Hostis perversi tela inimica nimis.
Quadrivium gignit virtutis nobile sane,
Terrigenum mittit per quod in astra genus.
Haec quam multiplici sermone salubria semper
Attrahit atque movet sive monendo iubet.
Haec iubet, atra fugat, dehinc fallacia pellit,
Vera superna capit: haec facit, illa fugit.
Exul ab exilio dapibus solatur opimis,
Cum legit aut relegit cumque relecta sapit.
Haec mala vile vehit coeuntia temporis huius
Nec digna aeternis aestimat esse bonis
Aut ea — cerne — timet: tantum formidat amare,
Quantum, ne non sit coetibus in superis.
Hic dominus loquitur, hic nos ei corde loquamur,
Quo nil maius adit, nil vel adire potest.
Quisquis es instructus mundanis usibus, hisce:
Quis Salomone opibus ditior emicuit?
Hoc concessa cui dives sapientia fecit,
Regibus ac cunctis hunc ea proposuit.

---

147 *Theodulf. c. iudic.* 19 per compita mundi. 149 *Trist. I,* 6, 7 Artibus ingenuis. 161 *Theodulf. praef. bibl.* 160 huius ab amne fluit. 164 *Aen. XI,* 809 tela inimica. 171 *Theodulf.* (*p.* 560) *LXXI,* 2 Exul ab exilio. 173 vile vehit *i. q. vile facit, putat.*

Tu quoque, qui es humilis, — prudens intentio sancta —
Se propter sophiam dilige posce cape.
An non plus id pro quo aliud fit, quam actio quae fit?
Se tamen haec sophia plus nec habere quiit.
Ergo deus trinus pax seu sapientia vera:
Ultra non laus nec versificalis apex.
Huic operi magno magnis te nisibus aptas,
Inclite rex Carole, lumine care mage.
Es splendor populi, lux mundi, gloria regni,
Et bonitate prior nec pietate minor,
Nunc etiam cunctis praelatus iustius, alme,
In genere humano nisu opere arte fide:
Vi David, intellectu Salomon benedicto,
In specie Ioseph, spe induperator ovans.
Qui mare, qui terram, qui totum continet orbem,
Te conservet amet ducat adusque polum.
Sit tibi honor pax ordo decus patientia regnum
Prosperitas omnis et sine fine vale.

II.

Exit Hieronimus Roma condiscere verba
Hierusalem Hebraeae legis honorificae.
Eustochio nec non Paulae divina salutis
Iura dat altithrono fultus ubique deo.
Hieronimus, translata sibi quae transtulit almus,
Ollis hic tribuit, quis ea composuit.

III.

Adam primus uti fingitur istic,
Cuius costa sacrae carpitur Evae.

Christus Evam ducit Adae,
Quam vocat viraginem.
Ast edant ne poma vitae,
Prohibet ipse conditor.

Suadet nuper creatae
Anguis dolo puellae.
Post haec amoena lustrans
Adam vocat redemptor.

Uterque ab umbris pellitur inde sacris
Et iam labori rura colunt habiti.

IV.

Suscipit legem Moyses corusca
Regis e dextra superi, sed infra
Iam docet Christi populum repletus
Nectare sancto.

V.

Psalmificus David resplendet et ordo peritus
Eius opus canere musica ab arte bene.

[II.] *f.* 3′ *versus tabulae adscripti qua Hieronymi gesta depinguntur cfr. Louandre tab. I,* 18 *Westwood palaeogr. sacr. pict. tab.* 26 5 *SVI cod.* [III.] *f.* 10′ [IV.] *f.* 27′ [V.] *f.* 215′

[III.] *Alcuini sunt cfr. Westwood palaeogr. sacr. pict. Lond.* 1843 *ad tab.* 25 *p.* 2 *et catalogue of ancient manuscr. in the Brit. mus. part. II, Lond.* 1884 *p.* 3. [IV.] *Alcuini est cfr. ll. cc..*

VI.

Exulta, laetare satis, rex inclite David,
Egregii voti compos ubique tui.
Carle, decus regni, fax cosmi, gloria cleri,
Eclesiae fautor militiaeque decor,
En iam lecta tibi series transacta vetusta,
Sed nova rite sequens ista legenda patet.
Cuius in initio clare primordia clara
Mattheus domini concinit ex genesi.
Ceu leo per deserta fremit deserta minando
Vox tua, Marce, suo fulta perenne deo.
Mystica sacra sacre partis per quattuor orbis
Fert studium Lucae lucis ab arce piae.
Ad genitum patris super aethera, celse Iohannes,
Scandis et ex verbo verba colenda canis.
Eximii hi iaciunt late mysteria Christi,
In sensu parili conveniuntque sibi.
Plusve minusve vel aequa boant, sua sicque dehiscunt,
Attamen effectus unus utrinque novus.
Hoc euangelium sanat blanditur honorat
Castigat reficit munit honestat alit.
Hic modus effandi, hic virtus, hic actio munda,
Hic cibus, hic potus, hic benedicta salus,
Hic vita caritas via spes verumque fidesque
Seu bona cuncta simul consociata vigent:
His assuesce, diu haec meditare, haec dilige sive
In sermone, opere haec habitare stude.
Rex bone, rex sapiens, rex prudens, rex venerande,
Rex Carole alme, vale cum pietatis ope.
Det tibi sceptra patris Iesus, confirmet, adunet,
Proemia sanctorum ut merearis. Amen.

VII.

Rex micat aethereus condigne sive prophetae
Hic, euangelicae quattuor atque tubae.

VIII.

Hic Saulum dominus caecat, hinc fundit in imam
Terram, post trahitur caecus, ut ire queat.
Alloquitur Sabaoth Annaniam quaerere Saulum,
Reddit et en olli lumina adempta sibi.
Quam bene, sancte, doces vitalia dogmata, Paule,
Ex serie prisca caelitus atque nova.

IX.

Septem sigillis agnus innocens modis
Signata miris iussa disserit patris.

[VI] *f.* 329 [VII.] *f.* 329′ [VIII.] *f.* 386′ [IX.] *f.* 415′

[VI.] 21 *Theodulf. praef. bibl.* 217 actio munda. [VII.] *Alcuini est cfr. Westwood et catal. Londinens. ll. cc.*. [IX.] *Alcuini est cfr. ll. cc.*.

Leges e veteris sinu novellae
Almis pectoribus liquantur ecce,
Quae lucem populis dedere multis.

x.

O decus, o veneranda salus, o splendide David,
Rex Carole alme, vige cunctipotentis ope.
Gloria, laus, honor, omne decens, miseratio clemens,
Pictus es hic studio artis ab eximio.
Sed quia tam haec rutilans species it, non nisi fecit
Vera tui, omnis cui cedit imago viri;
Es prior effigie, sensu prior, artibus, odis:
His prior aut illis? — restat in ambiguis.
En bene grata tuis haec ignoratio, David:
Fulget ubique locus laetitiae nimius.
Fert et eis manifeste, quod sis maior utrinque
Magnis in cunctis, omnibus orbe viris.
Iusta iubes, iniusta vetas, mala cuncta recidis:
Dictis seu factis is via sancta tuis.
Quae canis, ipse facis neque in his reprehensio sordet:
Haut in utroque, nisi actio pura dei.
Eclesiae fotor, cleris populisque levamen
Ordinibusque sacris quam sacer ordo satis.
Per te pontifices pueros cum chrismate sancto
Nomine de Christi rite novare queunt.
Quis tribuis meritos merito deitatis honores,
Dum te subdis eis corde opere ore fide.
Scis — ideo servas —, quod portio debeat ire
Prima tui domini, qui dedit esse tibi.
Pauper egenus inops vidua orfanus anxius orbus —
His aliisque datus es pater atque cibus.
Iudicii volvis totiens extrema diei
Quodque putris caro sis ac periturus homo.
Propterea es iustus prudens fortis moderatus,
Semper larga manus et pietatis opus.
Quis pluviae guttas, numerum quis novit harenae?:
Te laudare potest pleniter aut merite?
Ceu plumbum argento, aes auro, rus sidere distat,
Gemma vitro: scandit plus tua fama modo.
Ante Brito stabilis fiet vel musio muri
Pax bona, quam nomen desit honosque tuum.
Iam iam pro tanto, pro tali rege profusas
Orbis agat mecum totus abunde preces:

[x.] *f.* 422 16 *AVT *cod.*

[x.] 13 *Theodulf. praef. bibl.* 149 Iusta iubent, iniusta vetant, mala cuncta recidunt. 31 *Theodulf. praef. bibl.* 203 numero transcendit arenam et pluviae guttas. 35 *Brittonum gens semper rebellis, quacum pugnans Vivianus* 851 *interfectus est ut versus paene vaticinatio post eventum videatur. Theodulf. ad Karol. reg.* (*p.* 487) *v.* 163 *sqq.* Ante ... | aut tumido muri musio terga dabit.

Ut valeat vigeat vivat per saecula felix,
Utatur pace prosperitate fruens,
Regnum habeat teneat dilatet fulciat ornet,
Addat ei iura legis ab arce pia,
Insuper his habitis praeclare in tempore mortis
Perpetuam requiem hic mereatur. Amen.

XI.

Haec etiam pictura recludit, qualiter heros
Offert Vivianus cum grege nunc hoc opus.
Ante ubi post patrem primi: Tesmundus amandus,
Sigvaldus iustus, primus Aregarius:
Quis tribus est probitas, pietas verumque fidesque,
Cetera honesta quoque consociata simul;
Quartus his iunctus haeret, sanctissime David,
Qui te vi tota mentis amore colit.
Hi proni tibimet domino de parte beati
Martini ac fratrum ecce librum tribuunt.
Cuius honore rogant: placeat laudetur ametur
Scrutetur prosit auxilietur alat.
In quo nil aliud quam fratrum sola voluntas
Ex, tua quas, villis, iussio reddiderat.
Reddis eas, Caesar, Martini pro veneratu,
Domni ceu precibus semper amabilibus
Perpetui nec non Briccii tutamine sancti
Proque aliis reliquis, o paradise, tuis,
Immo magis pro te, Iesu salvator amate,
Sis ut ei vita denique perpetua,
Pro famulis nobis etiam oratoribus aptis,
Quos sitis obruerat, frigus et atra fames
O rex, o reverende, fiet renovatio fixa
A mercede data sive salute tua.
Praevaleat regale decus superetque potestas
Regum de more, qui coluere bonum.
Praeceptum genitoris, avi, proavi renovasti:
Hoc stet, hoc maneat, hoc nec obire queat.
Quod tua sancta manus nuper firmavit honeste
Praecepti serie, prorsus eat stabile.
Quid facient alii, regis mutatio tanti
In facto hoc fuerit si hoste vigente malo?
I procul atque procul, scelus, hoc crudele per omne:
Tu prope, iustitia, vince, nociva fuga.
Quas laudes tibi, quas grates, quae carmina, David,
Quod par dulce melos vox, lira, corda canet?:

[XI.] *f.* 422′

39 *sq. Sigil. p. Karol. II,* 671, 8 *sq.*. [XI.] 4 *Aregarius anni* 845 *diplomati ap. Mabil. annal. Ben. II app. LXVI* custos et presbyter *monasteri maioris Turonensis subscripsit.* 7 *Hic* quartus *est quem biblia composuisse veri simillime conicit Manitius.* 14 *Cfr. Boehmer reg.* 1607 *ad ann.* 849. 15 *Sigil. l. c.* 12.

Nos, siquidem psalmos, missas, speciale precamur,
Psallemus pro te, coniuge, prole pie.
Sic nostri vere post nos quicunque futuri
Assiduas fundent multiplicesque preces.
Sint tibi spes, virtus, lumen, victoria, Christus,
Pax, laus continue: rex bone David, ave.

IV.

I.

Hic residet Karolus divino munere fultus,
Ornat quem pietas et bonitatis amor.
Hludowic iustus erat (quo rex non iustior alter),
Qui genuit prolem hanc tribuente deo.
Alma viro peperit Iudith de sanguine claro,
Cum genitor regnis iura dabat propriis.
Hic nomen magni Karoli de nomine sumpsit,
Nomen et indicium sceptra tenendo sua.
Hic David vario fulgescit stemmate regis
Atque Salomonica iura docentis habet.
Istius imperio hic codex resplendet et auro,
Qui bona construxit multa favente deo.

Arma tibi faveant Christi stabilita per aevum,
Muniat et clipeus semper ab hoste suus.

Francia grata tibi, rex inclite, munera defert.
Gotia te pariter cum regnis inchoat altis.

II.

Suscipit, agne, tuum, populus, venerande, cruorem
Et synagoga suo fuscata colore recessit.

Omnia, quae praesens tellus producit alendo
Et maris haec facies limbo circumvenit amplo,
Agne, deum solio temet venerantur in alto.
Cana caterva cluens, vatum et venerabilis ordo,

[IV.] [I.] *f.* 5′ 1—4 *supra imaginem Karoli Calvi in throno sedentis v. Foerster Denkmale IX. Lps.* 1864 *tab. ult. et Cahier nouveaux mélanges d'archéologie I p.* 47 5—12 *infra eandem imaginem* 13 *supra ensiferum dextra regis stantem* 14 *supra scutigerulum sinistra regis stantem* 15 *in margine sinistro iuxta imaginem provinciae cornu copiae tenentis* 16 *in margine dextro iuxta parem imaginem* [II.] *f.* 6 *apud Cahier l. c. II tab. V* 1—2 *cingunt agnum* 3—10 *in ima pagina ubi 'infra agnum viginti quattuor seniores repraesentantur coronas manibus tenentes easque agno offerentes; infra in dextro angulo visitur Neptunus cum urceo et tridente: in sinistro Terra cum cornu copiae in utraque manu' Sanftl p.* 48 *cfr. Frimmel die Apokal. etc. p.* 55

[IV.] [I.] 16 *Septimania est cfr. Sanftl. p.* 47. [II.] 2 *Sedul. V,* 357 Discedat synagoga suo fuscata colore. 3—5 *ex Alcuino v. vol. I p.* 293 1 *sqq. ubi inscribitur:* Isti in altera pagina, ubi agnus pictus et XXIV seniores et terra et mare. 6 *cfr. Theod. contr. iudic.* (*I,* 494) *v.* 22 Inde prophetarum sancta caterva cluit.

Coetus apostolicus sertis coelestibus instans
Laudat, adorat, amat devoto pectore temet;
Et princeps Karolus vultu speculatur aperto
Orans, ut tecum vivat longevus in aevum.

III.

Christus, vita hominum, caelorum gloria summa,
Librat tetragonum miro discrimine mundum.

Ordine quadrato variis depicta figuris
Agmina sanctorum gaudia magna vident.
Ex quibus Isaias divino munere fartus,
Hieremias pariter domini miracula psallunt,
Hiezechihel sedemque dei describit et ista,
Et Danihel Christum narrat de monte recisum.
Humanum Christi describit Mattheus ortum;
Scribendo penitras coelum tu mente, Iohannes;
More boat Marcus frendentis voce leonis;
Mugit amore pio Lucas in carmine Christi.
Pagina nunc praesens retinet splendore venusto,
Quae proceres octo ore pio reboant.

IV.

Christus ut humanam traxit de virgine vestem,
Mattheus ter iuncto componit in ordine patrum.
Hic, deitate potens actus quos gessit Iesus,
Pandit: et in hominis speciem depingitur idem.
Multa legenda sibi genti descripsit Hebreae,
Quo nunquam legis sese succumbat in umbris.

V.

Hic leo surgendo portas confregit Averni,
Qui numquam dormit, nusquam dormitat in aevum.

VI.

Filius hic Petri Marcus, quia fonte renatus
Famine praepulchro perstringit gaudia verbi,
Quae didicit sollers ipso monstrante magistro
Pervigil Italicam fecit cognoscere plebem.
Terribili specie formaris rite leonis
Tu, quia terribilem fingis rugire leonem.

[III.] *f.* 6′ *Cahier II tab. IV.* 1. 2 *Christum polum in dextra, in sinistra librum clausum tenentem cingunt* 3. 4 *in paginae primordio* 5 *cingit imaginem quae est supra Christum* 6 *eam quae est a dextra Christi* 7 *quae est a sinistra* 8 *quae est infra Christum* 9 *supra eam, quae est supra in sinistro paginae angulo* 10 *in dextero* 11 *infra in sinistro* 12 *in dextero* 13. 14 *subtus* [IV.] *f.* 15′ *sequitur elenchum euangelii secundum Matthaeum* [V.] *f.* 16′ *cingit leonis imaginem* [VI.] *f.* 45′ *post elenchum euangelii secundum Marcum*

[III.] 3—8 *ex Alcuino l. c. p.* 292 *sq.* 1—6 *ubi inscribuntur* In fronte codicis isti versus habentur, ubi imago Christi et quattuor euangelistarum et quattuor prophetarum imagines continentur, *v.* 5 *est* precelso dogmate fretus.

VII.

Lucas Achaicis calamo describit honesto,
Quae tanti sedulus Pauli per verba secutus
Audierat docilis, peregrina veste decorus.
Nec pelagi fluctus potuit compescere verbis,
Iura sacerdotis quin scriberet themate primo:
Haec ideo facies vituli depingitur illi.

VIII.

Hunc Moyses agnum monstravit lege futurum:
Cunctis pro populis sufferri vulnera mortis.

VIIII.

Cum sancto penitras arcana labore, Iohannes,
Quae nullus potuit hominum nec mentis acumen,
Alta sophya nitens unquam penitrare legendo:
Ut deus aeternus factus caro virgine natus.
Et quia verborum pennis super astra petisti,
Te species aquilae sequitur, quae pervolat ethra.

X.

Dextera haec patris mundum dicione gubernans
Protegat et Karolum semper ab hoste suum.

XI.

Bis quadringenti volitant et septuaginta
Anni, quo deus est virgine natus homo.
Ter denis annis Karolus regnabat et uno,
Cum codex actus illius imperio.
Hactenus undosum calamo descripsimus aequor,
Litoris ad finem nostra carina manet.
Sanguine nos uno patris matrisque creati,
Atque sacerdotis servat uterque gradum.
En Beringarius, Liuthardus nomine dicti,
Quis fuerat sudor difficilisque nimis.
Hic tibimet, lector, succedant verba precantis,
Ut dicas: capiant regna beata dei.

[VII.] *f.* 64′ *post elenchum euangelii secundum Lucam* [VIII.] *f.* 65′ *inscriptio imaginis agninae* [VIIII.] *f.* 96′ *post elenchum euangelii secundum Iohannem* [X.] *f.* 97′ *circumscribitur manus deauratae simulacro* [XI.] *in ultimo folio* 126

[VIII.] *ex Alcuino l. c. p.* 293 11 *sq., sed v.* 1 monstravi 2 perferri. [X.] *ex Alcuino* 13 *sq.* Ubi dextera Christi est picta. Dextera, quae patris mundum ditione gubernat | et natum caelos proprium transvexit in altos. [XI.] 3 *sq. Ex Alcuino l. c.* 15 *sq.* In finem Iohannis euangelistae. Est *(ego; et cod.)* princeps Karolus, sancto qui more benignus: | illius hic codex enitet actus ope. *Cfr. e. g. Alcuin. p.* 284 *IV.*

V.

Biblorum seriem Karolus rex inclitus istam
Contexit chryso corde colens catharo.

O miranda nimis domini sapientia summi,
Quae praesens aderas, dum caelos ipse parabat,
Nec spectanda minus, quod sic disponere cuncta
Ordine composito nosti sub iure coapto.
Tu stellas stellis interposuisse videris,
Sidereas vario expungens discrimine metas,
Luminibus cunctis statuens praeponere solem;
Tu quoque circuiens coeli sic undique gyrum
Nexisti mediam convexo climate terram,
Tu mare fluctifluum divisa parte locasti.
Diversas gentes habitus sic mosque reservant,
Sed tu primatum cunctis in gentibus aequum
Sola tenes propria reprimens virtute superbos.
Regibus et regnis semper tu iura dedisti:
Paruit atque tuis quisquis de regibus orsis,
Culmine sublimi micuit sublimior ipse.
Felices dicti, felices sunt quoque facti,
Quique haesere tibi: tua laus et gloria regnant.
Biblorum serie de multis multa feruntur:
Correctis aliis, reprobatis denique multis
Quosdam glorifico rexisti nomine reges;
Sed servasse tuum tibimet specialiter unum
Ac proprium Karolum claret sapientibus orbis.
Quem solem solum regali scemate clarum
Lumine conspicuum ponis, sapientia, primum.
Nunc licet atque libet scrutari funditus illum
Rite modum, reges tibi quo placuisse sciuntur:
Sique tuus dici Karolus vel possit haberi,
Pandatur saltem paucis rudibusque loquelis.
Fortis nam David per te regnavit et egit
Arma beatorum nec non et norma reorum
Stare docens sanctos rursusque resurgere lapsos.
Non pateris humiles penitus tu, sancta, perire,
Quos te corde tuo satis acceptasse fateris:
Corripis et reprimis; quos corrigis, erigis aeque;
Exerces cunctos, animo quos diligis almo;
Viribus et validis virtutes grata ministras;
Displicuisse putant stolidi quos, diligis immo.
Rex Salomon, quoniam potius tua dona petivit
Ut sapiens posset fieri, praecelsior ullis
Regibus existens opibus pollebat opimis
Iudicioque rato tecum bona plurima sanxit
Doctrinaque tua mundum redimivit abunde,
Mirificum domino meruit quoque condere templum:
A te secedens, in se dispendia passus,

[V.] 30 *SICQUE *cod.*

Dogma quod exhausit de te, per saecula lucet.
Ergone tute tuum Karolum non diligis ultro?
An hominum cuiquam humili fit corde secundus?
An pietate calet caluitque tanta vel alter?
Qui memorans adeo cunctarum pectore rerum,
Ut nihil auditum vel visum oblivio carpat:
Propria sola latet delata iniuria mente.
An de iustitiae dicam sileamve tenore?
Si quid forte minus, fateor: miseratio vincit.
Eia age, prome manum largam, vox libera dictu:
Testis erit verax nunc orphanus atque pupillus
(Sic merito cunctos istorum nomine signo,
Dum non excipitur quisquam nec pellitur usquam).
Nec mare praeterea fervens in gurgite vasto
Hanc retinere manum potuit poteritque vel unquam:
Diversae hoc linguae diversa parte loquuntur,
Diversi mores laudant concorditer ipsam.
Felix ergo manus, sed mens felicior huius,
Pauper quae potius secum, quin constat egena,
Non inflata tumens regalis stemmate typi;
Sed, caro dum gemmis auroque ornata refulget,
Haec secum semper meditatur nocte dieque,
Lucidior Christo quo sole resplendeat ipso:
Sicque tuum Karolum facis, o sapientia, solem.
Nempe ubi thesaurus cor, ibi fore rite probatur,
Quod huius domino semper constanter adhaeret,
In quo quicquid habet dulci pietate recondit.
Quid si nunc ipsum terris in carne videret?:
Quo sub amore pedes, quo voto figeret ori?
Quando datam legem tanto veneratur honore,
Quid de euangelico textu replicabo colendo?
En ipsos apices gemmis circumdat et auro:
O quanto Christum mens fervida diligit ista,
Cuius amore sibi vilescunt omnia mundi.
Est modus, ut nec habens habeat nec habere cupiscat,
Est et habens sicut nec habens, sed et erogat ultro:
Ista virum virtus condigno nomine comit.
Ecce patet, Salomon quoniam, o sapientia, temet
Non plus dilexit Karolo sine fine beando.
Tu quoque nec David tantis per quaeque probasti;
Inter quae quaedam de quodam gratia facto
Multa tibi toto debetur corde ferenda:
Amisit David regnum rursusque recepit,
Morte tamen geniti tristatus valde dolebat;
Tuque tuo Karolo reparasti regna paterna
Nec dolor accessit, sed amor fraternus adhaesit:
Unde tuum Karolum semper servabis ubique.
Ergo nec hunc David nec Iob magis esse probatos

51 **an* tanta caluitque ?

Apparet plane, pro te nec plura tulisse,
Quanta tuus Karolus mitis, pius atque benignus,
ΝΗΦΑΛΕΟC ΦΡΟΝΙΜΟC CΠΟΥΔΑΙΟC ΚΑΙ ΔΕ ΔΙΚΑΙΟC:
Aequivoco Karolo frustratus germine digno
Indulsit pro te saevo scaevoque tyranno,
Omnibus atque suis regno privantibus ipsum
Tam bonitate proba, tanta pietate pepercit;
Quin pervalde suis inimicis maxima rursus
Praedia restituit, donans ac plura quibusdam.
Quid? mereatur erus sanci, sapientia, tantus?:
Iudicio nostro primus prae regibus extat.

Pragmate posco pio, populorum pectora pando:
Praecipuo prosit perproba proprietas.

VI.

I.

Rex caeli dominus solita pietate redundans
Hunc Karolum regem terrae dilexit herilem.
Tanti ergo officii ut compos valuisset haberi,
Tetranti implevit virtutum quattuor almo:
Imminet hic capiti de vertice cuncta refundens.
Denique se primum, tunc omnia rite gubernat
Prudenter, iuste, moderate, fortiter atque:
Hinc inde angelico septus tutamine sacro,
Hostibus ut cunctis exultet pace repulsis.
Ad dextram armigeri praetendunt arma ministri,
Ecclesiam Christi invictus defensor in aevum
Armipotens magnis quis ornet saepe triumphis;
Nobilis ad levam coniunx de more venustat,
Qua insignis proles in regnum rite paretur.

II.

Omnipotentis opus, quod continet iste libellus,
O lector reverens intellectuque probandus,
Si sapias vitae calles, hoc rite notabis
Et poteris causam tibimet rescire salutis.
Hic cataractarum vox est, qua clamat abyssus,
Alarum plausu et strepitu compellat abyssum.
Hinc spes atque timor iunguntur foedere ducto,
Et clemens iudex addiscitur omine certo.
Hic videas, quod non sine labe dies recoluntur,

---

98 **ΝΕΦΡΑΛΕΟC* cod.; versu superscriptum est (ab eadem manu ?)*: sobrius sapiens fortis atque iustus [VI.] [I.] 4 *TETRASTI *P(aulinus)* 13 AD *P i. e. 'at'* [II.] 2 profundus *Margarinus* 8 NOMINE *corr. P*

[V.] 99 *Karolus Karoli Calvi filius Aquitaniae rex mortuus est* 866. 100 *sq. Karlomanno Karoli Calvi filio anno* 871, *cfr. Duemmler Gesch. d. ostfr. Reichs I,* 758 *sqq.*.

[VI.] [I.] 1 Salomon pietate redundans *psalt. Salom. III. v.* 5 *ed. Hamann p. IX.* [II.] 5 *sq. ps.* 41,8.

Sed, quare cum labe dies merito peraguntur.
Hic cernas Adam factum libra pietatis,
A se defectum sed non sine lege relictum.
Hic cherub geminum diffuso corde videbis
Propitiumque deum manifesta luce notabis.
Tempore diverso diffudit spiritus idem
Hanc pietatis opem, sed Christo iudice finem.
Spiritus almificus hic pandit iura rotarum,
Atque volubilitas hic promitur ordine sacro,
Testamentorum per tempora quippe duorum;
Et sex aetates pro munere nempe dierum
Hic describuntur, quin septima facta quietis.
Hic Moyses legem cornuta luce ministrat
Atque prophetarum nobis oracula clangunt.
Emicat hoc iubar in toto diffusius orbe
Hic psalmista potens David domino cytharizans:
Et docuit laudes et scripsit iura precantum.
Hic cibus est dulcis, hic vero pignore manna,
Hic actus hominum merita de sorte notantur.
Quid caveas, lector, vel quid secteris in omni,
Hoc poteris certe redimito codice nosse.
Ista lucerna parata viam per saecula monstrat:
Tempora nam scribens aeternum vivere pandit.
Unde novum sidus sequitur de virgine natus:
Atque novi testamenti fit ianua Christus.
Qui reserans veteres umbras caligine tectas
Vera dehinc populis et praemia certa retexit.
Hoc et apostolicis dictavit famine scriptis
Hisque prophetarum firmavit dicta priorum.
His dapibus, lector, reficique fruique memento,
Quisque fidem Christi baptismate iam tetigisti.
Has nec Plato suis potuit reperire labore
Ideis, miro ingenio cum preditus esset,
Sed nec Pythagorasque matheseos studiosus;
Nec Maro, Meonius nec vates rite probatus
Veras delicias quiverunt tangere corde.
Christus ad haec nobis consultu et voce magistra
Prospexit votumque dedit iam velle paternum
Quaerere pulsando vitaque in saecla fruendo.
Hac, lector, mensa fruere ac de famine vive,
Hac mel atque oleum de petra suge salutis.
Rubra Falerna bibas, quibus hinc per saecula vivas,
Propositoque dei conscriptus in arce tonantis
Sis membrum Christi pretio de sanguinis emptus.
Haec namque invenies praesenti pascua libro,
Quem tibi quemque tuis rex Karolus ore serenus
Offert, Christe, tuusque cliens et corde fidelis.
Eius ad imperium devoti pectoris artus

13 XERVB *P* 45 *an* *çorda? 46 ad *cfr. supra c. I, 13 p.* 257

Ingobertus eram referens et scriba fidelis
Graphidas Ausonios aequans superansve tenore,
Mentis ut auricomum decus illi crescat in aevum,
Quem fecit priscos Christus transire monarchos:
Et sibi cognovit duce Christo sceptra tenere
Vota, quibus coram tete flagravit, adimplens.
Actibus ex priscis, quibus est translatio sena
Impenso studio Ptholomei bibliothecae
Aeolicis eius transmissae tempore libris,
Exhinc, Origenis, acer studioque notandus
Praecluis expositor Graecali famine promptus:
Nec modico sumptu pendebat pagina dives,
Quam variare stilis instabat Graecia tantis.
Hieronimus tamen haud potuit hunc ferre laborem:
Contulit ergo suis compendia magna Latinis,
Dum nemus auricomum fulgenti stringit ab ore
Iudaico panditque iubar stellaque veruque.
Possidet ergo decus merito venerabile semper
Hieronimus pollens Latiari stemmate multum:
Eius namque labor scriptis dictisque probatur
Esse probus veroque in saecula iure probandus,
Eloquio clarus, sensus quoque munere cautus.
Exemplum cuius nobis concede, redemptor,
Quo tibi vivorum simus regione placentes
Cum sanctis tibimet laudem sine fine canentes.

III.

Hieronimus velis secat aequora salsa secundis
Romanumque solum linquit loca sancta petendo.
Relligione vigens Hebraeo rite labore
Instruitur tali redimens elementa magistro.
Pelagii premit errorem cogitque fateri
Non meritis hominum conferri dona superna.
Te Paulam cum prole docet, quibus intima Christi
Gratia diffusum fidei donum duplicavit.
Archivum penetrans Hebraeum lampade cordis
Hieronimus sacros adytus et eburnea templa
Discipulis reserat, Latio transmittit habenda,
Iudaeumque nemus, quod eatenus invia nostris
Sepserat, ingressus cordato lumine lustrat;

---

59 *an* Ausonias ? 67 *Exhinc] EXTITIT HINC *P* [III.] 13 *an* *Seps erat ? *cfr. Auson. p.* 139

[II.] 64 *sqq. i. e. veteribus libris, quibus constabant ἑξαπλοῖ codices (sc. Septuaginta cfr. Hieronym. ep.* 106 *ed. Vall. I,* 2 *p.* 642) *bibliorum Ptolemaei temporibus ex ardenti eiusdem voluntate in Graecum translatorum, nisus es, o Origines* (-is *pro* -ης; praecluis *a* praecluere). 74 *Hieronym. l. c. p.* 645: Ubi quid minus habetur in Graeco ab Hebraica veritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit et signum posuit asterisci i. e. stellam . . .; ubi autem, quod in Hebraeo non est, in Graecis codicibus invenitur, obelon i. e. iacentem praeposuit virgulam, quam nos Latine veru possumus dicere.

Ingenio mentis capiens exponit in aures.
Moxque aperit geminum, triplex quoque sidus inorme,
Atticus atque stilus hinc surgit robore forti.

IV.

Hic homo formatur pulchro sub agalmate primus
Celsithroni verbo dictu mirabile cunctis.
Denique spiratur prorsusque sopore gravatur
Ac lateralis ei sociatur habenda virago
Sicque sua laetus gaudet de virgine virgo;
Attamen hanc serpens viciavit fraude maligna,
Exhinc illa virum vetiti per munera pomi:
Sic manet aequalis primae suggestio fraudis.
Pelleris hic, Adam, paradysi sede relicta,
Flammeus et gladius tibi clauserat antra salutis.
Subdere terrenis impresso vomere sulcis:
His merito servis, qui sponte superna relinquis.

V.

Perfusus Moyses domini dilectus amicus
Flamine divino cernens primordia mundi
Intulit, ut primo caelum terramque decenter
Fecerit et lucem noctemque aeterna potestas,
Quaeque repunt pennisque valent laticesque frequentant,
Post pedibus quicquid graditur super arva quaternis.

VI.

Exodus Hebream valide concrescere plebem
Praetitulat magni Ioseph pia facta revelans.
At natus Moyses positus salvarier undis
A regis nata rapitur, nutritur et inde.
Mystica signa rubi dum cernit luce repletus,
Mittitur Aegypti partes iam factus amicus
Aeterni regis splendens per signa draconis,
Quo domini populo Pharaonis fasce gravato
Deservire deo cedat nexusque resolvat
Ille ferox: illos factis ingentibus urget,
Unde manum domini validam, denas quoque plagas
Sentit adesse sibi victus per bella tonantis,
Dum currus proprios, plebem, quam rexit, et omnem
Fluctibus in mediis cursum finire tuetur.

VII.

E nubis medio Moyses flammaeque vocatus
Conscendit montem longe sistente ministro.
Ac precepta dei tabulis bis quina notata
Suscepit legis lumen perferre peritus
Experti populo, videat quo noscere verum
Et linquens credat domino simulachra nefanda.

---

15 *ENORMI *in* INORMI *corr. P* [IV.] 8 fraudis] *ante* D *litteram del. P* [V.] 3 *an* *Rettulit ?
4*noctemque] LUCEMQ. *P* [VI.] 13 *CURSUS *P* *REXERIT (*om.* et) *P*

VIII.

Fulgida sacratis pollent tentoria velis
Et vestes Aaron prolis seu linea candens,
Balteus ac cidaris, lapides et chrysmatis unctus,
Victima caesa boum nec non olocausta bidentum
Et totus passim typicus Laeviticus ordo
Dulciter asspirat caelestia dona ferendo.

IX.

En Numerus fortes recitat bellique feroces
Cordaque dura Chorae comitumque cremata per ignem
Contemptusque Abiron, Dathan tellure vorante,
Ira quippe dei populum cervice repressum;
Qualiter et Balaam missus caelestis ab aula
Obviat ense minans ac mandans verba salutis.

X.

Hic replicat Moyses legem suadetque tenendam,
Quae ventura forent, praedicens signa, per orbem.
Carmina prefigit docuit refugasque parentes,
Hinc propriis fratres meritis corroborat omnes.
Conscendensque Abarim miratur regna superba,
Corpore sic moritur verus sanctusque propheta.

XI.

Post obitum Moysis surgit Naveius heros,
Transit Iordanem; lapides ad castra ministri
Laevitae e medio Iordanis gurgite portant.
Urbs capitur Hiericho: salvator dividid arva
Per vicos, urbes, montes et flumina certe,
Designat nobis vitae caelestia regna

XII.

Templum tristis adit, rediit sed laeta prophetae
Mater; Heli cecidit fractis cervicibus: eius
Interitu priscae signatur ademptio legis.
Ungitur in regem proprio perimendus ab ense:
Et merito, quoniam servat non chrysma salutis.
Membris pauxillus David, sed robore fortis
Aggreditur Goliam, iactu fundaque peremit;
Victor abit predam referens trepidosque refirmans.
Caeduntur fortes nimium per Gelboe montes
Duxque Saul cecidit proprio de cuspide fossus.

XIII.

En victor David, prudens et praescius aequi
Abscidit clamidem chrysti diadema ferentis,

[VIII.] 4 *BIENDVM *P* [XI.] 1 *MOYSI *P* [XII.] 2 /EIVS *P* 7 GOL/AM *P* FVNDAEQ: *corr. P*

[XI.] 1 *Theodulf. biblioth.* 13 (*tom. I,* 533) Navegius heros.

Praebens exemplum, regem ne tangere quisquam
Audeat et fratres; scissis a pectore pannis
Singultu deflet natos functumque parentem,
Prae cunctis Ionathan, fuerat qui fidus amicus.

XIV.

In solio regem sabaoth residere propheta
Excelso cernit, seraphim volituntia circum
Propansas retinent alas modulamine senas
Et 'sanctus sanctus sanctus' sine fine fatentur.
Os vatis tactum mundatur et alta revelat:
Concipiat veram mundi quod virgo salutem.

XV.

Spiritus accelerans David cor regis adurit
Inflammansque iubet psalmos conscribere cunctos.
Quattuor en scribunt proceres oracula vatis:
Atque chori cytharaeque modi sonitusque tubarum,
Organa Davidicis pulsatis ordine fibris
Sancti euangelii, Christi misteria signant.

XVI.

Pacificus mula residens properatur adungui,
Quem sacer ille Sadoc unxit veneranter in urbe:
Omnis conclamat populus 'rex vivat in aevum'.
Sede patris residens discernit iura per omnes
Discernendo satis iuste meritricia facta
Imperiique decus pandendo stemmate pulchro.

XVII.

Barbaricas gentes constringens dux Olofernes
Iudeam petiit, fontes concludit aquarum.
Urbem iam fessam Iudit confortat et audax
Castra Olofernis adit: captatur visibus ille.
Casta caput retinens vino flagrante sepulti
Cervicem resecat, gaudens festinat ad urbem:
En viduae manibus, totum qui vicerat orbem,
Occubuit caecus victusque libidine caeca.

XVIII.

Antiochus Solimam subiens penetrale superbus
Ingreditur templi, tumidus rapuitque sacrata
Vasa dei legem conans evertere sanctam,
Traditur et morti, spernit qui iussa tiranni.
Surgens Mathathias quendam mactavit ad aram
In iugulo refugam; legis per sabbata sancta

[XIII.] 4 SCISCIS *P corr. Margarinus* [XIV.] 3 PROPANS *P* [XV.] 4 MODI *postea add. P*
5 DAVICIS *P corr. Margarinus* [XVI.] 1 RESIDES *P corr. Margarinus* [XVIII.] 1 PENETRA LE *P*
2 INGREDIATVR *corr. P*

Bella movens superat dextra pugnante superna;
Ad senium veniens Iudam preponit ad arma.
Filius expertus factis monitisque paternis
Intrepidus passim bellum cum fratribus urgens
Contiguas quassat gentes et comprimit ipsas,
Corruit egregie donum virtutis adeptus.

XIX.

Sede throni residens, mundum qui ponderat omnem,
Corda replet vatum, ut nobis archana revelent.
Altius Esaias, Hieremias Hiezechielque
Afflati Danihelque videns misteria tecta
Quattuor assignant nobis animalibus almis
Almigraphos Christi virtutum quattuor aeque.

XX.

Virtutum scriptor Matheus in ordine primus
Effulget Christi, de vectigalibus olim
Actibus extraxit clemens quem gratia Christi.
Discipulus scribit domini miracula factus
Fratribus Hebreis legis servantibus umbram,
Quo verum noscant animo velamine dempto.

XXI.

Hoc Matheus agens hominem generaliter implet.

XXII.

Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis.

XXIII.

Filius ecce Petri sancti baptismatis unda
In Christum credens Hebreorum patribus ortus
Laevites Marcus fulget hic ore secundus.
Pleniter instructus Petri sermonibus acta
Romanis domini scribens et tradit habenda
Nexibus asstrictis dudum serpentis iniqui.

XXIV.

Iura sacerdotii Lucas tenet ore iuvenci.

XXV.

Ordine luce micans Lucas hic tertius extat
Virginitate cluens, domino et sine crimine parens.
Is prorsus sancto plenus de flamine sanctum
Christi euangelium digne conscribit Achivis,
Ipsis et binam tribuit sic rite medelam,
Ut fuerat medicus bino medicamine iustus.

---

12 EGREGIÆ *corr. P* [XIX.] 4 AFF|ATI *P corr. Margarinus*

[XXI.] [XXII.] [XXIV.] [XXVI.] = *Sedul. I,* 355 *sqq.*.

XXVI.

Eloquio domini fulgens dilectus amicus
Sidereo meritis persplendet in ordine quartus
Iohannes vitae fontem de pectore potans:
Omnia transcendit ruris caelique volando.
'Verbum in principio' dixit, 'verbum et caro factum,
Quod pater, ut voluit, gremio transmisit ab alto.'

XXVII.

More volans aquilae verbo petit astra Iohannes

XXVIII.

Culmina caelorum calcata morte petente
Aeterno Christo caelestis nuntius inquit
Discipulis matrique dei: 'Ceu cernitis, olim
Adveniet tecto quodam residentibus una.'
Spiritus accedens cunctorum corda replevit,
Quorum collectae mirantur famina gentes.

XXIX.

Principis accipiens olim porismata Saulus
Corruit in faciem subito de nube vocatus.
Annaniaeque manu sacro baptismate tinctus
Corda replet fratrum, verum dominumque fatetur.
Turribus is septus, saxis atque undique magnis
Summissus sporta manibus sic fugit iniquis.
Ad gentes pergens largitur semina vitae,
Roborat et scriptis, tribuit quis verba salutis.

XXX.

Insons pro nobis agnus qui victima factus,
Detexit victor surgens velamina legis
Atque libri septem dignus signacula solvit.
Hic septem stellae fidei fundamine rectae
Designant unam sacro modulamine prolem,
Quae generat natos Christo sine fine beatos.

[XXVII.] 1 AQVILE *P* [XXIX.] 1 PRICIPIS *P* 3 SACRA *corr. P* 6 SVBMISSVS *ras.* B *P*

CARMINA CENTULENSIA.

Editur tandem, postquam diu iacuit spreta, carminum sylloge Centulensis, qua quae carmina continentur, vilia pleraque et aequalibus etiam inferiora, ad rerum monasticarum memoriam tantum afferunt et novi et certi, ut praestrigiarum loco, quas Hariulfus aequo liberalius sibi permiserat audacterque credulis exhibebant hagiographi, nunc demum fundetur Centuli historia. Centulum enim nominabimus monasterium illud S. Richarii in pago Pontivo iuxta Scarduonem fluviolum situm e veterum consuetudine, qui subaudierint monasterium, cum posteriore tempore Centula sc. villa increbruerit.

1. Unus[1] *totam syllogen servavit codex membranaceus olim Gemblacensis*[2] *nunc regiae bybliothecae Bruxellensis (B), sed qui in duas partes disiunctus sit, deperdita parte tertia, quae erat media. Ex iis, quae supersunt, altera nunc Bruxellensis 10470—10473 decem quaterniones et quinque folia continet ab ipso scriba numeris ab* I *ad* XI *in singulorum fasciculorum finibus insignita; altera nunc Bruxellensis 10859 a quaternione XIII initium capit non iam integro, cuius condicio est:*

a b c x y 1 2 3

Hunc subsequuntur reliqui quaterniones a XIV. ad XXI. dimidium. Quaterniones XII et XIII si modo erant veri quaterniones, versus perierunt 546: nam singulae paginae singulis columnis exaratae versus continent vicenos singulos. Meis numeris si comparantur, altera pars complectitur carmina 1—CLXVIII, altera carmina CLXIX—CLXXI. Scriptura, quae per omnes quaterniones sibi constat, saeculi decimi est minuscula Karolina. Cetera omnia a Bethmanno recte sunt enarrata[3]*. Idem Bethmannus (Bethm.) carmina exscripsit anno 1842, sed pauca reliquit neglecta, quae supplevi ipse a. 1886 codicem Bruxellis examinans*[4]*. Praeter Bethmannum baro de Reiffenberg codicem descripsit, carmina quaedam ex eo edidit, multa egregie ut solebat peccavit*[5]*. Nuperrime P. Ursmarus*

1) *Nescio, num codex Bruxellensis (B) idem sit, ex quo Pitra in altera Spicilegii Solesmensis serie, ut ipse in editorum tomorum tegumentis indicarit, editurus erat 'Miconem Centulensem'. De Trithemii codice dixi Abhandlungen d. bayer. Acad. I. Cl. XIX, 2 pag. 313—316.* 2) *Cfr. de Reiffenberg Annuaire d. l. bibliothèque r. de Belgique IV 122; Hénocque Histoire de l'abbaye et de la ville de S.-Riquier (Mémoires de la société des antiquaires de Picardie IX) II 546.* 3) *Apud Duemmler N. A. IV 103—122.* 4) *Apte hoc loco quaedam de fatis meae editionis referentur. Tradideram Guilelmo Harster V. C. carmina Centulensia aliquantum a me correcta, sed emendandi munere nondum perfunctus; reddidit ille correctiora eaque his locis: III 4, IX 2, XVI 20 et 25, XIX 25, XXI 7, XXII 15, XXVIII 14 et 24, XXIX 1, XXXIV 2, LXVII 5, LXXV 3, LXXVI 2, LXXXIV 5 et 13, XCII 36 et 43, CI 38, CV 2 et 39, CVI 25, CVII 15 et 20, CVIII titul. et 14* (Aspiciem, hos), *CVIII 31, CXVII 6 et 8, CXXXVII 36, CXLVIII 29, CLV 2, CLVII 3, CLXI 3. Decusset sane iisdem locis Harsteri nomen in apparatu adponi, nisi paginae 279—368 impressae essent iam tum, cum consilium huius voluminis communiter edendi nondum erat directum.* 5) *L. c. pag. 103—122; repetivit ea Hénocque l. c. (Mémoires X) III 545 recte quaedam observans.*

Berlière promens non nulla e codice 10470 a se inspecto iudicium praestitit incorruptum[1] *nec tamen totam quaestionem profligavit, cuius summa in eo versatur, ut recte iudicetur sylloge quomodo sit composita.*

2. Duo, si spectas in universum, huiusmodi syllogarum genera sunt distinguenda: unum earum, quae ab ipsis scriptoribus proficiscebantur quo opera singillatim emissa ederent coniuncta pristinam et per se gratam memoriam posteritati mandaturi; alterum idque medio aevo multo usitatius, quod serva imitatorum manus solebat conficere quo vetera probataque exhiberent collecta redacta accommodata subministraturi inde formulas ad novum usum idoneas. Altero consulebant immortalitati, altero utilitati. Huius generis est sylloge, quam qui Bruxellensem scripsit volebat condere; illius erant, quas adhibuit in condendo. Nomina, ut est MICONIS *(CLXXI), et pronomina, ut* NOSTRVM (*CL in titulo qui est* AD ABBATEM NOSTRVM), *deleri coepta sunt signa huius, vestigia ordinis temporum per carminum seriem servati signa illarum.*

Quae autem Bruxellensis libri scriba non nimis tenaciter olim conglutinavit, nos ea hodieque non solum e commissuris relaxare possumus, sed, si temporum notas et verborum versuumque artem in singulis carminibus prudenter observabimus, etiam plenissime dissolvere. In quo monendum est, ut tempora ad Hariulfi Chronica ne diiudicentur perverse.

3. Locupletiores enim quam Hariulfum de historia Centulensi, quatenus in eam carmina cadunt, praeter ipsa carmina testes habemus tres: acta ab Hariulfo tradita, Odulfi libellum ab Hariulfo usurpatum, miraculorum S. Richarii librum alterum. Accedit, quod quos nunc per carmina cognoscimus homines, possumus non nullos inter eos recognoscere aliunde.

4. Actis, quae omnia ut fide sunt digna ita infra adhibentur simpliciter, Centuli monasterii descriptionem anno 831 factam adnumero, quae est apud Hariulfum Chron. III 3[2]. *In ea praeter* nomina militum monasterio beatissimi Richarii famulantium[3], *e quibus in sylloges epitaphiis quaedam reperiuntur, maxime est memorabilis librorum catalogus*[4]*; unde eam partem adpono, quae non nihil nos adiuvare videtur et ad florilegii, quod sylloge continetur (I pag. 280 sqq.), rectius aestimandos fontes et ad carminum, quae ibi sunt CII et CLXII, accuratius definienda tempora:*

De libris grammaticorum:

1. Donatus,
2. Pompeius,
3. Probus,
4. de pedibus et syllabis.
5. Priscianus,
6. Cominianus.[5]
7. Servius,
8. Victorinus Mar(ius).
9. Diomedes,
10. Velius Longus,
11. Tadvinus,
12. Tullius Cicero rhetoricorum libri duo. omnia in IV vol.
13. Prosper.
14. Arator,
15. Sedulius,
16. Iuvencus,
17. Epigrammata Prosperi.
18. Versus Probae,
19. et medietas Fortunati I vol.
20. Quintus Serenus de medicamentis.
21. Fabulae Avieni.
22. Virgilius.
23. Eclogae eiusdem glossatae.
24. Althelmus,
25. metrum cuiusdam de veteri et novo testamento,
26. cum vita Cosmae et Damiani metrica in I vol.[6]

qui sunt libri XXVI.

---

1) *Studien und Mittheilungen aus d. Benedictiner und Cistercienser Orden 1887 pag. 175—181.* 2) *Acherii Spicileg*^{2}*. II 291; cfr. Th. de Sickel Act. Karolinor. ad L 269.* 3) *Acher. 312.* 4) *Acher. 310; male iterarit G. Becker Catalog. bibliothecarum antiq. 11 pag. 24.* 5) *Cfr. Keil in Grammaticorum Latinorum I 22.* 6) *Non novi.*

Ex his igitur Centulensibus libris cum alios scriptores tum Serenum Sammonicum (20), Avianum (21), Cyprianum[1] *(25), cum scilicet quem Alchimum appellare solet, sumere poterat florilegii illius qui auctor fuit Micon diaconus Centulensis. Fortunati autem illud exemplar Centulense (cfr. 18, 19) deperditum esse bis legimus in carminibus (CII et CLXII) doleri. Qua de re ita est statuendum: librum Fortunati nunc Petropolitanum olim Corbeiae Veteris, qui syllogen epigraphicam continet aperte scriptam Centuli*[2]*, saeculo nono in Probae versibus desiisse codici ipse affixus docet index; qui versus tamen in libro nunc desiderantur. Haec est altera Fortunati 'medictas', quae ante a. 831 Centulo Corbeiam est asportata quamque inveniri non posse et poeta queritur et videtur testari voluisse catalogus; altera, in qua erant Probae versus, Centuli remanserat (18, 19).*

5. Odulfus ostiarius Centulensis Libellum de sanctorum reliquiis a se collectis scripsisse neque ab Hariulfo traditur neque ab ullo usquam scriptore; haec mea est coniectura, sed quam mecum facturus sit, quisquis intentiore cura legerit Hariulfi capita III 11 12 14, in quibus disertus et doctus est, qui soleat aut tacere aut comminisci; partes autem primas ibi agit Odulfus aedituus. Atqui eiusdem Odulfi custodis *etiam carminis CXL versu 48 mentio fit, quod carmen a. 866 paulo post Rudolfi abbatis mortem compositum esse per se patet. Ita Hariulfo, qui Odulfum aedituum ad annos 864 865 866 867 laudat, fides accrescit vera. Post a. 867 et apud Hariulfum Odulfi memoria obmutescit et in carmine CV, quod a. 870 scriptum videtur, poeta quidam* Iam bini *inquit* sunt revoluti anni, postquam porta huius monasterii mihi commissa stat. *Anno igitur 868 novo custode facto Odulfus ex custode scripserat, quid custos monasterio prospexisset, ut Angilberti librum memorialem*[3] *quodam modo suppleret. Ab anno autem 864 quod reliquias et colligendi et postea describendi initium sumpsit, inde declaratur, quod hoc anno Danorum metu sensim desinente monasterium devastatum restaurare coeperunt et novis ornamentis augere. Hinc testimonium sumam ad carminis CXX tempus definiendum. Praeter CXL Odulfi memoriam in CXX, CXXVII, CXXVIII syllogae ita prodit, ut qui ea composuit possit fuisse Odulfus.*

6. S. Richarii Miraculorum libri[4] *post a. d. VI. Kal. Mai. 866 scripti sunt: namque post a. d. VI. Kal. Nov. 864*[5] *S. Richarii festum, i. e. a. d. VI. Kal. Mai., bis*[6] *attingitur: altero autem loco* praedicta festivitas *dicitur* post anni circulum advenisse. *Atque carmina LXXXII et CXXXVII, quippe per quae ab abbate petitum esset, ut S. Richarii Vita ab Alchvino olim edita tandem eo continuaretur, ut adderentur miracula recentiora, necesse est ante scripta fuerint quam scripta essent eadem miracula. Sed temporis spatium interiacet brevissimum, quoniam miraculi cuiusdam nocturni, quod visum est a. d. VI. Kal. Mai. 865*[7] *aut a. d. VI. Kal. Mai. 866*[8]*, mentionem carmina faciunt haud obscuram.*

7. Centulensium virorum praeter carmina memoriam, pridem non exilem, nunc, cum ad fidem carminum exigere possimus, etiam locupletiorem, bifariam divido. Ac primum dicam de abbatibus.

Karlomannus Karoli Calvi filius salutatur Centuli abbas a patre nuper institutus carmine CV. Erat autem abbas intra annos 868 et 873 destituto Welphone. Hoc dudum recte erat coniectum, comprobatur carminis versu 11 sqq.:

Felix illa dies nobis, in qua reboavit
Vox: 'Vester regis pastor adest genitus.'
Iam quia domnus abest Welpho, memorabilis abba,
Qui quondam nostrum rexit amando gregem,
In vobis siquidem nunc stat spes maxima nostra.

1) *Cuius editionem propediem habebimus a Rudolfo Peiper paratam.* 2) *I. B. de Rossi Inscript. Christ. II 1 pag. 72: cfr. Traube Abhandlungen l. c. pag. 325 sqq.* 3) *SS. XV 173.* 4) *Ediderunt Mabilio A. SS. saec. II 213 et Henschenius A. SS. April. III 447; excerpsit Holder-Egger SS. XV 915.* 5) *Mab. p. 224.* 6) *Mab. p. 224 et 225.* 7) *Mab. p. 224.* 8) *Mab. p. 225.*

Abest Welpho abba: *nimirum abesse coactus. Sequitur in codice carmen missum ad abbatem quendam, qui quis fuerit a poeta reticetur, at vero poterit indagari, si quis carminis eiusdem versus intellexerit hos:*

Mellifluas cuperem vobis depingere laudes,
Si clausum mihi cunctipotens sensum reserasset,
Visibus atque meis tribuisset cernere solis
Ardorem, venerande pater, nimiumque cupitum.
Denegat hoc quia iam spes nostra, dehinc reticescam,
Interea donec lyps flaverit alter ab illo,
Semina plura modo graviter qui flando perurit.

In his quaedam, ne quem offenderent, non sine aliquo consilio dicta sunt subobscure. Importuna tempora tempestatibus adsimilantur: solis ardor *est visus Welphonis;* libs ille qui nunc semina perurit *libido qua in ecclesiasticis possessionibus venum dandis redimendis grassabatur Karolus Calvus;* alter libs *qui speratur Welphonis reditus. Ergo ut carmine CV Karlomannus salutatur novus abbas, ita Welphoni non iam abbati valedicitur carmine CVI. In eodem poeta sic pergit:*

Gratia celsithroni sed vos salvet regat, oro,
Tempora per tensa multos digneque regendo.
Nec minus implorat iugiter — hoc credite nobis —
Grex noster solidus caritate, fide roboratus
Vos vestri circa pro patris amore — sciatis —,
Nos qui bis denos rexit feliciter annos.

Welpho igitur patrem habuerat item abbatem et qui viginti annos regnavisset. Hoc his temporibus non convenit nisi in unum Rudolfum Welphonis decessorem, quem Welphonis patrem fuisse alia causa adductus speciose coniectaverat Duemmler[1]. *Hinc ea res conficitur*[2]*, Rudolfi regiminis anni circumscribuntur, abbatum Centulensium chronologia habere incipit ubi nitatur. Quam in brevi tabella proponimus complectentes res certas et unam de Nithardo coniecturam, quae paene certa sit; mittentes primos ab Angilberto abbates, ut de quibus ex carminibus nihil addiscatur. Inde autem ab Angilberti tempore omnes Centuli abbates laicos fuisse vix est, quod praemoneam.*

Rigbodo Karoli Magni nepos abbas Centulensis	*?—842?*
translationem Angilberti Centuli fecit[3]	*Non. Nov.*[4] *842*
[† a. d. XVIII. Kal. Iul. 844[5]*]*	
Nithardus Karoli Magni nepos abbas Centulensis	*842*[6]*?—844*
†	*a. d. XVIII. Kal. Iul.*[7] *844*

1) *Geschichte d. Ostfr. Reiches*[2] *III 133 adn.* 2) *Potest conferri etiam CL post Rudolfi epitaphia collocatum, in quo versus sunt:*

O praeclare decus claro de sanguine vernans,
Regali dextro stas latere genio
Nec minus ex levo generosus sistis in orbe:
Te decet idcirco patris inesse loco.

Quos in cassum viri docti ad Nithardum retulerunt. 3) *Syllog. c. XLV.* 4) *Nithard. hist. IV 5; translationem Non. Nov. factam esse contra Meyeri de Knonau De Nithardo adn. 292 contendo. Ex Nithardi loco et epitaphio (c. XLV) in Reginensi codice a se invento (cfr. SS. XV 179) Hariulfus concinnavit III 5 (cfr. II 7).* 5) *Duemmler l. c. I 247 sq.* 6) *Abbatiam S. Richarii ut Ludovicus Rudolfo, ut Welpho Karlomanno debuerunt cedere, sic Angilberti translatione facta Nithardo Rigbodonem cessisse opinor: nam Rigbodonem interfectum esse non iam abbatem inde comprobari videtur, quod eius nullum inter carmina Centulensia epitaphium exstat; at Nithardum post Rigbodonem poni utique necesse est.* 7) *Syllog. c. XXXIII; diem correxit Duemmler ad Wattenbachii D G.*[5] *I 202.*

Ludoricus Karoli Magni nepos abbas Centulensis 844—846[1]
diploma Centulense[2] *a. d. V. Kal. Oct. 844*
Danorum metus, Centulensium fuga[3] *845*
[† a. d. V. Id. Ian. 867[4]*]*
Rudolfus Karoli Calvi avunculus[5] *abbas Centulensis* 846—866
[diploma Gemmeticense a. d. VII. Kal. Mart. 849[6]*]*
diploma Centulense[7] *pr. Kal. Mart. 855*
Centulensium fuga, Centulum a Danis devastatur *Iul. 859*[8]
Centulenses redeunt *April. 860*[9]
monasterium restaurare incipiunt *864*[10]
† *a. d. VIII. Id. Ian. 866*[11]
Welpho Rudolfi filius abbas Centulensis 866—870?
Danorum metus[12]
diploma Centulense[13] *a. d. VI. Id. Dec. 867*
diploma Centulense[14] *a. d. VI. Kal. Apr. 868*
diploma Centulense[15] *a. d. IV. Kal. Iun. 868*
Karlomannus Karoli Calvi filius 870—873
diploma Centulense[16] *a. d. XVIII. Kal. Febr. 870*
exauctoratur[17] *873*
[† 880][18]
Welpho Rudolphi filius iterum abbas Centulensis[19] 873—881
† *a. d. Id. Nov. 881*[20]

Fistula, post paucos summo tenus arripe versus,
Ut paucis valeas mecum perstringere verbis,
Quomodo cunctipotens caeli descendit ab axe,
Hostia pro nobis humilis ut fieret ipse
Ac simul et nomen maledictum tergeret, — ex quo
Eheu contumuit nimium deceptus ab hoste —
Primus Adam genitor quod nobis detulit olim
Atque propinavit, misero sed depulit alter
Gratis humano generi affectuque paterno.
Pro quo sustinuit supplex colaphos alapasque,
Innocuus tantum qui semet tradidit ultro
Consputus simul ac duro potatus aceto,
Insuper et diris confectus pessime flagris.
Post cruce se figi voluit, quo surgeret Orco
Mane die victor terna iam hoste revincto
Atque chao spoliato inibi Iudaque relicto,
Prodere qui dominum studuit cum fraude maligna
Mittens ficte Cain signum pro munere captus,
Venerat, illi, qui gratis pacem dare iustis.
Quapropter hodie festum celebremus ovantes
Olli paschale, pueri iuvenesque senesque;
Davidicas odas iubilemus corde benigno,
Ut nostris cunctus reboet clangoribus orbis:
'Haec est illa dies domini — laetemur in ea —
Primatum retinens nec non venerabile nomen'
Ac pariter resonemus: 'Sit tibi gloria, nate,
Una cum genitore tuo, in quo est †parti potestas:

---

15 malasanus *corr. B* 17 PLANVS *in marg. B* 20 Aethera *B corr. Bethm.*
[XXII.] 7 *cum tumuit *B* 15 *orto *B* 25 ille *B* eo *B* 28 *an* *par tripotestas?

[XXII.] 11 *Mico in opere prosodiaco f.* 15 Renuo per unum n. Cur? quia componitur ex . re . et . nuo. Audi exemplum (*Prosperi ad uxor.* 81):

Flagris dorsa, alapis maxillam atque ora saliuis
Praebuit et figi se cruce non renuit.

Miconis versum poeta Ecbas. captivi imitatur v. 900, *quem Peiper corr. Anz. f. d. A. II,* 103. 25 *Psalm.* 117, 24.

Quamvis personae variae, deitas tamen una est.'
Credimus hoc omnes sanctum sat pascha colentes
Esse etenim, quoniam potis est tibi sic, deus alme.
Idcirco validam nobis tu porrige dextram
Atque locum meritis, domine, quoque protege sanctum
Almi Richarii, celsa qui pausat in aula,
Ut valeant laudes hodie resonare canoras,
Inlaesi posthaec famuli mereantur habere
Pertensam pacem depulsis iamque malignis.
Hoc facias, pater omnitenens, hoc quaesumus omnes,
Et super hanc, te quam petimus, tribue, deus, oro,
Cui soli laus gloria semper, honor sine fine est.
Sit tibi laeta dies hodie, venerande magister;
Incolumis vigeas post hanc per saecula longa.

Oro in fine huius finctionis — ita loquor, si libet caritati vestrae —, ut mihi per praesens unam studeatis mittere cullam cum geminis pedulis, aut unde fieri possit, causa nostrae necessitatis absque ulla calliopistia, quoniam satis, fateor, indigeo eius. Et sit ita, precor, vestrum velle, uti, scio, est facere posse. Exin efflagito, ut hi apiculi presse legantur, ne nostri nostram rideant inertiam. Valete cum secundis successibus,

Et, germane, mei gratis memorare ne cesses;
Donec adest posse, sit tibi velle fore.

XXIII.
DE PENTECOSTE.

Suscipe, quaeso, pater, nostrum tu carmen ineptum,
Inscius, arte carens studui quod pingere ludens,
Atque simul parvos, rogito, post corrige versus,
Quos male compositos tibi porrigo, care magister.
Ecce dies hodie flagrat per climata mundi,
In qua discipuli fuerant pariter glomerati
Una cum sociis variis ex gentibus ortis.
Quis propere insonuit cunctis mirantibus ictus,
Ipsi sed subito perculsi ardore superno:
Spiritus in linguis rutilis descendit ab alta
Arce poli sanctus super ipsos atque resedit;
Quin etiam gratis infudit corda repente
Illorum donis nec non mentesque coruscis.
Tum Christi clara magnalia voce resultant
Illius igniti nimio caritatis amore:
Quapropter multi domino mansere fideles.
Sed pluresque plani resonabant corde maligno
Sermones varios propter, quos rite tonabant,
'Illos ebriacos nimium mustoque refertos,'

32 ualidam *et talia saepius B* 34 *quo *B* 39 ham *corr. B* 42 Incolomis *corr. B* ‖2 cull *B*
[XXIII.] 11 Arte *corr. B* 19 maestosque *corr. B*

Cum magis haud staret nisi tertia hora diei,
Ignari, quoniam sua dona suisque rependit —
Atque facit gratis viciis sine plura referre.
Sit tibi, praeceptor, vitaeque salus, precor, oro,
Nec non sancta quies ac perpes gloria Christi.
FINIT.

XXIV.

Iam pridem vestras studui pulsare benigne
Aures — incassum, minime quod nempe putabam;
Nuncque pudens nimium reticesco, care magister,
Vestrum ob promissum nec non nostroque petitu.
Nam post hoc, fateor, dubito rogitare, quod usquam est,
Iam quia speratum merui minime quoque votum;
Sed reor haud dignum fore memet munere tanto:
Ast, si vita manet, neque vilius ipse parabo.
Exempli regis Salomonis sis memor, alme,
Ante oculos illud quoniam gestare necesse est:
Praestat enim multo magis haud promittere quicquam,
Promissum post quam gratis non reddere donum.
Dulcis adelfe, vale, quem diligo mente fideli;
Hos apices relege insipidos feliciter, oro,
Postque salus animae perpes tibi gloria sitque:
Una cum sanctis valeas, precor, esse colonus. —
Versiculi nimium nostri causantur inepte,
Quod cupiunt facile munus habere grave.

XXV.

Annua festivitas hodie celebratur honore
Almi Richarii, qui colit astra poli.
Hic inopem Christi duxit pro nomine vitam,
Ut caelo socius fieret angelicus.
Captivorum etenim studuit fore satque redemptor,
Tutor egenorum atque pater inopum.
Non opus est, fateor, neque posse stringere cuncta,
Vivens quae gessit, quanta etiam docuit.
Qualis enim quantusque fuit, miracula pandunt
Illius in sacro saepe peracta loco.
Finibus in propriis ortus, quibus ipse quiescit,
Cuius pro meritis stat locus incolumis;

---

20 aut *in* aud *corr. B*

[XXIV.] 3 *recitesco *B* 4 ob urm̃ pactum *in marg. add. B* 8 *parebo *B*

[XXV.] *Idem carmen II(ariulfus) inseruit Chronico Centulensi I, 23 inscriptum* Mycon diaconus et monacus *iuxta* 4 sanctorum cẽlo fieret ſ ut socius *dittographiam add. B* 7 posse *sic B* possum H 11 properiis *corr. B*

[XXIV.] 9 *sqq. Eccle.* 5, 4 multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.

Ipsius obtentu nec non Christoque favente
Sistimus inlaesi denique nos famuli.
Quapropter hodie Christi iubilemus ovantes
Laudes pro sancti Richarii meritis;
Ut cunctis nostrae placeant praesentibus odae
Nec minus et domino: hoc igitur moneo.
Atque pium puro poscamus corde patronum,
Ut noster cuspis, sit simul et clypeus,
Quatinus armati precibus superare queamus
Infestos nimium catholicae eclesiae.
Hoc, mundi, facias, rector, quia haec tibi posse est;
Sit tantum velle, quaesumus, o domine,
Et tibi festa dies, praeceptor, laeta per annos
Innumeros: pauci versiculi hoc rogitant.

XXVI.

DE FESTA S. MARTINI.

Sacra dies colitur hodie per climata mundi *a. d. III. Id. Nov.*
Martini sancti, praesulis egregii.
Cuius enim Turonis corpus servatur in urbe,
Olim quae nituit nomen habens aliud,
Huius enim meritis vocitata est altera Roma;
Sed vix prima manet, busta secunda iacet. *a. d. III. Id. Nov. 853.*
Nam sacer antistes valuit compescere flammas
Atque inibi atroces sternere nempe viros,
Ignem qui quondam lenivit, qua recubabat,
Accensum circa aediculam subito.
Quisque potest hodie nostrum sub principe pigro
Sistere securus ac simul incolumis?:
Sed dominus iudex aequus quoque haud sine causa
Percutit invalidum eheu †quam polum.
Idcirco cuique assidue nostrum vigilandum est,
Ut fugiat prava nec sterilis maneat,
Quo precibus iuti sanctorum iure queamus
In regno Christi participes fieri.
Nos hodie Martini pontificisque iuvari
Summissi petimus ac meritis precibus,
Ut noster locus inlaesus mereatur adesse
Nec non tutati ipsius et famuli.
Hasque preces audi, domine, miserere serenus
Nobis, plasma tuum qui sumus inmeriti.

---

13 christo *corr. B* 19 corda *corr. B* 20 clypeus *B* 24 poscimus *H* 25 Et *sic BH* sit sub (*subintellege?*) *in marg. B*

[XXVI.] DE F SCI MARTIN *B* 14 *an* *quamque? *cfr. infra c. LXXIII, 25.*

[XXVI.] *Carmen, si minimum respicimus, a. 854 scriptum.* 5 *Cfr. Duemmler Gesch. d. Ostfraenk. Reiches² I, 386.*

Sit tibi festa, pater, numerosa ac laeta per annos:
Hoc rogitant nostri versiculi insipidi.

XXVII.

Iam dudum monitus coepi decerpere versus
Alfaque per betum figere marginibus,
Nomina doctorum simul e diverso notare,
Ut foret accensis suffugium pueris.
Sed tamen hos, lector, vigili tu mente retracta,
Ut teneas recta ac reprobes nocua.
At si profuerint, placeat iterare legendo;
Sin vero minime, semper, amice, vale.
Sis memor, oro, pro me implorare tonantem,
Tantis pro mendis ut mihi det veniam
Ac valeam faciat reminisci dicta magistri,
Oblivio fugiat: et tibi pax maneat.
Hoc faciat hominum dominus sator atque redemptor;
Os illud resonet semper, adelfe, tuum.
Unum te moneo: nostros ridere recusa,
Corrige sed versus quam magis insipidos.
Nam deus est prepotens nostram reserare loquelam,
Qui dedit os asinae sat bene verba loqui.
Ipsius et supplex ad finem posco iuvamen;
Quod rogito ut tribuat, hoc precor ut faciat.
Et tibi vita salus laus gloria tempore proso
Nec minus ac, lector, sit sine fine quies.

XXVIII.

Post primam genesim volui describere cosmi,
Qualiter ex nihilo, quicquid spectabile perstat,
Edidit altitonans verbo sine voce loquentis;
Quomodo vel primum hominem manibus sine finxit;
Ossibus ex cuius sine tactu sumpsit et Evam,
Quae mortem generi humano libavit amaram;
Qualiter ipsorum genitus mactavit inique
Insontem fratrem nimio livore refusus
Ac fodiens rurem, manibus, tumulavit et ipsum,
Eheu quem geminis elisit suasus ab hoste;
Quomodo deinde miser seme⟨t⟩ damnavit amare
Haud credens tantum facinus sibi posse remitti:
'Maior' enim 'mea fraus, veniam merear quam ut habere'
Inquit; 'si notus fuero, laceratus obibo'.

[XXVII.] 2 aduerbium est *in marg. B* 6 rectae *corr. B* 14 ADELFE *in marg. B*
[XXVIII.] 4 manibus sine finxit *in ras. B* 11 *semedamnavit *sed* d *in ras. B* 14 si natus fuero laceratus obibo *post. add. B* *natus *B*

[XXVII.] *cfr. supra p.* 294.

Plura pudet nostro calamo reserare patrata
Atque nefas etiam nimium peragrare dolosum;
Sed magis ipse gradu cupiens persistere coepto,
Donec post valeat roboratus fingere plura.
Interea, lector, calamo, tu parce retracto
Atque hic verborum structuram quaerere noli.
Inscius, arte carens nescit discurrere bina
Linea; quapropter, vitio sine, corrige nostra,
Quatinus ornate valeat discurrere noster
Celsos per colles calamus silvasque patentes.

XXIX.
ITEM DE NATALI DOMINI.

Ecce dies domini magno veneratur in orbe;
Credentes cunctos haec quoque laetificat.
Cuius in exortu pecudes hominesque resultant,
Plaudunt et manibus, exiliunt pedibus;
Nunc simul et pisces volucresque per aera ludunt:
Exorant puerum et famulantur ei.
Ipse etenim caeli veniens de sede superna,
Solveret a pomo ⟨daemonis⟩ ut hominem;
Posthaec sustinuit colaphos alapasque suis pro
Aculeumque pati: hoc quo⟨que⟩ non renuit.

XXX.

Vos Michael sanctus, Gabriel Raphaelque sub alis
Nunc et in aeternum foveant, ubi creditur esse
Christus celsitonans, terrarum conditor orbis.

XXXI.
NVNC INCHOANT NENIAE.

Nullus in hoc debet degens confidere mundo
Inque sua sophia nec non aetate iuventa.
Saepe solet pollens variis occumbere heu
Virtutibus fisus nimiumque deceptus in ipsis.
Quapropter quisque studeat, dum devehit artus,
Cantica, donec aflat, Davidica psallere, sanos,
Praesertim linguae plectrum sibi dum regit ipse,
Ne post depressus doleat, quod segniter egit.

15 patracta *B corr. Bethm.* 21 discurere *corr. B* 23 ornato *corr. B* 24 *potentes *B*
[XXIX.] 1 *magnus *B* 5 ut *corr. B* 8 *demonis *om. B* 10 quo *B corr. Bethm.* rennuit *B*
[XXXI.] 1 degen *B* 7 Persertim *B* 8 pressus *corr. B*

[XXIX.] 9 *cfr. XXII,* 11.

[XXX.—XLVIII. *et* LIX. LXIV. LXV.] *Neniae i. e. Epitaphia a Micone vel facta vel conlecta a.* 844 *ut opinamur.*

[XXX.] *cfr. Angilbert. SS. XV p.* 175, 17 *sqq.*

XXXII.

Fistula raucisonans, nunc incipe dicere causam
Leutgaudi iuvenis sophiae nimiumque vacantis.

MVSA.

Fistula: 'metri astu pollebat iure magistri,
In qua florebat velut unus Porphirianus.
Inter Christicolas magnum gestabat amorem;
Felle carens animo cunctis erat unus et ipse.
Auxilio Christi fultus nec adultus in annis,
Ortus trans Sequanam, nostra hac tellure sepultus
Octavo decimo Maias obiitque Kalendas,
Ipsius atque anima superum penetravit Olimpum,
Sanctorum meritis qua credimus esse iuvatam,
Quorum etiam supplex suppetia saepe petebat.
Nam quicumque legis, libeat, hos, dicere, versus,
Illi ut det dominus veniam, sine fine quietem.'

XXXIII.

EPYTAFIVM.

Hic rutilat species Nithardi picta sagacis,
Nomen rectoris qui modico tenuit,
Eheu quod subito in bello rapuit gemebundo
Mors inimica satis seu furibunda nimis:
Invidia siquidem multatus hostis iniqui,
Qui primus nocuus perstitit innocuis.
Astu nam belli viguit quasi fortis Asilas
Nec non ex sophia floruit ipse sacra.
Extitit elato rigidus, miti humilisque,
Contra commissum pacificusque gregem.
Cuius de Karoli genio processit origo
Nobilis ac celsa Caesaris egregii.
a. d. XVIII. Kal. Iul. 844? Occubuit Iuli octavo decimoque Kalendas
Hostili gladio; hac requiescit humo.
Hos quicumque legis versus, miserere suique
Dic: 'Animae ipsius det veniam dominus'.
Iam quia sublatus terris regione locatus
Sit, precibus, sancta, hocque frequens rogita,
Donec e tumulo salient cineres quoque vivi,
Corpore suscepto quo reparatus eat

[XXXII.] 2 *vacanti *B* 6 et ipse] IDEMQVE *in marg. B* 8 sequanem *B* ac *corr. B*
[XXXIII.] *praeter de Reiffenberg edd. Wattenbach DG.*[5] *I*, 202 *et Ursmarus Berlière l. c.* 179 5 iniquis *corr. B* 9 *elatos *B* miti *in* mites *corr. B* 11 gemino *B corr. Duemmler ad Wattenb. l. c. II*, 484; *cfr. c. CL*, 2 13 iunii *B* Iulii *Duemmler ad Wattenb. I*, 201

[XXXII.] 4 *quasi quidam discipulus Porfirii Optatiani.*
[XXXIII.] *Nithardum quod cum Duemmlero conicimus a. d. XVIII. Kal. Iul. a.* 844 *esse mortuum, confer supra p.* 268; *de epitaphii fide amplius non est dubitandum.* 7 *Aen. XII*, 127 et fortis Asilas.

Ad loca sanctorum fultus hinc inde maniplis
Angelicis sanctis cum patribus reliquis.

XXXIV.
ITEM.

Ecce sub hoc arvo flaccentia membra quiescunt
Ermenrici etenim callentis more catorum.
Quamvis arte carens, tamen usu iure calebat:
Praecipuus scriba, vivax lector fuit atque
Insuper occentor nec non numerator opimus.
Astu florebat saecli ingenioque vigebat.
Omitto lacrimans prorumpere plurima dicta.
Omnia hic retinet tumulus pauperculus ista.
Eheu quam nimium pollens cito lapsus in Orco:
Terno nam decimo Octobris obiitque Kalendas.
Hoc, animae, quicumque legis, miserere solutae,
Utque ei veniam tribuat, tu posce tonantem.

XXXV.
ITEM.

Ossa sub hoc tumulo requiescunt condita parvo
Egregii iuvenis Walathini monachi.
Decidit octavo feliciter ipse Kalendas.
Credimus in Christo . . . . . .
Huic vero, moneo, lector, miserere, misertus
Si, tibi, sit dominus, ut veniam tribuet.

XXXVI.
ITEM.

Hoc iacet in busto sopitus nomine quidam
Donadeus monachus nec non geometricus unus
Optimus ex multis, mechanica doctus in arte;
Auctor enim diversarum pulcherrimus ipse
Artium. Aprilis hic obiit quinto Kalendas.
Has quicumque legis, studeas rogitare tonantem,
Ipsius quo animae veniam faciat quoque habere,
Et tibi sit requies post hoc sine fine beata.

[XXXIV.] 2 *callenti *B* 8 *haec *B*
[XXXVI.] 5 Arcium *B* *an* quintoque? 6 Has *B*: *i. e.* nenias *cfr. XXXVIII*, 6

XXXVII.

I T E M.

Credita sunt urna pietatis membra sub ista
Veridici Asberti atque simul monachi.
Qui multos nimium iuste dilexit amicos,
Mundi rectorem nec minus et dominum.
Iuli nam Nonas obiit feliciter ipse
Grandaevusque satis, plenus amore pio.
Hunc quicumque legis titulum, dic, lector, habere
Illius veniam atque animae requiem.

XXXVIII.

I T E M.

Abdita sunt capulo Leutgaudi membra sub isto,
Eheu qui nimium iuvenis cito lapsus in Orco.
Bis denos annos iuveniles ipse ferebat,
Unus erat super ac medius fere iamque peractus,
Octavo decimo Magias obiitque Kalendas.
Has quicumque legis, lector, miserere sepulti,
Illius ut veniam praestet, sine fine quietem
Omnipotens animae, iuste qui cuncta gubernat.

XXXIX.

a. 844—846?

O pater egregie, regali sanguine cretus,
Partibus utrisque nobiliter genitus,
Consilio pollens, prudens domini ceu serpens
In sacris scriptis carminibusque simul,
Simplicis ac retinens animum sine felle columbae,
Elatis durus, mitibus atque humilis:
Fortis in adversis, sitis sed fortior, opto;
Cernuus assidue hoc rogito famulus.
Incolumem dominus vos nunc conservet in aevum
Ac tribuat vobis praemia luciflua.

[XXXVII.] 1 *an* *Condita?

[XXXVIII.] *cfr. XXXII.*

[XXXIX.] *Carmen, quod neniarum seriem interrumpit, post annum* 844 *ut videtur insertum est. Micon — nam is videtur fecisse, cfr. v.* 6 *cum c. XXXIII,* 6 *— in Ludovico abbate Danorum metum vituperat; cfr. supra p.* 268.

XL.

I T E M.

Israhelis tegitur sub petra hac corpus humatum:
Ipsius immota ossa, precor, maneant,
Donec exiliant concussis corpora bustis,
Cum quibus et pariter tunc propere saliet.
Nono etiam decimo Septembris, Christe, Kalendas
Occubuit; tribue huic veniam famulo.

XLI.

I T E M.

Sarcofago recubant Sicheri membra sub isto,
Tempsit qui mundi delicias cupidi,
Fieret ut Christi monachus pro nomine pauper,
Caelestem pariter carperet ac patriam.
Nam decimis obiit Septembribus ipse Kalendis;
Cui clemens, Christe, tu veniam tribue.

XLII.

I T E M.

Hoc per iter, rogito, qui pergis rite, viator,
Paulisper siste, hunc titulumque lege.
Ipsum perspectum, supplex memorare sepulti,
'Stainhardi'que pius dic 'miserere, deus,
Qui iacet in tumulo tumulatus more paterno,
Ipsius ac animae da veniam, domine.'
Octonis obiitque Novembris pace Kalendis;
Cuius perpetua sit requies animae.

XLIII.

I T E M.

Hoc iacet in tumulo tumulatus nomine Luto,
Veridicus iuvenis pacificusque suis.
Astu pollebat saecli populoque sedebat
Nobilis ac genere splendidiorque fide.
Ad cuius tumulum luctus resonabat amarus
Lugentesque sui, eheu, quam nimium.

[XL.] 1 regitur *B corr. Bethm.*
[XLI.] 1 recumbant *B*
[XLIII.] 6 suis *corr. B*

[XL.] *Israhel fortasse idem est quem inter* nomina militum monasterio beatissimi Richarii famulantium *Hariulfus ex descriptione Centuli* 831 *facta adfert Chron. Cent. III, 3; monachus certe non fuit.*

Et manibus plausis flebat tunc contio praesens,
Flebant et proceres nec minus ipsa cohors.
Bis quinis obiit Septembribus ille Kalendis:
Ad superos anima scandere non piguit.
Nam quicumque lẽgis titulum, miserere sepulti,
Ut veniam tribuat omnitenens animae,
Aethereis faciat semper gaudere triumphis,
Et cum caelicolis sit sine fine quies.

XLIV.

I T E M.

Conduntur cineres parvi tellure sub ista
Hildrici, domine, cui veniam tribue.
Nam ternis decimis hic Martis sorte Kalendis
Egressus terrae more hominum facie.
Hunc quicumque legis, 'superum' dic 'scandat Olympum
Hinc inde angelico fultus auxilio,
Totius residet mundi in quo iure creator,
Est ubi fraus nulla, sed probitas nivea'.

XLV.

I T E M.

Hoc recubat busto semper memorabilis abba
Angilbertus ovans, spiritus astra colit.
Mensis Marti obiit bis senis ipse Kalendis;
Construxit templum, quod retinet tumulum.
Et cluit Augusti Karoli sub tempore Magni,
Dogmatibus clarus, principibus socius.
Ante fores templi iussit qui se tumulari;
Richodo huc abba transtulit ac posuit
Non. Nov. 842. Post annos obitus bis denos eius et octo,
Corpore cum nactus integer in solito est.

---

7 preses *corr. B*

[XLIV.] 6 auxilio *B: Centulenses non solum* ceü heü eheü heheü *sed etiam* aüxilium *secundum Gallicanam pronuntiationem admittebant cfr. Traube Karol. Dichtung. p.* 112

[XLV.] *recepit Hariulfus III,* 5 *ex cod. R(eginensi)* 235 *saec. XI* (*SS. XV,* 179) 3 *martii *BR* 8 ribbodo *R* aba *B*

[XLIV.] 8 *idem versus infra occurrit XCI,* 10 *in Radberti Paschasii carmine.*

[XLV.] *Angilberti translatio facta est* 842 *Non. Nov. cfr. supra p.* 268. 2 Angilbertus ovans *ipse Angilbertus ut primum pentametrum ponere amabat;* spiritus astra colit *cfr. supra Miconis c. XXV,* 2. 6 *Epitaph. Angilberti v.* 6 *ed. Traube Karol. Dichtung. p.* 55 principibus multo carus amore piis. 10 nactus *cfr. Nithard. l. c.* corpore indissoluto repertus est.

XLVI.
I T E M.

Pondere telluris requiescit tecta sub isto
Huvsendis clara edita progenie.
Augusti Nonis geminos nam clausit ocellos,
Vitalem flatum reddidit haecque deo.

XLVII.
I T E M.

Hic ego telluris Godelendis pondere servor,
Nexa maritali quae fueram thalamo.
Inde soluta, precor, maneant immota sub alvo
Ossa genitricis, prodiit unde caro,
Donec iudicium veniet, virtute potenti
Iudex quo reparet condita, ceu fuerant.
Ternis nam Nonis ipsa hac de luce recessi
Augusti: domine, nunc mise(re)re animae.

XLVIII.

Hic cinis exiguus stoa requiescit in ampla
. . . . . .

XLIX.
SVPER DIPLOMATE.

Musa, precor te, quantotius pede treche citato
Et mea fer caro carmina valde viro.

L.
IN CINGVLO.

Gratia celsithroni lumborum fluvida stringat
Illius, haec, famuli, cingit quem zona pusilla.

[XLVI.] 2 genita *dittographiam vel glossam add. B*
[XLVII.] 2 fuerant *B corr. Bethm.* 8 misere *B corr. Bethm*
[XLVIII.] *epitaphio antecedenti subiungit lacuna non indicata B*
[XLIX.] DIPLOM *ut fere B* 1 citat[illegible] *B corr. Bethm.*

[XLIX.—LVIII. LX. LXVII.] *Titu[illegible] et formulae. Miconis ut licet suspicari.*

LI.

ITEM SV⟨PER⟩ EPISTOLA.

Perge vias dúras, nostrum deferque diploma.
Oscula, Musa, precor, caro tu porrige nostro.

LII.

ITEM IN CINGVLO.

Summa dei virtus vitiorum fluxa restringat,
Auro, eius famuli, stringit quem nastula texta.

LIII.

Hic euangelii recitatur lectio sacri
Nec non vita patrum ac Benedicti norma patroni.

LIV.

SVPER LECTO.

Hic quicumque cubat, defendat dextera Christi
Illum, quin maneat incolumis iugiter;
Ac simul omnitenens servet circumque iacentes,
Pellatur zabulus lubricus hinc nimium.

LV.

DESVPER MENSA.

Sumimus hic victum, capiamus, corporis, illum,
Qui pascat mentem purificetque animam.

[LI.] SU *B*

[LII.] 1 Suma *B corr. Bethm.*

[LIII.] SUPER LECT *eras. B: potest esse* SVPER LECTORIO *aut inscriptio insequentis tituli huc reiecta* 2 hac *B corr. Bethm.*

[LIV.] 1 dextra *B* 2 *quin] qui in *B: cfr. LXVII,* 6 3 seruet — 4 nimium *in l. r. B*

[LV.] DESUPER MENSA *in l. r. B*

[LII.] *Hariulf. Chron. Centul. III,* 3 *ex descriptione Centuli a.* 831 *facta de thesauro S. Richarii:* nastolae ex auro paratae II.

[LV.] *Submotamus simile epigramma ex cod. lat. Monac.* 6298 *saec. IX fol.* 3, *quod olim descripsit nobis Meyer Spirensis:*

Porto dapes dorso, quis corpus pascitur apte.
Pascant verba dei hi(n)c pectora [— e *cod.*] rite precor.
Hic pater et fratres, hic hospes sumit et escam,
Pauper hinc partem percipit ipse suam.

LVI.
BENEDICTIONES CIBI CVM POTV.

Nos et nostra dei benedicat dextera dona.
Christus sanctificet, benedicat haec sua dona.
Sit cybus appositus domino benedictus ab ibso.
Appositis Christi benedicat dextera donis.
Nos Christi atque suum benedicat dextera munus.
Alma dei nostrum benedicat dextera potum.
Potum servorum benedicat dextera Christi.
Sanctificet potum Christus nostrum ac benedicat.

LVII.
I T E M.

Tegmine sub vili tegitur hoc cartula vilis,
In quo versiculi recto sine tramite ludunt.

LVIII.
ITEM IN MENSA.

Corporis hic victum sumens mentis capiatque
Glorificetque patrem, talia qui tribuit.

LIX.
EPYTAFIVM.

Exiguus parvo tumulatus corpore pauso
Adalelmus ego pulvis in hoc tumulo.
Ipse, precor, maneat tantum inmotus quoque, donec
Accensus redeat corporis ad speciem.
Hoc relegens, lector, memor esto meique tuique:
'Quo, mihi' dic 'requies sit, tibi, fac, veniat'.
Nam pridie Septembris decessi Idus ab ista
Vita: nunc animam suscipe, Christe, meam.

[LVI.] BENED *B* 3 cibus *corr. B*

[LVI.] *De Benedictionum ritu cfr. F. Keller in Mittheilungen d. Antiquar. Gesellsch. in Zuerich III,* 6 *p.* 99 *sqq.*

[LIX.] *Adalelmus quidam* miles S. Richarii famulans *ab Hariulfo Chron. Cent. III,* 3 *ex descriptione a.* 831 *facta memoratur.*

LX.

IN LAVATORIO.

Corporis hic faciem lavo, sed peccamina mentis
Deluat, oro humilis, gratia summa dei.
[Delu⟨e⟩ aeque meae, quaeso, precor, domine.]

LXI.

ITEM AD QVENDAM.

Fragmina cupressina tibi pro munera lego,
Quae mihi mandasti: grafium non solum ad agendum,
Sed e qua ligulam possis componere pulchram,
Quam geminis valeas tantum, care, praebere labellis
Tempore natali nec non festisque diebus.
Sit tibi grata satis, maneat praestantior auro;
Cuius odore bono semper maneas odoratus,
Usquequo vitalem, praeceptor, vesceris auram.

LXII.

I T E M.

Conquerar oppressus incoepti fasce laboris?:
Cogor ad insolitum carminis aeger honus.
Optandum sed enim lassa cervice foveri,
Infestam domini quam tolerare manum.
Unde libens capias devoti munus amici
Et licet indignis laetificare datis.

LXIII.

VERSVS DE CVCVLO.

Dum perstat cuculus cantans Cereris sine sumptu:
Stant etiam multi pertenues famuli.
Cum faustum remeat tempus, iam concidit eius
Pressus tunc cantus: plebs iubilat misera.
Alternis vicibus sic denique tempora currunt,
Sicque etiam restat currere calce tenus.

[LX.] 2 gatia *B* 3 *dittographia est versus* 2 deluęque *B corr. Bethm.*
[LXI.] 1 cupressina] na *in ras. B* munera *sic B* 4 *heptametrum invitus admisit tiro* 7 odere *B corr. Bethm.*
[LXII.] 6 laetificaré *B*

LXIV.
ITEM.

Hic ego sub nimio Godelendis fasce quiesco
Telluris, corpus prodiit unde prius.
Nam ternis Nonis, domine, ex hac luce recessi
Augusti: famulae nunc miserere tuae.

LXV.
ITEM EPYTAFIVM.

Hic ego Gerwidis iam carne soluta quiesco,
Reddere quam statuit cunctipotens iterum.
Interea, lector, dominum pulsare studeto,
Quo mihi perpetuam det famulae requiem.
Nam quinto Februi decimo ex hac luce Kalendas
Decessi: Christe, tu veniam tribue.

LXVI.
ITEM.

Incipiunt parvae super euangelia glosae
Quattuor, enarrant sparsim quae dogmata Christi.
Ipsas devote relegatque fideliter, oro,
Lector devotus, nocuas reprobare sciatque,
Officere haec menti valeant ne forte relectae.
At si quae fuerint gratae sibi, pectoris antro
Pertrahat et mihi pro mendis veniam dare discat:
Ipsas pro fastu studui qui fingere nullo,
Sed lucroque meo, magis ac causa puerorum.

LXVII.
ITEM SVPER LECTO.

Hic, deus omnivalens, recubanti ferto iuvamen,
Quo mihi dispositis valeam consurgere horis
Impiger atque tibi promissum reddere votum
Pervigil, o domine, zabuli sine fraude maligni.
(De)super, oro, tua defendat dextra iacentes,
Undique quin maneant tutati nocte dieque.

[LXIV.] 3 recessi *in l. r. B*
[LXV.] 1 germidis *ex corr. B*
[LXVI.] 4 donotus *B* 5 ualent *B corr. Bethm.*
[LXVII.] 5 *Super *B*

[LXIV.] *cfr. c. XLVII.*
[LXVI.] *Praefatiuncula libri cuiusdam Miconis iam deperditi.* 4 *cfr. c. XXVII, 6.*

LXVIII.

DE DEFECTIONE.

Post sumptam domini carnem octingentesimo anno
Primo acta est sexagesimo defectio Phoebae,
Quarta etiam decima, cum staret iure creata,
Mundi principio fueratque die ceu quarto
Cum Titane simul stellis ardentibus ipsis
Ac super astra sitis caeli cum lumine sudo.
a. d. X. Kal. Oct. 861. Festivitas celebrata die nam perstitit ipso
Almi Mauricii decimo Octobrisque Kalendas.
Credimus hoc magnum nobis praetendere signum,
Iuxta quod priscis tonuerunt verba tonantis
Temporibus, reboant et adhuc splendiflua Christi.

LXIX.

IN HOSPITALE PAVPERVM.

Parva domus iugiter pateat haec, claviger aulae,
Pauperibus Christi, quo tibi porta poli,
Sordibus aethereus reserat quam rite piatis
Custos, catholicae pastor et eclesiae.

LXX.

LVCERNA.

Noctibus, o, tibi, gestator, sum praevia tetris
Lux ego praesidium tribuens abscondita magnum,
In tenebris speciem quoniam teneoque dierum;
Sed neque ventus obest, imbrem neque terreo clusa.
Nam studeas, dum me gestas, memorare datoris,
Qui lumen statuit tibi praebere ⟨ecce⟩ reclusum.

LXXI.

LANTERNA.

Ossibus ex pecudum fabrefacta per omnia sisto,
Ad lapidem casu tererer ne forte relisa.
In tenebris valeo; sed luce diurna refusa
Muricipum ritu nimium despecta quiesco.

[LXVIII.] 1 suptam *B* 2 foebae *B* 6 *At *B* 9 *an* *portendere? 10 pristis *B* 11 roboant *B*
[LXX.] 4 *an* *horreo? 6 *ecce om. B*

[LXVIII.—CXIX.] *Carmina a Fredegario xenodochii custode intra a.* 861—871 *scripta, quibus admixta sunt Miconis quaedam; cfr. supra p.* 276 *sq.*

[LXVIII.] *Cfr. L'Art de vérifier les dates I,* 324. 10 *sq. e. g. Ies.* 13, 10; *Matth.* 24, 29.

LXXII.

AD HVCBERTVM.

Dignas, summe sacer, simul inmensasque salutes
Lego tibi custos ego Fredigardus egenum.
Biblum quem repetis, procul est a finibus almi
Richarii; modo de libris studeo neque quicquam,
Debeo sed potius Christi praebere receptum
Pauperibusque manu nec non stipem dare largam,
Iuxta quod potis est nostrum, carissime pater,
Aut tempus dictat vacuum aut permittit habere.
Odelricus adest librorum claviger atque
Cartarum custos et earum scriptor honestus.
At si quem rogitare velis, studeamus ad eius
Flectere vestigia pariter, nos, dicere, forsan,
Quod nostrum velle est, poterimus habere petita.
Stellator caeli faciat te sistere sanum
Nec non incolumem, rogito, per saecula tensa.
Hos apices itera parvos; post carpe saponem,
Delue tuque manum, maneat ne squalida, dextram,
Istorum tactu, moneo posquoque, sophista.
Claudite vos, o Pierides, vestra ora silere:
Tempus adest etenim dissolvere colla iugata
Taurorum tectis fumantibus, alite lasso.

LXXIII.

DE ACIEBVS CAELI.

Musa, retro aeclipsin Phoebae sensim perarasti:
Sanguineas acies nunc caeli tange parumper,
Tertio Idus pavitans vidi quas nocte Decembris *a. d. III. Id. Dec. a. 861.*
Terribiles, magno nimium sonituque crepantes.
Quae medio caeli centro statuere duellum
Igniferis graviter bellantum more sagittis
Quattuor ex plagis mundi pariter glomeratae;
Quas etiam timuit visus spectare diuque,
Ne noster totus subito combustus adesset.

[LXXII.] 1 Digna *B corr. Bethm.* 6 manum *corr. B* 13 similiter iuuencus in libro ultimo (*an IV*, 683 poterimus credere signis?) *in marg. B* 18 post quoque *corr. B*: posquo *pro* posco *apud Bersu non inuenitur*

[LXXIII.] 6 ore *B corr. Bethm.* 8 uisu *B corr. Bethm.* 9 nrt *ut saepius B*

[LXXII.] *Ad externum quendam.* 16 *cfr. infra Miconis* (?) *c. CLXIV*, 27. 20 *sq. cfr. Ge. II*, 542 *et Ecl. I*, 82.

[LXXIII.] 1 retro *cfr. supra c. LXVIII.*

Et resera nobis, quae talia signa requirunt,
Qualia nemo, reor, mortalis crevit in orbe.

MVSA.

Musa refert: 'Ventura, tibi quae pandere quaeris,
Illius rei dominus monstrabit aperte
Haud in tempore protracto, ceu credula sisto —
Sollicitus, moneo, quapropter semper adesto —
Adventu Danorum, qui tibi pessimus olim
Perstitit atque manet iugiter noctuque diuque.
Eximat unde pius dominus cito teque tuosque,
Quin ita suspensi haud maneatis atque fugelli
Tempore diffuso, velut hactenus, oro, fuistis.
Cetera quae restant, metuo, si vixeris usque,
Quae tibi nuncque latent, poteris craxare peracta.
Interea humiliter dominum placare studete,
Ne nimis offensi resupini forte ruatis
Ignivomum ⟨in⟩ baratrum heu quam nimiumque cruentum;
In quo nocte die miseri torquentur amare
Nec non et clausis tundunt rea pectora pugnis,
Dentibus ignitis ubi rodunt ossa reorum
Diri serpentes, etiam vermesque cruenti.'
Poscite, Pierides, laxas restringere loras,
Inflatis mage ne valeatis currere buccis
Invia perque loca nec non per prata sophorum.

LXXIV.

AD QVENDAM NEPHITVM CELLARARIVM.

Gentaculum nostri, cupio, frangant ut adelfi
Transactam post hanc, o pater, ebdomadam;
Sed certum minime valeo taxare diemque,
Debeat haec quando parte mea fieri.
Unum sed moneo: studeas mihi ferre iuvamen,
Iuxta quod velle ac posse tibi fuerit.
Sed cotilam mihi posco dari tantumve sinapi;
Nam vino ex acido alteram habere volo.

---

22 craxare] *priorem* r *ex* a *corr. B* 23 studere *B corr. Bethm.* 24 resupini *B* 25 *in *om. B* 30 *an* *Parcite?

[LXXIV.] NEPHIT CELL *B*: neophitum *scribere non audebamus cfr. Schuchardt II*, 513 6 fierit *B corr. Bethm.*

16 *A.* 859 *Dani devastarunt Centulum.* 27 *Bed. de die iud.* 17 ferient rea pectora pugnis; *cfr. Traube ad Poet. Carol. supra p.* 42 *adn.* 5 *et p.* 48 *v.* 78. 31 *cfr. c. CLXI*, 8. 32 *cfr. c. XX*, 5.

[LXXIV.] 4 *Nescit qua die hebdomadarius esse incipiat, cfr. Regul. S. Benedict. c. XLIV.* 6 *cfr. LXXII*, 7.

LXXV.

IN MANSIONE CVIVSDAM.

Quisque domum penetrans alienam, mutus in ipsa
Et surdus quoniam debet adesse, sciat.
Surdus in hac maneat tantum, mutus simul, atque,
Aure quod audierit, dissimulando tegat.

LXXVI.

DESVPER CYLIPSIDRA.

Artem quam spectas, cursum tibi solis, amice,
Sidera per dictat horis in bis duodenis.
Quod si nosse cupis, punctis mox solve quaternis,
Horam: statque dies sic punctis sex nonaginta.
His nox atque dies sectae scanduntque residunt
Inque suis vicibus anno spaciisque quaternis.
Sed latet interius, quae sorbet hydria limpham,
Cuius sensim haustu puncti minuuntur et horae.
Hoc opus auctor enim fratrum egit raptus amore,
Quo possint levius vigiles sufferre laborem.

LXXVII.

IN TABVLA CVIVSDAM IVVENCVLI.

Dum fuerit, iuvenis, aetas docilis tibi, disce
Scribere certatim pollice cum celeri,
Grandaevis labor est quoniam deflectere colla
Scribendi calamo per tabulas iuvenum.
Quapropter parvae semper memor esto tabellae,
Parva elementa inibi fingere quin valeas
Nisu dificili tantum sine, lege peritus
Scriptorumque dehinc sis quoque, glisce, puer.

LXXVIII.

VERSVS IN DOMO POMORVM.

Hic redolere solent autumni pendula mala
Tempore, sed rigida diffugiunt hiemis.

[LXXV.] 3 *hoc *B*
[LXXVI.] 1 solus *B corr. Bethm.* 2 *perdictant *B*
[LXXVII.] TABVL *B* 7 dificele *corr. B*
[LXXVIII.] 2 rigida *sic B*

LXXIX.

AD QVENDAM SOPHISTAM.

Olim, summe pater, residebas iure [bibendi] magistri,
Cum praesens aderat percarus namque Lieus.
Ipso sed coram retulisti me quoque posse
Versus, quod — certum est — minime, componere, nosco,
Ridiculosus quapropter maneo, inscius atque.
Sed tamen hoc carmen studui confingere ineptum:
Perlege quod solus, quaeso, quod corrige, posco;
Post cape perfartum sicera tibi vasque profundum:
Quam gremio trahice laetus caritatis amore.
Ac me corrigere studeas, ne ridear, oro,
A nostris, valeam potius sed teque iuvante
Ludere cum doctis, una perarare, iuvenclis.
Plura tibi indocte pincxissem, care sophista,
Plurima ni ventosa per aera verba volassent
Ac nisi perculsus mansissem cordis in antro
Pectoreo stimulo, minime quod rebar, adelfe.

LXXX.

a. 861—864.

AD NOSTRVM ABBATEM.

Iam rotat alter ab axe annus caeli, mihi postquam
Grata fuit gratis susceptio credita egenum.
Quam minime fovi — statuit ceu iussio vestra,
O bone praeceptor, mansit nostraque voluntas —
Pro magna inopia, quae nos depressit ab ipso
Articulo nostrae susceptionis egenae;
Tempore sicque meo puto semper adesse futura.
Idcirco renuo post hunc spectare sequentem —
Hoc operae insudando loquor, velut actenus egi —
Atque dies inibi vaciles deducere sperno,
Ne perdam pensum domino merito quoque pactum,
Et, pater, infensus maneam ne forte volentes,
Ipsam ad qui, contra, sitiunt deflectere colla
Cum consulta patrum, quorum est sapientia mater,
Ossa fovere queant Christi pro nomine nuda
Mendicum ut hilari, stipem nec non dare largam,

[LXXIX.] 1 bibendi **glossa est* 12 *peragrare *B*
[LXXX.] 2 Gratis *B corr. Bethm.* 9 opere *B*

[LXXIX.] 1 *Sedul. c. p. II,* 138 residebat iure magister *et cfr. infra Miconis c. CLXVIII,* 15. 6 *cfr. c. XXIII,* 1. 9 *cfr. c. XXIII,* 15. 16 *cfr. c. XXIV,* 2.

[LXXX.] *Fredigardus ad Rudolfum abbatem.* 12 *construendum est:* et ne forte maneam infensus contra volentes qui sitiunt deflectere colla ad ipsam ⟨susceptionem egenorum⟩ cum consilio patrum ut hilari queant *eqs.* 16 *cfr. c. LXXII,* 6.

Quo, iustus sederit cum iudex sede paterna
Undique stipatus sanctorum iure maniplis,
'Iam, qui ita fecistis,' reboet 'properate, beati,
Ac sceptrum longis promissum sumite saeclis'.
Cum quibus astriferam teneas, venerabilis, arcem,
Abba, precor iugiter pietate(m) cunctipotentis.

LXXXI.

AD QVENDAM PROSELITVM.

Florida saepe mihi depingis, deltice, verba,
Clausa simul, iuvenis; nec mirum: summus Olimpum
Per summum graderis compte quia nempe sophista
Atque extas inter meritos tu iure magistros
Carmina Pieria typica pariter perarando,
Artibus inbutus variis velut auctor opimus,
Iustitiis etiam divinis fretus abunde.
Quocirca potis est tibi belligerare potenter
Grammaticos erga tremulos clypeatus enormi
Scuto, etiam domini gladio protectus acuto,
Casside cristatus nec non thorace trilici
Munitus; maneas supplex quapropter, adelfe,
Ex hoc, quo tibi cunctipotens sua dona ministret
Plura dehinc, dedit ori asinae qui verba crepantis
Sessorem contra stolide resonare ruentem
Qui erga praeceptum domini maledicta parabat
Iudaicae inponere genti pro munere captus
Multarum specierum, sed specie tenus auri
Argentique simul nec non operum variarum.
Omniparens dominus te salvet protegat atque,
Posco, talenta tibi iam credita multiplicetque.
Insuper adclinis rogito, quo sumere nostros
Digneris parvos apices, ego quos tibi lego
Audax, indoctus pariter, carissime frater.
Nosco ego te nostram ad tantillam flectere posse
Personamque ideo te contra carmen ineptum
Depinxi, studeas nulli quod pandere, quaeso.

---

19 *quia *B* 22 *pietate *B*

[LXXXI.] 9 LORICA *in marg. B* 10 GALEA *in marg. B* 19 *an* *aerum variorum?

19 *Matth.* 25, 34.

[LXXXI.] 4 *cfr. Sedul. c. p. II,* 138. 14 *cfr. c. XXVII,* 18. 17 *cfr. c. XXII,* 19. 23 *cfr. c. LXXII,* 16.

LXXXII.

AD NOSTRVM ARCHIMANDRITAM.

Suscipe, digne sacer, nostrarum litterularum
Tripudium, tribuo quod tibi laetus ego
a. d. VI. Kal. Mai. 866. Signo pro, nostra quod fecit Christus in aula
Almi per celsa Richarii merita,
Quando cohors fratrum reddebat tempore noctis
Laudes altithrono corde tenus domino
Coram plebeio variis ex partibus ultro
Adgresso sexu disparili populo.
Talia plura tamen recolo miracula gesta,
Quae adscribi digna paginulis fuerant;
Incuriam propter nimiam sed hocque residit,
Nos inter veluti plura solent fieri.
Hoc ideo tango: studeas scribendo notare
Nunc instans pariter praeteritaque, pater,
Atque priori codiculo mandare studeto,
Quo tibi laus inde perpetua maneat,
Et nobis coram digne recitando legatur
Ipsius in sacra festivitate patris
Nostri Richarii, confessoris quoque Christi,
Illius ad laudem nominis atque tui.
Versiculos, tensis ad finem, sumere, palmis,
Digneris, rogito, quodque iubent, facito.

LXXXIII.

STICHI APTI IN FRONTE PANDECTINIS.

In hoc quinque libri retinentur codice Mosis
etc. usque ad:
Hos lege tu lector felix feliciter omnes.

[LXXXII.] 6 altithronō *B* 22 regito *B corr. Bethm.*
[LXXXIII.] *Carmen est Alcvini cfr. supra tom. I,* 287

[LXXXII.] 11 *Miracul. S. Richar. I praef.* (*SS. XV,* 916) Sanctorum sacra miracula operante divina clementia angelico didicimus oraculo esse propalanda ... qua nos ammonitione tacti ea quae pro meritis beati Richarii miracula divina peregit dignatio litteris mandare studuimus. Et quia incuria antiquorum omnia praetermissa videntur nisi pauca quae in vita ipsius attitulata sunt, operae precium duximus, ut *etc.* 15 priori codiculo *sc. ei quo vita S. Richarii ab Alcvino olim emendata tradebatur; cfr. supra p.* 267.

LXXXIV.

AD QVENDAM BIFACEM.

Accipe, quaeso, meum, carissime, carmen ineptum,
Iuxta quod potis est, perfice, quaeque monet.
'Fac' inquit 'valeas compar quo fingere versus,
Unde queas nostris ludere cum sociis.
Nam bifax minime maneas ceu quaeris adesse:
Quod vitium summus odit, adelfe, deus.
Ebrietatem etiam studeas contempnere nec non:
Ne te perversus ludificet zabulus.
Sis tantum verax parcus humilisque pudicus:
Tunc poteris summo rite placere deo.
Summa tibi, pariter moneo, pax cordis in antro
Obtineat sessum fine tenus validum.
Iudicium metue mortis, qui⟨a⟩ iam petit orbis
Occasum cursu praepete et interitum.
Cernimus hoc omnes pariter iuvenesque senesque:
Luciflui idcirco sis memor, oro, poli,
Diripiunt validi nec non quem iure beati;
Cernere uterque simul quem mereamur. Amen.'
Interea pax sit vitaeque salus ⟨tibi⟩, posco,
Persolvas donec corporis officium.

LXXXV.

AD HILDEBERTVM.

Suscipe, quaeso, apicum nostrorum, care sophista,
Legatum, moneo, quaeque monent, facito.
Ignorant, si cana fides stat, mansit ut olim;
Quapropter trepidi munus habere petunt.
Est aliqua tibi si cuppa, mihi mittere cursim,
Coram te quae stat, praeter eam, rogitant.
Quando etiam Dani rapuerunt omnia nostra,
Tunc peregre cuppa ivit et ipsa mea.
Quocirca, tibi si potis est, sit mittere velle,
Hanappum pariter impositumque super.
Sin minime posse est, tu semper, amice, valeto:
Hoc rogitant nostri versiculi tenues.

[LXXXIV.] 5 *quaeras *B* 10 do *B* 11 Summa tibi] Summatim *corr. B* 13 *qui *B* 19 tibi *om. B add. Bethm.* 20 dona *corr. B*
[LXXXV.] 6 rogito *corr. B* 9 sit mittere uelle *in l. r. B*

[LXXXIV.] 1 *cfr. c. XXIII,* 1. 4 *cfr. c. LXXIX,* 12. 11 *cfr. c. LXXIX,* 15. 17 Diripiunt *cfr. Matth.* 11, 12.
[LXXXV.] *Carmen Hildeberto fratri cuidam Corbeiensi missum a Micone, cui subscribit Rainhardus frater quidam Centulensis* (*v.* 29). 3 cana Fides *Aen. I,* 292. 11 *Cfr. c. XXVII,* 8.

Nam multum sitio faciem, mihi crede, tuamque
Cernere: pro certo corde tenus fateor.
Sed miror, cecinit tua cur non fistula saltem
Tantum iam longo tempore: 'Care, vale'.
Insuper amoneo, studeas placare patronum
Quo mihi mellifluum, nomine Pascasium;
Cui nimis infensus maneo, veluti quoque fama
Pernix innotuit, quod mihi displicuit.
Quem, si vita manet, cupio cito cernere laetum
Atque solo stratus poscere tunc veniam.
Expers epitimo demum persistere vini,
Ipsum placatum donec habere queam.
Pane inhio nec non atro contentus adesse,
Usquequo mens mesta sit hilarata sua.
Plus placet, en fateor, cleptim mihi caedat ut ipse,
Quam maneat me erga mens furibunda sua.
Ad finem Rainhardus te deposcit habere
Hic et in aeternum prospera cuncta simul.

LXXXVI.
SVPER LAVACRO.

Hic quicumque lavat faciem, peccamina mentis,
Corporis, ipsius, delue, celse deus.
Squalidus hinc fugiat zabulus, ne fonte lavatum
Plasma tuum sacro commaculare queat.

LXXXVII.
DE NOSTRO MISERRIMO CASV.

Christe, tuum, clemens, tege semper ab hoste clientem,
Perdere qui voluit, nisi, me, tua dextera sacra
Fronte crucis signum obiectasset, sculpsit ubi ipse
Perversamque cicatricem clam lubricus anguis.
Quod, quia haut valuit, quivit, hoc iam quoque fecit
Ex asse, tantum, velut intentavit aperte.
Nec mirum: quoniam tua sic fuit, alme, voluntas,
Qui nihil, o, contra peragis, domine, rationem,

---

17 placere *corr. B* patrono *B corr. Bethm.* 19 fama *in l. r. B* 25 *afro *B*
[LXXXVI.] *LAVATR *B:* lavatrina *non audebamus* 4 Plasmatum sacro *corr. B*
[LXXXVII.] 3 signum crucis *corr. B* 5 *aut *B*

18 Pascasium *sc. Radbertum cfr. supra p.* 270. 21 *cfr. c. XXIV,* 8.
[LXXXVI.] *cfr. c. LX.*
[LXXXVII.] 5 *construe:* quod quivit, hoc iam quoque tantum (*i. e.* ex parte) fecit, quia haut valuit ex asse (*i. e.* ex integro) velut aperte intentavit.

Sed vis corrigere facturam, factor, amando,
Ne tumefacta suis speret perstare potentiis.
Hanc ego dum baiulo, memor esse tuique pericli
Debeo, muscipulam valeat ne tendere rursus
Exicialem hominum inlusor mortisque repertor,
Quique tuos, domine, certatim perdere certat,
Atque memor, qualis maneo qualisque solutus
Corpore, celsitonans, ero, tempnere sic fugitiva
Mundi, iudicium quasi praesens mortis adesset.
Quam subito perit, heu, hominum mortalis imago:
Cotidie idcirco suspectam iure tenere
Ante acies mortem debemus fonte renati
Nec non alterutrum caritatem impendere Christi
Ob scelerum veniam, — ob vitae caelestis amorem,
Quatinus ad calcem subeamus nil trepidantes
Caelestem mortis patriam, sed simus ovantes.
Christe, memento tui, clemens, deposco, clientis,
Adclinis, valeam tibi quo promissa tenere,
Tu mea, Christe, salus quoniam, tu spes mea magna
Nec non vita decus laus gloria lux bona solus.

LXXXVIII.

IN SESSIONE PEREGRINORVM.

Saepius hic residet Christus, mitissimus agnus,
In hominis specie saepius hic residet;
Solvere qui studuit gratis loetalia vincla,
Quo foret exemplum, solvere qui studuit
Instituitque suos gressus servare paternos,
Nec minus et pacem instituitque suos.

IXC.

ITEM.

Suscipe discipulos, o, Christi, claviger aulae,
Ipsius in specie suscipe discipulos,
Quaeque potes, tribue ob vitae caelestis amorem,
Nomine pro Christi, quaeque potes, tribue.

13 EXICIALE *in marg. B* 17 *adesse *B* 19 suspecta *B corr. Bethm.* 23 qua / tinus *in marg. B*
[LXXXVIII.] 3 uincula *B*
[IXC.] 3 celesti *B corr. Bethm.*

[IXC.] 1 *cfr. c. LXIX,* 1 *et Regulam S. Benedicti c. LX de hospitibus suscipiendis:* Omnes supervenientes hospites, tamquam Christus, suscipiantur. Quia ipse dicturus est: hospes fui et suscepistis me (*Matth.* 25). 3 *cfr. c. LXXXVII,* 22.

XC.

SVPER HOSTIVM.

Sit pax hanc famulis aeterna petentibus aedem
Nec minus et pernix maneat redeuntibus exhinc,
Sitque fides socia, caritas pariterque iugata:
Acumulata dei vigeat dilectio summi.
H⟨is⟩ adnexa simul sit spes, per quam quoque, Christe,
Speramus requiem, fluvium vitare Letheum
Inque tuo demum libro, domine, adtitulari
Angelicisque frui dapibus cum patribus almis.

XCI.

IN ECLESIA.

Hanc ego Ratbertus studui componere parvam
Eclesiam summi tactus amore dei,
Ipsius atque simul Mariae sanctae genitricis,
Quae verbum verbo protulit angelico;
Cuius honore sacratum est, hic quod cernitur, omne,
In crucibus, capsis reliquiisque sacris.
Quarum pro meritis merear spectare supernum
Regnum, cum iustis esse colonus ibi,
Caelicolis inibi dapibusque frui, deus alme,
Est ubi fraus nulla, sed probitas nivea.
Hoc quicumque legis, lector, tu dic, rogo, bisque
Euangelistae more Iohannis: 'Amen'.

XCII.

AD KAROLVM MONACHORVM LVCERNAM.

O regale decus, Francorum spes procerumque,
Cuius perclarum nomen in orbe cluit,
Nobilis ac celsa cuius processit origo
Floribus almorum candiferisque patrum,

[XC.] 1 famulos *corr. B* 5 *Hadnexa *B* 6 letheo *B corr. Bethm.*
[XCI.] 1 *ergo *B* 8 ibit *corr. B*
[XCII.] LVCERNA *B*

[XCI.] *Carmen Radberti Paschasii.* 10 *versus occurrit etiam supra c. XLIV,* 8.
12 *e. g. Ioh.* 1, 51.

[XCII.] *Karolum Calcum alloquitur; stemma novit ex Commemoratione genealogiae domni Karoli SS. XIII,* 245. 3 *cfr. c. XXXIII,* 11 *sq.*

Scilicet Arnulfi, Ferioli martyris almi
Atque Moderici praesulis egregii:
Est nobis ⟨operae⟩ pretium, domine, data quo stent
Iam tibi, pacifice, regna diu, Karole,
Ipsorum ad regimen, dominus quae cessit habere
Post genitoris iter aetheris ad fabricam.
Quae quidam malefidi iamdudum statuere
Demere, sed Christo hoc operante manent.
Nec fuit hoc sine Marte gravi crepitantibus armis;
Quae modo pace silent, et tibi sceptra manent.
Et maneant, maneas, quoniam pater es monachorum,
Quorum tutor ades spesque salusque manes.
Quam bonus es Christi cultor venerator amator,
Zelator sanctae insuper eclesiae.
Stas etiam sacrae fervens in amore sophiae
Ac simul humanis comptus in eloquiis.
His nexis primum karitas sibi vindicat in te
Sessum regalem consociata fide.
Posthaec iustitiae virtus cum lancibus aeque
Appensis etiam emicat, o domine.
Has ingressus enim portas redimitus in alto
Culmine stas regni tutus, ab hisque vigens.
Germine namque tuo tali mereantur adesse
Reges Francigeno, hoc petimus, populo,
Qui mores patris, pariter referant et avorum
Et valeant gentes sternere sub pedibus.
Quorum facta bona volitando fama recludat,
Et maneant illis sceptra serena patris.
Muniat interea pia te, rex, dextera Christi
Una cum claro conubioque tuo,
Cum natis pariter nec non cum sanguine pulchro
Coniugis effuso, rex, latereque tuo;
Post hanc et vitam faciat quos scandere caeli
Stellantis celsum, posco, super solium.
Hoc etiam nostri pueri iuvenesque senesque
Exorant, domine, nocte simulque die.
Percipiat voces horum humile rogitando,
Omnia qui spectat, quicquid in orbe latet
Vel quicquid hominum versatur cordis in antro,
Sternit quique leves, erigit atque humiles.
Qui regique facit genuinum sumere regnum:
Hic, rex, et regna det tibi perpetua.

---

7 *operae *om. B: cfr. CI,* 19 13 marte *B corr. Bethm.* 22 *regale *B* 24 o domine *in l. r. B* 33 pia te rex *in l. r. B* 36 *tuae *B: cfr. CV,* 26 42 latent *B corr. Bethm.* 43 *antra *B* 44 quicque *B*

5 Feriolus *paeon tertius ut in Carmine de exordio Franc.* 56 (*t. II,* 143). 43 *cfr. c. LXXIX,* 15.

a. 868.

XCIII.

Anno incarnationis Christi DCCCLXVIII sub die XI Kalendarum Aprilium reddidit Salaco debitum humanae vitae.

Illius et tellus speciem suscepit avara:
Corpore seclusam suscipe, Christe, animam.

---

a. 868.

XCIV.

Anno dominicae incarnationis DCCCLXVIII XI Kalendarum Aug. finivit Sando praecursum instantis vitae.

Suscepit speciem tellus, quam protulit ante:
Atque animae, Christe, huic requiem tribue.

XCV.

DE TVRDO.

Iam pridem nimium residebam maestus amoeno
Promerio chiram levam positam subhabensque
Ad malam nimia dentum pro morte doloris.
Vox subito turdi nostras tunc perculit aures
Invalidas dulcis varios imitando volucres.
Ad sonitum galli resonabat gutture tenso;
Post vero merulae morem milvique sonabat;
Inde simul recinens velut aureolus nitidusque,
Bitrisci vocem frangebat et ipse pusilli.
Talia demirans, confestim diffugit ultro
Improbus ille dolor, qui me vexabat amare;
Deinde petens nidum, memetque laborque revisit.
Quem deus apellat, ne me torquere parumper
Exin iam valeat, submisse flagito, noster.
Discite, lectores, avium cantus variarum;
Segnitiem mentis post rumpite nocte dieque,
Quo iugiter domino laudes depromere dignas
Possitis, summa digne et vos audiat arce
Iudiciique die dicat: 'Properate, beati,
Sumite nunc vobis ab origine regna parata
Mundi' de messi latitant quo perpete iusti,
Balsama quo redolent, fragrant et lilia semper,
Quo deus omne bonum meritis clemensque rependit
Clementer famulis, gratis quos condidit ipse.

[XCV.] 2 Promerio *B: non est corrigendum, cum possit subesse Pauli Diaconi doctrina; posteriore tempore* pomerium *cum* pomario *confundebatur, sed cfr. Abbonem de bell. Paris. III,* 46 Pomerium (locus vacuus) curti, pomarium congrua malis. 13 *appellat *B: cfr. CXXVII,* 4

[XCV.] 15 *cfr. Traube ad Poet. Carol. supra pag.* 128 *c. IV.* 19 *sqq. cfr. c. LXXX,* 19 *sqq.*

XCVI. *a. 867.*

EPYTAFIVM.

Anno dominicae incarnationis DCCCLXVII sub die XV Kal. Aug. ⟨Herricus⟩ diaconus exuit hominem.

Et cinis ipsius tumulo requiescit in isto:
Da cui perpetuam, cunctipotens, requiem.

XCVII.

I T E M.

Cuius in hoc tumulo corpus requiescit humatum,
Cui clemens vitam det dominus superam.
O deus, aeternam cui tribue requiem.

IIC. *a. 868.*

Anno Christi incarnationis DCCCLXVIII sub die II Id. Aug. ingressus est M̄. viam universae carnis.

Ipsius et corpus recubat tellure sub ista:
Vivorum, domine, quod regione loca.

ITEM.

Et manet obductus petrarum mole sub ista:
Lucem cui cede lucifluam, domine.

ITEM.

Et cumulo lapidum recubat hic tectus in urna:
Cui, perpes, dextram porrige, vita, tuam.

IC.

EPYTAFIVM.

Sarcofago recubat sine pulsu, Christe, sub isto
Vitali: requiem da cui perpetuam.

ITEM.

Et iacet hic sterili coniectus corpore terrae:
Cede, deus, sceptrum cui penetrare tuum.

[XCVI.] Herricus (*cfr. infra carmen C*) *om. B*: *nam haec epigrammata ex lapidibus conlecta formulas voluit esse*

[IIC.] carnis *in l. r. B*

[IC.] 1 isto *in l. r. B*

a. 867.

C.

Anno dominicae incarnationis DCCCLXVII diem obiit Herricus diac. ex hoc saeculo sub die XV Kal. Aug.

Cuius in hoc tumulo requiescunt ossa reposta,
Spiritus ipsius separat astra poli.

Eodem anno amisit statum vitae praesentis Hil(delandus).

CI.

AD ANSIGISVM.

Munificum patrem nimium deposco valere
Ansigisum Karoli residentem regis in aula,
Lege poetarum redimitum iure magistri,
Iustitiis pastum divinis ac satis alte.
Post vestrum munus vestra caritate profunda
In manibus sumptum sine praeterito famulatu:
Ipsius coepi specie referire labella,
Aures cotidie Christi pulsare beatas,
Quatinus incolumes valeatis stare decenter
Tempore protracto pariter cum pace serena
Ad decus illorum, quorum spes estis inormis
In hac mortali fugitivos propter honores
Vita, mortales inhiant quos semper habere.
Expeto nunc, memores vestri memoris quoque sitis
Nec minus illorum, quibus alti in flore fuistis,
Quo parte ex vestra meliores se fore noscant,
In quantum, moneo, tempus dictaverit atque
Posse simul fuerit vestrum, cathegita clare.
Hoc operae pretium mihi, rector, adesse videtur:
Inde etiam vobis aderit laudabile nomen,
Laus et honor vestris, quibus hoc volitando per auras
Intulerit pernix fama pernicibus alis. —
Insuper, humanum, recolatis, unde creatum
Omne genus sistit, nisi de specie protoplasti,
Ex quo processit cultor telluris avarae,
Gestator clypei crudus belloque feroci.
Talia cur fingam, perpendite mente sagaci,
Atque duo maneant isti sine lite quieti
Et vobis pax perpetua, laus, gloria semper:
Hoc vester rogitat, hoc simplex optat adesse.

[C.] 2 *an* *sed parat? || IIII. *B: breviatum defuncti nomen ex epitaphio Centulensi restituimus quod ex Grenieri chartis (cfr. Delisle Le cabinet des manuscr. II, 332) XXVII fol. 134 primus edidit Hénocque l. c. I, 258; quod ita scribendum est* ANN̄ INC̄ DN̄I DCCCLXVIII OB̄ HILDELANDVS SV(B DIE . . .). *Herici epitaphium hic et XCVI. annorum seriem interrumpit.*

[CI.] 5 *manus *B* 23 mihi *in marg. B* 24 protoplausti *B* 30 vester] urt̄ *B*

[CI.] *De Ansegiso cfr. supra p.* 270. 4 *cfr. c. LXXXI,* 7. 10 *cfr. c. LXXIII,* 14. 19 *cfr. c. XCII,* 7. 21 *cfr. c. XCII,* 31. 22 *cfr. c. LXXXV,* 20.

Plura, pater, vobis cuperem depingere, noster
Ni calamus languens et tristis valde vetasset,
Usquequo vox viva referat, quod palliat ipse.
Parcite tantisper veniae calamoque subacto,
Qui tremulus voluit contingere prata sophorum,
Exercere inibi discursus more strepentis
Hac illac salientis equi lorisque solutis
Et sine sessore proprio dorso residenti.
Carcere propterea nunc trusus sistit in atro,
Quo demum valeat melius reserare cupita.
Ad finem repeto, quod prima fronte petivi
Istius humilis textus, vos usque valere
Hic et in aeternum zabuli sine fraude superbi.

CII.

Claudiani librum mihi vestrum mittite, quaeso,
Per quem corrigere nostrum valeam male falsum,
Ceu visus vester nitidus perspexit aperte.
Si sospes fuero, citius reddetur et ipse
Inlaesus vobis mercedes inde boando;
Gratia nam Christi vobis remanebit et almi
Ex hoc Richarii nostri summique patroni.
Fortunatus adest si vobis, pandite, noster,
Ignarus maneo quoniam, quis dempsit iniquus.
Ipsius formam mihi multum noscite caram.
Est tamen etsi non, iterum vos opto valere
In Christo, nocuo qui nos suscepit ab hoste
Per mortem propriam pendens cruce gratis in alta.
Haec peragrata cito Vulcano quaeso remitti,
Talia ne valeant docti ridere magistri,
Elisios norunt bene qui percurrere campos,
Grammaticos docte tremulos referire parati
Ex ferulis Prisciani doctoris acuti.
Clara dei pietas det vobis praemia vitae,
Una cum sanctis faciat regnare perhenne.

31 *nostra *B* 38 *residentis *B*

[CII.] *a praecedente contra codicem separavimus* 8 Fortinatus *B*

34 *cfr. c. XXVIII,* 19. 35 *cfr. c. XX,* 5.

[CII. CIII. CIV.] *Huc falso inserta sunt e Miconis serie, cuius aut artem prae se ferant aut temporis notam.*

[CII.] *Meminimus ad Claudiani poetae lectionem hinc non semel testimonium prave esse detortum, ex quo a barone de Reiffenberg l. c. protractum est; sed tamen Micon conferre voluit De statu animae libros Claudiani Mamerti.* 14 *cfr. c. CLXIV,* 26 *et CLXIII,* 12.

CIII.

IN ECCLESIA CVIVSDAM.

Funditus aediculam Tetsĭnus hanc spaciavit,
Dignius ut sexum disparilem caperet.
Haec in honore sita est Albini praesulis almi,
Gazas qui mundi tempsit amore dei.
Quisquis ad hanc venerit, tundat rea pectora, dicat,
Sidera quo, dominus det sibi, celsa petat.

CIV.

AD QVENDAM THEOLOGVM.

Carpe tibi munus, parvus quod dirigo, parvum,
Unde queas vitrea verrere vasa tua,
Gentaculum nec non post fractum labra gemella,
O dilecte, manus ac pariter geminas.

CV.

AD YION KAROLI REGIS.

a. 870.

O regis suboles Karoli, salveris amoena
Plurima per saecli curricula rapidi
Ad decus eclesiae, vestri genitoris honorem,
Qui vos in sorte fecit inesse dei
Ac ovium Christi pastorem digne in ovile
Adfore degentum praecipuisque locis.
In quibus assidue, fratres sed maxime nostri
Pro vestra dominum prosperitate rogant;
Et merito, eximia quoniam promissio vestra
Nos erga hilariter accelerata manet.
Felix illa dies, nobis in qua reboavit
Vox: 'Vester regis pastor adest genitus.'
Iam quia domnus abest Welpho, memorabilis abba,
Qui quondam nostrum rexit amando gregem,
In vobis siquidem nunc stat spes maxima nostra
Post caeli dominum, o decus egregium.

[CIII.] CVIVSDAM *nota Tironiana (sed puncto omisso ut proprie sit* cuius) *B* 5 tunc dat *B corr. Bethm.*
[CIV.] 3 *libra *B*
[CV.] 2 sęculi *B* *cupidi *B* 4 forte *corr. B*

[CIII.] *Teutsini nomen inter* militum monasterio S. Richarii famulantium *ab Hariulfo e charta a.* 831 *refertur Chron. Cent. III,* 3. 5 *cfr. c. LXXIII,* 27.

[CIV.] Parvus *qui* parvum munus dirigit *non potest non esse Micon.*

[CV.] *Ad Karlomannum abbatem cfr. supra p.* 269. 13 *Welpho abbas a Karolo Calvo iussus abbatiam S. Richarii cedere debuit Karlomanno, cfr. supra p.* 267 *sq.*

Nullus in hoc stupeat, quia sic fors omnia versat:
Sic mundus coepit, tempora sicque rotant.
Francigenum nobis valuit nullum potiorem
Praelatum vester eligere genitor.
Sed metuo tanta specie nos haud fore dignos
Indignis nostris pro nimium meritis;
Ipsam nam petimus dignam reverenter habere
Calce tenus vitae ipsius egregiae. —
Inclite, nunc ad vos, pastor, mea verba reflecto,
Surgens magnifici de latere Karoli.
Iam bini revoluti anni, mihi, sunt quoque, postquam
Stat commissa huius porta monasterii,
Reddere quam desidero nunc dominumque rogare
Pro vobis iugiter meque etiam pariter,
Fama mala ne me sine culpa forte sequatur,
Qualis iam vestras venit ad auriculas.
Sed dominum testor nec non nostrumque professum:
Hoc verum fateor vere fore minime.
At si tam perverse agere ac nequiter studuissem,
Paupertas alta hoc minime sineret. —
[Hoc alta egestas nec sineret nimium.]
Invidiae fomes, studuisti tangere cur me,
Cum de pauperibus stat tibi cura levis?
Sed pravi suasor non te sinit esse serenam,
Me super idcirco sollicitaque manes.
Est etenim natura tua temet cruciare,
Te merito rodunt alteriusque bona.
Invidiae nunc sit finis: caveamus, ut ipsa
A nobis fugiat, pax caritas maneat. —
Ad calcem repeto, capite quod supra petivi:
Quod vos exaltet cunctipotens(que) regat,
Etherias faciat sedes post scandere finem,
Cum venerit fultus coetibus angelicis.

CVI.

Mellifluas cuperem vobis depingere laudes, *a. 870.*
Si clausum mihi cunctipotens sensum reserasset,
Visibus atque meis tribuisset cernere solis
Ardorem, venerande pater, nimiumque cupitum.

---

17 sic fors *in l. r. B* 23 *reuerentē *B* 24 egregie *B* 25 reflectō *B* 37 , *qui versus dittographia est versus* 36, *super erasum* 38 *scripsit B* 39 *an* *stet? 40 *prauis suasor *B* 42 tenet *B corr. Bethm.* 45 fugeat *B* 47 cunctipotens *B corr. Bethm.*
[CVI.] 1 *Melliflua *B*

28 *sq. cfr. supra p.* 267.
[CVI.] *Ad Welphonem abbatem c. a.* 870 *peregre missum cfr. supra p.* 267 *sq.*

Denegat hoc quia iam spes nostra, dehinc reticescam,
Interea donec lyps flaverit alter ab illo,
Semina plura modo graviter qui flando perurit.
Gratia celsithroni sed vos salvet regat, oro,
Tempora per tensa multos digneque regendo.
Nec minus implorat iugiter, hoc credite nobis,
Grex noster solidus caritate, fide roboratus,
Vos vestri circa pro patris amore, sciatis,
Nos qui bis denos rexit feliciter annos
Ius nostrum circa peragens nihil ipse sinistrum.
Cuius vestigia maneant semper quoque vestros
Ante oculos, vester deposco per omnia totus,
Quo vobis dominus longaevae gaudia vitae
Concedat clemens, requiem det postque beatam.
Ad finem repetunt bene vos vestrosque valere
Litterulae nostrae tantum sine lege peractae,
Plura poetarum norunt qui pungere menda
Ex calamis, tingunt, propriis, quos mente profunda.
Has tamen accipite; perlectas pandere nulli
Dignamini, ignis edax potius sed devoret ipsas.
Vos super ignis divinus veniet, pater alme,
Qui corda accendat vestra nocuaque perurat;
Exin conciliet Christus vitaeque supernae,
Quam retinent vana spernentes gaudia mundi.

---

a. 870.

CVII.

Tempus ab adventu domini currentibus annis
Bis quadringentis decies septem cumulatis
In primo ingressu Iunii cum staret in alto
Flammicomus centro sol, perspexi quoque caeli
Illius nimbum circa speciem rutilantem,
Iris enim ad formam spacium praegrande tenentem.
Unde patres nostri coeperunt quaerere plures,
Quid talis vellet protendere circulus ille.
Sed quidam scioli trepidantes fingere falsa
Unum hoc tantum memorabant se minimeque
Tale umquam spectasse suis oculis, nisi lunae
In specie, signat tempus quando pluviale.
Nuncque modo simili monstrat Tytanis et ipsa
Pro certo species, ceu compertum retinemus.
Post primam Iunii, revoluta aliaque die nam

---

25 *an* *veniat? 28 qua *B corr. Bethm.*
[CVII.] 3 constaret *B corr. Bethm.* 8 *an* *portendere? 15 *primum *B*

12 *Rudolfus Welphonis pater,* 846—866 *abbas S. Richarii, cfr. supra p.* 268. 19 *cfr. c. CI,* 41. 23 *cfr. c. LXXXI,* 27.

Aethere stellifero coepit quam plurimus imber
Defluere mixto tonitru durisque lapillis
Iam loca per plura nimium sitientibus arvis.
Sic pri(ma ebdo)mada tota madefacta cucurrit
Cultoribus terrae magnum praestando iuvamen.
Ex hoc arvicoli laudes domino cecinerunt.
Qui inrigat arva sata, fecundat et ymbre superno.
Exin ebdomada Iunii mensisque secunda
Insolito tellus visa est concreta manere.

CVIII.

ALLOCVTIO INQVISITORIA MENTISQVE RESPONSIO.

Dum residens mentem lentus perquirere nostram
Coepi, quo mihi narraret, sibi quid quoque vellet,
Tempore cur tanto faciem gestaret amaram,
Lumina demissa toto cum corpore flexo
Haec infit contra: 'Metuo reserare futura,
Quae cito perspicies, tantum si manseris usque
In hac mortali vita, qua creditis esse,
Eheu, quam nimium felices. Propter honores
Instantes sudas, quos temnere mente necesse est,
Ne plures baratrum faciant penetrare profundum,
Quo fletus perstat dirus, magnus pavor atque.
Si fuerint aliqui quapropter lacte nutriti
Vestri inhiantes illius discurrere cleptim
Ad speciem ruptis frenis, his fare, age, dure,
Quatinus implorent dominum, qui cuncta gubernat,
Inde ipsos retrahatque sua virtute potenti.
Dic etiam, quo se caveant, ne forte locumque
Amittant carum, ab aliis dominentur inique,
Qui minime fuerint studiosi facta silere
Illorumque, magis sed cuique pandere luce.
Insuper adtendant, iamdudum quo modo passi
Multa fuere mala propriis a finibus omnes
Aediculis pulsi misere habitando alienis.
Hoc cybus illorum memorando sit quoque semper.
Cessent officio mussandi aliisque nocendi,
Israhel officium per quod geniti perierunt
Pergradientes desertum; mente hoc habeantque,
Da: deus omnificus forsan miserebitur illis.

16 imper *corr. B* 19 *prima da *B* 20 *magno *B*
[CVIII.] *INQVISITORIAE *B* 9 suda *corr. B* 13 discurre *B* 14 *Aspiciem *B* *hos *B*
16 ipsos *in l. r. B* 20 *an* *offundere? 21 *passim *B* 23 pulse *corr. B*

[CVIII.] 7 *cfr. c. CI,* 12. 15 *cfr. c. XXXVIII,* 8.

Alterutrum neque sint, moneas, mordere parati,
Hoc quoniam vitium gravius quam vipera laedit:
Sed circa maneat caritas, dilectio clara
Illos atque fides stabilis, fraternus amorque,
Quin gravitas frumentorum, levitas palearum
Pareat inter eos Christique area reparata
Sic stabilita dehinc maneat sine felle draconis.
Hoc faciat patulo geminos interque latrones
Suspensus ligno, foret ut vitae reparator
Amissae humani generis per Adam protoplastum,
Quem male temptator domini privavit inanis
Munere caelesti, merito quod perdidit ipse'.

CIX.

AD GALLVM.

Quantas incipiat grates edicere, Galle,
Se negat hoc nosse fistula nostra, tibi
Munere pro tanto mihi collato sine nostro
Ostenso nusquam obsequio tibimet.
Unum se tantum iactat hoc cordis in antro
Condere, si nobis vita aderit socia,
Donec econtra valeat certare: quod aptum
Sit munus tali reddere munifici.
Interea virtus te salvet protegat atque
Christi per saecli plurima curricula
Centuplicata illi placeat tibi reddere dona
Hic et in aeternum gaudia perpetua.
Multa tibi habui mente depingere nostra,
Aspexit faciem sed lupus ante meam:
Idcirco sensum subitoque dirempsit et ipsum
Una cum voce: tu quoque, Galle, vale.
Ad finem nimias dicit tibi nostra salutes
Fistula, quas supra conticuit capite.
Mos manet in scriptis erga vitare priores
Has a subiectis, nomina ceu propria.
Blandiloquas ideo minime fuit ausa salutes
Offerre in prima fronte salutifera.

31 *carita *sed* i *superscripto litterae* c *B*: *an* *clarica (*i. e.* clariga) ? *nam doctiuscule loqui voluit qui v.* 28 da *pro* dic *posuisset* 35 Sit *B corr. Bethm.*

[CIX.] 2 *posse *B* 11 tibi *ex corr. B* 18 qua *corr. B* 22 salutifere *corr. B*

[CIX.] 3 *sq. cfr. c. CI,* 5 *sq.* 5 *cfr. c. XCII,* 43. 9 *sq. cfr. c. LXXXI,* 20. 10 *cfr. c. CV,* 2. 13 *cfr. c. CI,* 31. 14 *cfr. e. g. Isid. orig. XII,* 2, 24 *et Dungal in Monum. Carol. Iaffeii p.* 397. 22 *cfr. c. CI,* 41.

CX. *a. 871.*

EPYTAFIVM.

Anno incarnationis Christi DCCCLXXI abiit Magenardus monacus ac sacer dei ex hac convalle plorationis et sub die XV Kal. Feb. apparere

Desivit in hac ⟨e⟩nephosa caligine mundi,
Illius hicque caro parva requiescit in urna:
Aeternam, domine, cui requiem tribue.

CXI.

IN QVODAM ORATORIO.

Saepius hic presse canitur psalmodia dulcis
Noctibus in furvis pulso iam corpore somno
Et geminis detersa oculis caligine tetra,
Quo sol iustitiae lucem tribuat renitentem
Gratis in hac servis parva vigilantibus aede
Sanctorum meritis intervenientibus almis.

CXII. *a. 871.*

Fistula, conemur parvos confingere versus,
Donec, parva, licet, valeamus promere, nobis,
Quos humili archipatri variis virtutibus alte
Callenti nos ruricolae residesque manentes.
Linarium munus capiat, dic rure voluta,
Vultu cum comi, mitto quod sat verecundus.
Si donum nimia pro paupertate meorum
(Est quorum numerus bis centum platesiarum
Esociumque duum nec non totidem luciorum)
Cracatius magnus vel si mihi parvus adesset,
Dicito, quem digno valuissem mittere patri
Ansigiso domino praeclaro pontificique

[CX.] *cnephosa caligine] nr̄i hos acaligine *B*: *cfr. Pauli Fest. ed. M. pag.* 51 1 *post* urna *eras.* Aeternam *B*

[CXI.] 3 CALIGO *in marg. B*

[CXII.] *post* 3 *versum excidisse statuit Bethm., et certe est ultimus paginae in B, sed ita potius verba fidicularia extricantur:* o parva fistula, conemur parvos confingere versus, quos inculti valeamus promere archiepiscopo docto (alte callenti *cfr. CI,* 4 *CXLVI,* 3) donec nobis licet 4 *Callentem *B*

[CX.] Magenardo praeposito et fratribus in monasterio S. Richarii degentibus [*sc.* Hincmarus scripsit] pro litteris, quas apostolicus papa [*sc.* Nicolaus I.] regi Karolo sibique miserat pro quodam qui monachum interfecerat *Flodoard. Hist. Rem. III* 25 (*SS. XIII* 538); *quam epistolam Schroers in Hincmaro p.* 532 *recte intra a.* 858—867 *ponit.*

[CXII.] *Ad Ansigisum iam archiepiscopum factum cfr. supra p.* 270. 1 *cfr. c. LXXXIV,* 3. 5 *cfr. Miconis c. infra CLXVIII,* 9.

(In quo certa manet nobis spes fiduciaque
Prae cunctis mortalibus, haec qui nomina gestant,
Qui populis etiam fidei pia semina spargunt),
Explanare queo minime, iubilatio cordis
Quanta foret nostri, ceu mestitia quoque nunc stat:
Corde loquor sudo, dominum testorque potentem,
Omnia qui spectat, quicquid sub corporis umbra
Versatur. Demum, valeat vigeatque per aevum
Ad decus ecclesiae, nostrorum, dicque, salutem,
Fistula; tum geminis pedibus tu basia fige.
Corporis ex cuius valitudine reddere certum
Me studeas, de qua suspectus marceo prorsus;
Ipsum, nam metuo semper, mors ut furibunda
Tensum obiter cito subripiat, quod saepe frequentat.

CXIII.

Confirmat hominis corpus haec formula panis,
Artos sed vivus stat animaeque cybus;
Unus enim pascit mortalia corpora tantum,
Alter alit ventos gratifice varios.
Gratia sed Christi cunctis referenda in utrisque,
Talia qui servis dona suis tribuit.

CXIV.

IN QVADAM MANSIONE.

Haec opus ad fratrum fundata domuncula constat,
Spiritus extremos valeant qua reddere Christo.
Angelus illorum sed custos nocte dieque
Gabriel esto, petant donec caelestia regna,
Quo resident animarum messores clypeati
Demonas adversus, obstant qui plasma tonantis.

CXV.

SVPER LECTO.

Hic recubans iugiter spem tendat ad aethera Christi
Et reseret, clausa quaeque latent animo,
Quo viciis valeat tersus transire superna
Ac sibi promissum suscipere bravium.

23 certum] cer *in l. r. B* 25 *sq. an* *Ipsi . . . Pensum?
[CXV.] LECT̄ *B*

CXVI.

IN LECTORIO.

Hic normam sancti recitat lector Benedicti
Ac Christi eloquium, plurima gesta patrum.

CXVII.

O dilecte pater, vino transmitto Falerno
Parvula vobis vasa, tamen sed valde referta.
Unde in amore dei hodie geniti, oro, bibatis,
Qui vobis tribuat longos deducere soles
Felici cum coniuge, posteritate sequaci,
Post finem statuat vos ac super astra polorum,
Quo carnem sancta statuit de virgine sumptam,
Sanctorum precibus iutos: hoc sedulus opto.

CXVIII.

ITEM IN ECLESIA.

Aediculam, Christe, egregiam venerabilis abba
Hanc statuit Hetti plenus amore tui
Nec non sanctorum, sita sunt hic corpora quorum:
Scilicet Eusebii martyris eximii,
Pontiani pariter, Peregrini iure colendi,
Qui pro martyrio regna superna colunt.
Detulit hos Roma, tumulavit hicque honeste;
Cernitur omne quod hic, horum in honore dedit.
Quorum pro meritis miracula plura videntur
In hac ostensa saepius aedicula.
Huic etenim structori dic, rogo, lector, adesse
Hic et in aeternum prospera cuncta simul.
Audiat ipse sibi demum Christumque loquentem
Intrans iam domini gaudia magna tui
Almorum meritis intervenientibus, ossa
Quorum sarcofagis condidit egregiis.

[CXVI.] LECTOR̄ *B*
[CXVII.] 6 *statuet *B* 8 *iuti *B*
[CXVIII.] ECL̄æ *B* 2 Hanc *ex corr. B* hecti *B corr. Bethm.* 14 *Intra *B*

[CXVII.] *Ad Welphonem vel Rudolfum.*
[CXVIII.] *Hetti abbas certe non Centulensis fuit.*

CXIX.

ITEM IN SESSIONE.

Saepius hac residet Christus suceptus in aede;
Scemate sub hominis saepius hac residet.
Hoc veneranda cohors fratrum veneranter adorat;
Diligit amplectens hoc veneranda cohors.
Ianitor o miserans, laeto quod suscipe vultu,
Quaeque potes, tribue, ianitor o miserans.

RESPONSIO IN PERSONA CHRISTI.

Iam quia hic sedeo Christus sub imagine servi,
Ac peregrini habitu iam quia hic sedeo,
Sit benedicta cohors fratrum mihimet famulando;
Hic et in aeternum sit benedicta cohors.
Hostis atrox fugiat parvaque recedat ab aede:
Quo pax hic maneat, hostis atrox fugiat.

CXX.

a. 864.

IN QVODAM VASE.

Hoc vas marmoreum custos reparavit Odulfus
Atque loco statuit, stetit in quo dispar ab isto
Vas aliud multum specie, pariter precioque.
Una tamen virtus manet, una salus in utrisque.

CXXI.

EPITAPHIVM.

Hac tellure sua Milo cum coniuge pausat,
Quos tenuit simplex, castus amor pariter.
Unus despiciens mundum finivit honeste,
Altera sacrata post obiitque deo.
Nam quinto Augusti decimo Miloque Kalendas
Decessit summi plenus amore dei.
Idus sed ternis obiit Wenrada Decembris;
Cui, lector, veniam posce deus tribuat.

[CXIX.] 12 fugeat *B*
[CXXI.] 1 Hęc *B* pausa *B*

[CXIX.] *cfr. c. LXXXVIII.* 3 *cfr. c. CXL*, 24.
[CXX.—CLVII.] *Tertia series carminum i. e. ab a.* 864—866 *a Fredigardo et Odulfo conditorum cfr. supra p.* 274.
[CXX.] *cfr. supra p.* 267.

CXXII.

I T E M.

Danorum spiculo iacet Heriradus in arvo
Percussus iuvenis tempore heu capitis.
Usque egit Martem quos contra dum, ruit ipse
Mortis ad occasum quam propere nimium.
Addidit haud, lector tituli, pedibus timor alas
Illi, sed virtus mortis habere diem.
Quinis Augusti finivit sicque Kalendis:
Cuius da veniam, cunctipotens, animae.

CXXIII.

AD QVENDAM NOSTRVM.

Fistula, treche cita, Aldricum perquire sagacem:
In Christo semper dic valita⟨r⟩e virum.
Atque dehinc grates studeas multasque referre
Munere collato Alcimedontis enim
Indigno mihi, haut meritoque sua bonitate
Ac sine servitio sollicitando meo.
Sed dominus reddat, potis est cui reddere, dicque,
Tempore praesenti donula plura sibi.
Basia fige pedi, propria ad remeare studeto
Cum celeri cursu transiliendo simul.
De mihi prosperitate sua tu reddere certum,
Iucundum valeas ac, veluti cupio.
Mente tua teneas fida haec quoque verba, videto,
Tergitim stratu, fistula, dum recubas.
De fluvio nil Laetheo tu sumere, dicta,
Praesumas, donec nostra peracta habeas.

CXXIV.

AD EVNDEM.

Frater amate, satis nimium te posco valere
In domino, ⟨nos⟩ qui dempsit ab ore lupi,
Deluit ac proprio pariter de sanguine gratis,
Ne hoc, quod condiderat, laederet hostis atrox,

[CXXIII.] 2 *ualite *sed pro* e *scribi coepto* a *B* 4 *munera *B* 14 *an* *tergitenus? recumbas *corr. B* 15 LETEUS *in marg. B*
[CXXIV.] 2 *nos *om. B* demsit *corr. B*

[CXXII.] *Epitaphium fort. a.* 864 *factum in iuvenem a.* 859 *a Danis interfectum.* 5 *cfr. Aen. VIII,* 224.
[CXXIII.] 1 *cfr. c. Miconis infra CLXVIII,* 1. 4 *cfr. Ecl. III,* 37.

Qui reges proceres altos, humiles monachosque
A statu proprio vertere vult subito.
Nam multos ipsum legimus, mundi, tetigisse,
Sed tactos opifex vincere posse dedit.
Ad si nos quondam tetigít, redeamus ad illum,
In se qui fisis dat veniam miseris.
. . . . . .
Haud debet collo solvere namque iugum,
Quin mage corde bono stabilis semperque manere
Sedulus in sancto servitioque suo,
'Cuius onus facile est, cuius iuga ferre suave est',
Ore tonat patulo Sedulius veluti.
Plebeicam, miror, cur mavis ducere vitam,
Quam fieri monachus, dulcis adelfe, bonus.
Illa trahit hominem Stigias Caronis ad undas;
Ad Benedicti almi vita inhiat superam.
Demonis heu nescis quanta est seductio pravi:
Mentem subvertit, cor pariterque rapit;
Crimina pestifera superaddit cordis in antra,
Insuper inlicitat, quicquid et ipse valet.
Quam felix nimium fuerit per saecula tensa,
Effugerit haec qui propitiante deo. —
Ad finem rogito: nostrum quoque carmen ineptum
Perlege tuque cito, quaeque monet, facito.
Tunc poteris dominum nostrumque placare patronum,
Cui genitor genitrix teque dedere tui.
Dextera quos Christi semper tueatur ubique
Ac simul exaltet, protegat atque regat.

---

a. 861.

CXXV.

EPYTAFIVM.

Anno dominicae incarnationis DCCCLXI obiit Hrothardus puer vel inmaturus.

. . . . . .
Effigiem sumpsit ipsius unde caro.
Hoc relegens, lector, solium, dic, scandat ut altum
Et requies ⟨s⟩ibi⟨met⟩ sit sine fine inibi.

---

11 *nulla lacuna in B* 15 *iuga ferre *ex Sed.*] iugalare *priore* a *ex corr.* (u?) *B* 16 Oro *B corr. Bethm.* 17 *an* *Plebeiam? 24 uelit *corr. B* 27 Ad] d *ex corr. B*

[CXXV.] hrothd *B* puerł *B* puerulus *quod potest esse verum Bethm.* 1 *nulla lacuna in B* 4 *ibi *B*

[CXXIV.] 15 *Sedul. c. p. I,* 290 Cuius onus leve est, cuius iuga ferre suave est: *in quo hiatum sustulit.* 25 *cfr. c. LXXII,* 15. 28 *cfr. c. LXXXV,* 2. 25 *cfr. LXXXV,* 17.

CXXVI.

a. 864.

ITEM EPYTAFIVM.

Anno incarnationis domini DCCCLXIIII sub die ternarum Kalendarum Decembrium oppetit Waltherus monachus ac bonae indolis.

Et iacet hic tectus duro sub tegmine ruris:
Optatam tribue cui veniam, domine,
Ac celsum, tituli lectores, poscite divum,
Ut procul apellat debita cuncta sua.

CXXVII.

IN CYBORIVM.

a. 864.

Hoc ego cyborium statui, quod cernis, Odulfus;
Lector, ut hic stabile, dicque, diu maneat
Ad decus aeterni regis pariterque patroni
Nostri Richarii, qui famulatur ei.
Plura etiam dominus tribuat mihi, dicito, posse
Addere cum pace huius honore loci,
Qui condam manibus fuerat vastatus iniquis
Nec non fedatus turpiter heu nimium.

CXXVIII.

IN TABVLA.

a. 864.

Hanc tabulam custos sancti reparavit Odulfus
Ad decus ipsius Richarii tumuli.

CXXIX.

Praebeo diversis labiis potabile mixtum;
Solvo sitim, totum qui me depotat acute.

CXXX.

ITEM DE COMMESTIONE ADAE.

Vescitur hic Adam malum de stipite fici
Inlectus blando coniugis alloquio.

[CXXVI.] oppetit] spiritum exalauit uitae uel uisum exuit *in marg. B* 4 *appellat *B cfr. p.* 332
[CXXVII.] 2 *stabilis *B*
[CXXX.] 2 blande *corr. B*

[CXXVII. CXXVIII.] *De Odulfo cfr. supra c. CXX.*

CXXXI.

DE VELATIONE MEMBRORVM.

Hic Adam pariterque Eva genitalia celant
E foliis ligni a domino vetiti.

CXXXII.

DE EIECTIONE IPSIVS.

Vade foras, Adam, paradysi haud sisque colonus:
Terra tibi spinas germinet ac tribulos.
In sudore dehinc edas pro crimine panem,
Donec ad matris tu gremium redeas.

CXXXIII.

AD QVENDAM.

Aures suspensas teneo, carissime, semper
Ardens praelati nimium tibi nomen adesse,
Cernere teque ambone dehinc astare decenter
Legem euangelii subiectos rite docendo:
Sceptro de domini, poena pariterque gehennae,
Expertes fieri de qua mereamur uterque. Amen.

CXXXIV.

IN QVODAM GESTATORIO.

Decutit ardorem solis pluviamque ferenti
Hoc tegmen capitis tempore disparili.

CXXXV.

IN MVSCARIO.

Obsequio gemino divisum stat opus istud;
Nam muscas pellit umbraculumque facit.
Bruma nilque iuvat, ferventi tempore prodest;
Nec mirum, quoniam tempora stant varia.

[CXXXI.] 2 ligni] fici *in marg. B*
[CXXXII.] 2 ac] et *corr. B* 3 crimine] c *ex* a *B*
[CXXXIII.] 6 Amen *not. Tir. B*
[CXXXIV.] 2 disparali *corr. B*
[CXXXV.] 1 hic opus adstat *dittographiam in marg. add. B*

CXXXVI.

Est domus haec Christi peregrinis adtitulata,
Illis ostensa qua manet humanitas.
Hacque melo resonant divisi sedulo fratres
Per decadas digno, Christe, in honore tuo.
Hos tua magnifica tueatur dextera semper
Hanc adiendo larem ac repetendo viam.

CXXXVII.

STICHI EXHORTATORII AD COMBENNIONES NOSTROS.

Cernitis, o famuli gratis dulcedine pasti
Pastoris Christi Richarii eximii,
Virtutes dominus quas digne operatur in aula,
Ipsius membra quo recubant nivea,
Tanti pro meritis patroni iure colendi,
Vivorum placida qui regione micat
Pacifero famulans regi, qui regnat in ipsa
Zonatim septus milibus astricolis.
Odas idcirco reboet vox vestra canendo
Aeterno regi magnificas, famuli,
Ac simul egregio patrono reddite laudes,
Signa deus per quem plura salutis agit.
Nec etiam pigri maneatis pectoris antro
Huius enim gesta figere melliflua.
Quodsi quis nostrum fuerit compunctus amore
Divino, cupiens hocque notare sciat:
Antiquus perstet codex ne sic breviatus,
Ceu mansit nostra hactenus incuria;
Quo partim miracula picta videntur honeste
A quodam Albino nomine doctiloquo. —
Nunc, fratres, ad vos sermonem verto parumper,
In paucis iterum versiculisque loquor.
Cernite, qualis sit, caelo qui tanta operatur,
In terris deinde vosque cavete bene,
Quo pariter vigiles maneatis nocte dieque
Eius in obsequio: hoc breviter moneo,
Quatinus effugere domino miserante queatis
Danorumque mala, vivere pacifice.
Nam precibusque suis dominus conservet ovile
Nostrum per saecli plurima curricula.

[CXXXVI.] 3 *resona *B*

[CXXXVII.] 2 *Pastores *B* 7 *Paciferi *B* 12 quam *B corr. Bethm.* 14 figere] r *ex corr. B* 30 curicula *B*

[CXXXVI.] 3 *de cantu perpetuo cfr. Rilliet Études sur d. papyrus d. VI. siècle* 103.

[CXXXVII.] 8 *cfr. c. IV,* 3. 18 breviatus *sc. in quo miraculorum series non sit continuata.* 20 *de Alcrini libro cfr. supra p.* 267 *et c. LXXXII.* 21 *cfr. c. CV,* 25. 30 *cfr. c. CV,* 2.

Post mare transmissum mereatur cernere portum
Tranquillum, celsus quo residet dominus
Felicem reddens naulum felicibus ipse
Exhibito nautis forte labore sibi:
Felix ille satis, parvum qui ceperit unum
Nummum inter Christi navigeros inibi. —
Sumite, doctiloqui, scriptum hoc, quod cernitis: aptum
Si fuerit, legite, quaeque monet, facite;
Quod si non fuerit, minime ridere velitis
Illud pro nimia rusticitate sui.
Et vos in Christo Iesu sine fine valere
Ore precor patulo, corde meroque rogo.

CXXXVIII.

I T E M.

Indolis o praeclare satis, deposcimus omnes
In commune diu iugiter vos stare decenter
Ad vestrum decus egregium nostramque salutem
Plurima currentis maculosi tempora saecli.
Ter quinos etiam dominus superaugeat annos
Ad vitae metas, veluti quoque regis adauxit
Ezechiae, modicum tumuit qui victor in hoste
Oblitus, tribuit, domini, qui talia posse.
Post opus archana faciat cordis penetrare
Cotidie libros coeptum recitando catorum,
Auletis ut cum valeatis ludere primis:
Non trocho iuvenum, potius sed lege sophorum.
Hoc faciat, petimus, pro nostra namque salute
Salvator mundi genitus sine semine patris,
Qui vivit, regnat pariter sine fine potenter
Cum genitore suo, cunctum qui possidet orbem.

CXXXIX.

Audacter calamum, pater, arripui sine tora
Artis grammaticae, cupiens depingere carmen
(Fisus, qui tribuit mutis fore satque loquaces,
Illius nutu, cuncta cui posse videntur),
Quod vobis dare quivissem pro munere tantum.

---

36 *nauigeras *B* 37 Summite *corr. B*
[CXXXVIII.] 6 adausit *B corr. Bethm.* 11 *tum *B* na leati *B corr. Bethm.* 12 so *in marg. B*
[CXXXIX.] *ab antecedenti non distinguit B*

38 *cfr. LXXXII,* 22. 42 *cfr. CXXIV,* 16.
[CXXXVIII.] 2 *cfr. c. CXXXIII,* 3. 11 Auletis *sc. certare cum pueris Palatinis.*
[CXXXIX.] 5 *cfr. CXLVIII,* 9.

In hoc erravi si quid, vos parcite nostro
Audenti calamo, qui talia suasit arare
Scripta; dehinc et ego valeam certare priora.
Cernere vos inhio citius cum pace serena
Expulsis Danis, metuo quos nocte dieque.
Tantisper vos custodiat mundi sator atque
Protegat exaltet, pravo defendat ab hoste.
Hoc crebris posco precibus, rogito precor opto
Vertice submisso, deflexis poplitibusque.
Haec perlecta, preces domino tu fundito sacras,
Ut clemens famulum protegat ipse suum.

CXL.

AD EPITIMATVM DIDASCVLVM.

a. 866.

Saepe, sacer, portarum specto foramina bina
Attonitasque tenens aures, carissime, semper
Opperiens, donec reboet quis: 'Iam venit, ecce,
Expectatus enim Guntlandus sat, Fredigarde'.
Vento sed languent agitati, noster, ocelli
Stando foris nostri cupientes cernere temet.
Eheu, quam frustra 'metuo spero'que laborant,
Imminet, augetur semper quia pestis acerba
Undique pravorum hominum hoc operante maligno
Nocte die zabulo, veluti quoque cernis aperte.
Nos super idcirco nimium mala plura redundant:
Et merito, quoniam meriti sumus inde merendo.
Sed talem dominus dignetur pellere pestem
A nobis citius: fusus terra tenus oro.
Hoc, sacer, in sacris precibus tu posce tonantem,
Nos contra motum valeant quem reddere laetum.
Actenus est nobis tamen hoc domino faciente
Sat bene, quod nostris meritis sine credimus esse.
Sed tristes semper residemus valde timorem
Ob nimium Danorum, nos qui perculit olim:
Finibus a nostris, domine, quos pellito longe,
Ne rursum valeant nostrum penetrare locellum.
Si libet, oro, tuum, tibi, fac cognoscere nomen

[CXXXIX.] 15 *dominum *B* 16 GL (?) *not. Tiron. in marg. B*

[CXL.] 5 nr̄ *B:* noster *cum in B plerumque brevietur* nr̄ *et* nostri *statim sequatur, potest latere aliud velut* * uespere 9 maligno] malorum *corr. B*

10 *Timorem Danorum ne tum quidem cessasse testatur auctor Miraculorum S. Richarii a.* 866 *(cfr. supra p.* 267) *ed. Mab. A. SS. sacc. II p.* 226 propter imminentem Nortmannorum timorem quem sine cessatione patimur; *cfr. infra c. CXL,* 20 *et Duemmler Gesch. d. Ostfr. Reiches*[2] *II,* 142.

[CXL.] *Carmen Fredigardi (cfr. supra p.* 271) *uidetur a.* 866 *paulo post Rudolfi mortem factum.* 4 *De Guntlando cfr. supra p.* 271. 6 *cfr. CLIII,* 3.

Illos corde tenus, quin te veneranter adorent,
Ne tam perverse studeant, pater o, super illos
Desaevire, tuus genitus quos ipse redemit
Sanguine de proprio, fudit quem corpus apertum
Una cum sudo latice pariterque sacrato. —
Ad finem valeas rogito, vigeas, sacer, opto;
Sis memor, oro, mei, maneo velut ipse tuique.
Cantica Davidis resones feriendo labella
Cordis in arcano dominum pro me rogitando;
Nec ego segnis ero pro te reserare gemella
Labra, scias, reddendo vicem, carissime, donec
Vitalem tulero flatum sub corporis umbra
Et mea mens etiam poterit dinoscere parva
Regem, qui solio residet stellantis in alto
Praeditus ipse poli sanctorum valde maniplis.
Cum quibus aethereis fruere mereamur utrique,
Flagito quaeso, cybis, supplex rogito precor. Amen.
Witmarus legat largus nimiasque salutes.
Ermenulfus enim machros te poscit avere.
His etiam nexusque tuus Gunthardus adelfus
Cum Samuhele tuo germano dicit avere.
Ac simul infantes nostri iuvenesque senesque
Multum te valitare rogant per saecla morosa
In Christo, vivit qui cum patre, regnat ubique.
Odulfus custos super omnes teque salutat. —
'Psalmatio' quid sit, vestiga mente sagaci;
Vel si quis codex ita decantat peraratus
His in partibus, id scire facias sitienti,
Antea quam solito tradas — oh — oblivioni. —
De nostro seniore, scias, nobis manet ingens
Luctus tristitiaque gravis, nimius dolor atque.
Sed spes in nostro remanet nostra seniori
Welpone; oro, pius dominus quem protegat, opto,
Ad decus ipsius nostram pariterque salutem.

CXLI.

a. 866.

EPITAFIVM.

Hic retinet corpus Ruodulfi tellus humatum,
Cuius percelebre nomen in orbe cluit.

34 *libra *B* 41 *legit *B* 43 *nixusque *B* 47 regna *B corr. Bethm.* 56 *Vuelponi *B*
[CXLI.] 2 cludit *B corr. Bethm.*

44 *Samuhel monachus Centulensis ab Hariulfo ad a. 867 nominatur Chron. Centul. III* 14, *qui locus ex Odulfi libello sumptus est.* 48 *De Odulfo cfr. supra p.* 267. 49 *Neque nos sciolo respondere possumus nisi forte de ψάλμα θεοῦ quaerit.* 53 seniore *i. e. Rudolfo cfr. CXLI.* 56 *Welf — ut hinc apparet — statim post Rudolfi mortem abbatiae regimen suscepit.*

[CXLI.] *Rudolfus obiit a. 866: cfr. Duemmler Gesch. d. Ostfr. Reiches*[2] *II,* 142.

Tempore sub magno Hludowici vixit honore
Ipsius auletis Caesaris egregiis.
Nec minus in sceptro Karoli regis decoratus
Mansit consilio pace fideque bono,
Illius inter primates nullus prior illo,
Cuius diversa regna genus decorat:
Hoc renitet Karolus, Francorum rexque lucerna
In candelabro fixa manens solido.
Idibus octonis Iani decessit ab ista
Luce: potens domine, cui superam tribue.
Hoc, lector, relegens lingua feriendo palatum
Dic: 'Ruodulfi anima pace quiescat, amen.'

CXLII. *a. 866.*

I T E M.

Nobilis hic parva Rhuodulfus pausat in urna,
Cuius famosum nomen in orbe fuit.
Auletas inter Karoli nullique secundus
Extitit in solida pace fideque bona.
Idus octavo mortem gustavit amaram
Iani: cui veniam det dominus placidam.

CXLIII. *a. 866.*

IN LAMPADE IPSIVS.

Haec iugiter lampas niteat tumulum ante Rhodulfi,
Quam Hruodon fieri iussit amore sui.

CXLIV.

SVPER LECTVLVM.

Sis mihi, cunctipotens, cubitanti dexter ubique,
Ac pariter posco caelica regna, dator,
Hornamenta, meam perversi velle draconis
Mentem polluere quo nequeat, domine.
Ac tege plasma tuum semper cum pace serena,
Donec ad gremium matris eam proprium.

5 ceptro *corr. B* 13 legens *corr. B*
[CXLII.] ITEM *B* 3 inter *Bethm.*] in te *B*
[CXLIII.] 1 rhodulfum *B*

[CXLIII.] 2 *Hruodon, abatissa quaedam,* Centulensium casta dilectrix, *quam ad a.* 867 *Hariulfus laudat ex Odulfi libello, Chron. Centul. III,* 14.
[CXLIV.] 5 *cfr. LXXXVI,* 4; *CI,* 10 *CXXXIX,* 9.

a. 866.

CXLV.

IMPLORATIO ANGELI.

O pie, sorte tua Ruodulfum suscipe, Christe.

RESPONSIO CHRISTI.

'Suscipiam', contra clemens affatur Iesus.

CXLVI.

EPYTAFIVM.

Hoc cinis exiguus tumulo requiescit humatus
  Cultoris Christi Flodegeri eximii,
Iustitiis nituit divinis qui satis alte
  Nec minus humanis floruit eloquiis.
Hic senis decimisque Novembris, alme, Kalendis
  Spiravit: tribue cui requiem, domine.

CXLVII.

IN LATERNA.

Cornibus ex pecudum sisto fabricata laterna,
  Ne subito lapsa conterar ad lapidem.
In tenebris valeo, Phoebo surgente quiesco;
  Nec mirum: caecam phos abigit speciem.

CXLVIII.

AD QVENDAM NOSTRVM.

Iam pridem nimium risorie, nosco, petisti,
Quo tibi pinxissem breviter sub lege pedali
Quoddam opus adnexum, pariter sermone politum,
Cum me participem scires minime quoque huius
Structurae, potius torpentem sed residere
Inter metrificos callentes more carentum

[CXLVIII.] 1 nosco] nos *in l. r. B*

[CXLVI.] 1 *cfr. LIX,* 1. 3 *cfr. app. crit. ad CXII,* 3. 4 *cfr. XCII,* 20.
[CXLVII.] *cfr. LXXI.*
[CXLVIII.] *cfr. c. LXXIX.* 5 Structurae huius (*cfr. XXVIII,* 20): *errores dicit verborum inextricabiles et contortiones perturbantes, quam tunc temporis putabant esse artem cfr. Milonem de Amandi vita:* quamvis difficilioribus uti potuerim aliquibus in locis verborum ambagibus, ne id facerem sum prohibitus quia etiam credidi futurum opus istud gratius si omnium fratrum pateret auditibus. 6 *cfr. XXXIV,* 2.

Iure metrorum, famosissime et inclyte frater.
Nam, mihi si tempus, fateor, vacuumque fuisset,
Fingere temptassem, tibi quod pro munere tantum
Misissem carmen speciatim versificale,
Gentaculo de quo valuisses ludere fracto,
Inflatis etiam fibris cantare saturque,
Usquequo depressus somno Bachoque sepultus
Pernox in gremio lecti stertendo cubares.
Si tibi nuncque libet, faciam, quod iussio iussit
Alma tua, frater, veluti mihi posse videtur
Ac dederit sensum, servat qui cuncta creata
Et reserat clausa pariterque soluta recludit.
Incipe, quaeque velis, narrare; ego segnes adesse
Nec cupio, potius sed cursim implere petita,
Iuxta quod didici, maneo nec non sciolusque.
Illud si renuis, celsum perquire poetam,
Quo satis invenias, quod nobilis exigit usus.
Et tibi pax nostro veniat sistendo locello
Aevi curricula, rogito, per multa cadentis.
Nec te subripiat demum suadendo malignus
Demon, te dudum voluit qui perdere totum
Ex toto, nisi te tutasset dextera Christi:
Protegat exaltet quae te per secula tensa.

CXLIX.
AD QVENDAM INPVBEM.

Miror, cur mavis nimium habitare secretus
Aede in sordidula, quam residere loco
Conspicuus multis, studium quo cernere possint,
O bone, quod peragis cotidie, iuvenis.
Conspicis hic etenim plura pendentia mala
Atque frutecta alia, quae tibi sunt placita;
Pampineis, si vis, poteris habitare sub umbris,
Ex cornu mala vellere purpurea.
Codiculos propter reponendos atque tabellas
Stat vobisque, scio, quod repetis satius.
Unum te moneo: semper certare studeto,
Quo valeas fisus ludere litterulis
Cum sociis, tecum qui discunt nocte dieque
Artem grammaticam; sicque valeto bene.

19 segnes *B*: *quod corrigere non ausimus cfr. Traube Karol. Dicht. p.* 90 23 *quod *B* *inuenies *B* 29 *exultet *B*

[CXLIX.] 2 resedere *B* 5 hic *postea add. B* 12 litterulas *corr. B*

9 *cfr. CXXXIX,* 5 11 *cfr. CIV,* 3. 12 *cfr. Ecl. VI,* 15. 13 *cfr. Aen. II,* 265. 16 *cfr. CXXXIX,* 4. 18 *cfr. CVI,* 2. 25 *cfr. CXXXVII,* 30. 29 *cfr. CXXIV,* 25.

[CXLIX.] *cfr. c. CXXIV.* 7 *cfr. Ecl. VII,* 58.

CL.

a. 866.

AD ABBATEM NOSTRVM.

O praeclare, decus claro de sanguine vernans,
Regali dextro stas latere genio
Nec minus ex levo generosus sistis in orbe:
Te decet idcirco patris inesse loco.
Eheu quem nobis nimium cito mors furibunda
Insperate tulit ac subito rapuit.
Cuius facta sequi semper, venerabilis abba,
Inclita decerta nocte simulque die,
Quo cum Francigenis sedeas redimitus in aula
Regis praeclari candifera Karoli.
Qua tuus egregius, gemma velut aurat in auro,
Enituit genitor, insita splendifluo;
De quo clara manet nimium nunc Francia mesta
Ac desolata illius auxilio.
Sis ideoque virile decus lucensque lucerna
Illius ad specimen atque salutis opem.
Iustitiis maneas divinis pastus abunde
Ac simul humanis fultus in eloquiis.
Aurem nec facile tribuas ad dicta malorum;
Quin mage consultum percipe tuque probum.
In disciplinis moderatus semper adesto,
Ut scapus lancis iustitiam teneat.
Sisque tuis clypeus, fortis protector ubique,
Ne laedat sanctum ullus ovile tuum.
Et tibi cunctipotens multos feliciter annos
Vivere concedat multiplicando bona;
Scandere post finem valeas super astra polorum:
Hoc tuus exposcit grex humilisque petit.
Hoc etiam faciat Davidis stirpe creata
Proles magnifica magnifice genita,
Cuius nativitas nulla de sorde virili
Candicat in caelo, fulsit in orbe suo.
Quae genus humanum peccato solvere venit,
Vulnera perque sua consociare sibi,
Ne staret praeda zabuli laqueata maligni
Attensis pedicis muscipulisque suis.
E quibus ereptus maneas, memorabilis abba,
Extimus hocque tuus posco peto famulus;

[CL.] NOSTRVM *eras. B* 13 dara *B corr. Bethm.* 36 TENDICVLIS TENSIS *dittographiam in marg. add. B*

[CL.] *Ad Welphonem abbatem Rudolfi Abbatis filium.* 5 furibunda *cum c. XXXIII, 4 comparantes carmen ad Nithardi successorem retulerunt, sed epitheton ceterum non insolens cfr. CXII, 25 potest spectare ad* passionem col[ex]icam, *qua Rudolfus periit cfr. Duemmler G. d. Ostfr. Reiches² II,* 142.

Ad gregis ornatum, domine, semperque valeto
Et simul egregium ad decus, oro, tuum. —
Ad finem tensus veniam deposco verenter,
Olim, pro baculo, qui ruit e ceraso
Illius ex culpa, fuerat qui supra locatus,
Quem manibus frustra in geminis tenuit.
Quam fuit illa dies, crevi, mihi mesta, cruorem
Vestro in qua fluere purpureum capite.

CLI.

AD EVNDEM.

Sume, pater, manibus carmen, quod fistula promit
Nostra, manu studui celeri quo pingere vobis,
Quo modo vestra fides vestrum servavit homonem
Marte gravi quendam contra nequiter cupientem.
Sed dominus, caelo iustus qui praesidet alto,
Iustitiam, iudex, cernentibus undique vestris
Caelitus exhibitam frustra monstravit aperte.
Iam quia lex restat nimium mundalis inulta,
Vos adhibete tamen consultum, quid modo vobis
Sit faciendum ex hoc, maneat ne sic quoque vestra
Pro nihilo dominatio nec non nomen et ipsum
Vestrum vilescat, minime quod condecet umquam;
Sed magis adcrescat virtus animi pariterque
Adcrescant etiam vestra solamina vestris
Sat laesis famulis, caesis dirisque flagellis.
Est quibus ablata nimium spes certa manendi
In fines proprios, potius sed mors inimica
Stat iugiter suspecta illis nocteque dieque.
Nunc iterum facient quo confugium, nisi tantum
Ad vos, o pastor? cui stat commissa potestas
A domino caeli regnum sine fine regente,
Rege simul Karolo regna dominante caduca.
Quae vobis maneat longaevo tempore, posco,
Ad vestrum decus egregium nostramque salutem.
Improbitas nostra iam limitat hic quoque finem:
Est minime vestras ausa pulsare benignas
Aures pro vestris ultra famulis, pater alme.
Vos scitis dare conlisis suffragia vestris
Et referire simul typhorum colla torosa;
Carminis idcirco finem nunc fistula sistit.

[CLI.] 2 *studuit B 12 unquam *corr.* B 22 regna] regnando *corr.* B

CLII.

Hac gemini parva sancti memorantur in ara:
Iohannes genitus, Zacharias genitor.

Aurant hic Stephani digne protomartyris almi,
Iusti reliquiae Simeonisque sacrae.

In hac Ieronimi cripta memoratio sacri
Efficitur, sancti Efremis, Equitii.

. . . . . .
Quintini sancti relliquiaeque simul.

Haec in honore crucis constat sanctae ara dicata,
Qua Christi sacrat mistica dona sacer.

Armifer hic domini colitur Dionisius, una
Rusticus ac sanctus atque Eleutherius.

Ornat hanc Christi mensam Mauricius almus
Atque Exsuperius, Candidus egregius.

Gregorius structura humili veneratur in ista,
Clarus Romana qui fuit eclesia.

Possidet hanc levita dei Laurentius aram
Cum Sebastiano necne Valeriano.

Praesulis egregii Martini mentio hic fit,
Germani sancti, Servatii almivoli,
Vedasti, Elegii, Walerici Remigiique
Cum patre Medardo magnificoque Lupo.

[CLII.] 3 alme *corr. B* 6 Ac sacer efrem equitiusque *dittogr. in marg. add. B* 7 *nul. lac. B: excidit Crispini et Crispiniani mentio* 12 eleuterius *corr. B* 13 mauritius *corr. B* 20 *seruasii *B*

[CLII.] *tituli in aras ab Angilberto olim in Centuli ecclesiis consecratas, tunc temporis fortasse post Danorum cladem renovati.* 1 *sq. Angilbert. de eccl. Centul. cap.* 1 (*SS. XV*, 174) altare sancti Iohannis baptistae, in quo reliquiae eius et Zachariae patris ipsius, *sc. in ecclesia Salvatoris.* 3 *sq. ibid.* altare sancti Stephani, in quo reliquiae eius et Symeonis, qui dominum in ulnas suscepit, *in eadem ecclesia.* 5 *sq. ibid.* in aecclesia sancti Benedicti ... altare sancti Hieronimi, in quo reliquiae eius, Effrem et Equitii. 7 *sq. ibid.* altare sancti Quintini, in quo reliquiae eius et sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum, *in ecclesia Salvatoris.* 9 *sq. ibid.* altare sanctae crucis, in quo reliquiae ligni ipsius, *in eadem ecclesia.* 11 *sq. ibid.* altare sancti Dyonisii, in quo reliquiae eius, Rustici et Eleutherii, *in eadem ecclesia.* 13 *sq. ibid.* altare sancti Mauricii, in quo reliquiae eius, Exuperii et Candidi, *in eadem ecclesia.* 15 *sq. ibid.* altare sancti Gregorii, in quo reliquiae eius, Eusebii et Ysidori, *in ecclesia Benedicti.* 17 *sq. ibid.* altare sancti Laurentii in quo reliquiae eius, Sebastiani et Valeriani, *in ecclesia Salvatoris.* 19 *sqq. ibid.* altare sancti Martini, in quo reliquiae eius et Remigii, Vedasti, Medardi, Gualarici, Lupi, Servatii, Germani atque Eligii, *in eadem ecclesia.*

Haec in honore patris Benedicti stat titulata
Ara, ovium pastor qui fuit eximius.

CLIII.

O sacer, e nostris, venerabilis, affuit unus,
Qui mihi parte tua dixit habere vale.
Insuper innotuit cupientem cernere nostram
Te faciem, nostro colloquioque frui.
Quam tibi visuram cedo cum corpore parvo
Instanti ebdomade, credo, Iovisque die.
Ipsa etiam proprium noscas remeare locellum
Me tantum velle propitiante deo;
In quo multiplicem tibi posco manere salutem
Hic et in aeternum congeminando bona.
Iam quia hic fulges studiis, niteas super astra,
Quo caritas lampat ac bonitas redolet.
Hoc feriendo tuus deposcit labra gemella
Sidera suspensos alta tenens oculos.
Fundito tuque preces pro me, venerande, sacratas,
Dum stas altare, o sacer, ante sacrum.
Quod supplex rogito vultu tellure reflexo:
Nec ego reddendo segnis eroque vicem
Inque meis parvis dominum precibus rogitando
Stans coram sancti Richarii tumulo.

CLIV.

I T E M.

Hic Evam loquitur serpens ad, coniugis Adae
Sumeret ut malum a domino vetitum.

CLV.

I T E M.

Oscula hic duri defigunt blanda leones
Divini sacris Danielis manibus.

[CLIII.] *a carmine antecedenti distinximus* 1 adfuit *corr. B* 5 paruum *corr. B*
[CLV.] 2 *diuinis *B*

23 *sq. ibid.* in aecclesia sancti Benedicti altare ipsius, in quo sunt reliquiae eius et Antonii et Columbani.
[CLIII.—CLXXI.] ***Miconis videntur esse.***
[CLIII.] *Mico* (*v.* 5 cum corpore parvo) *abbatem* (*?*) *quendam externum alloquitur.*
[CLIV.—CLVI.] *Tituli.*
[CLIV.] *cfr. c. CXXX.*

CLVI.
ITEM.

Hic hominis pecora fugiunt varia feritatem,
Mortis vicina ne fierent gelidae.

CLVII.
AD QVENDAM INFIDVM.

Saepe mihi plures cecinerunt, quod modo aperte,
Frater, cognosco, credulus ⟨et⟩ maneo.
Iam quia postposui nostros, solum tibi adhaesi,
Me contra idcirco sic loqueris merito?
Frigidus es nimium, salis et sine, credo, sapore:
Propterea fari te nequius decuit.

CLVIII.
AD ALIVM.

Sume, pater, manibus placidis simul atque sacratis,
Parvus et exiguus parvum quod defero munus.
Hoc, volo, ne renuas, sed et illud tu quoque sumes:
Nam si vita comes fuerit, post plura parabo;
Interdum libeat tibi, flagito, munus amici.
Rethoris exemplum placeat memorare Catonis:
'Munus perparvum tribuit cum pauper amicus,
Sume libens animo, grates libeatque referre.'
Versibus ex parvis multum tibi flagitat unus:
Ut valeas Christo, vigeas per saecula multa,
Ad post cum sanctis regnes sine fine beatus.
Hoc faciat genitus nullo de semine nobis:
Cernuus atque frequens totis hoc viribus oro.
Rustica nunc veniam rogitat quoque fistula nostra,
Nec minus et finem petit ac sibi quaerit habere,
Ludere quae temtat, pedibus sine currere frustra.
Versibus insipidis peragrando parce benignus;
Perlectis placeat Vulcano tradere claudo.

[CLVII.] 2 ⟨et⟩ *Bethm.*

[CLVIII.] ALIVM *nota Tiron. sed titula om. B* 3 *renues *B* 5 *Interim *B* 12 s⟨emine⟩ uirili *in marg. B* 16 *quo *B*

[CLVI.] *Cuius hominis?*

[CLVII.—CLXXI.] *Ad fratres et discipulos carmina salutatoria iocularia precaria.*

[CLVIII.] 4 *cfr. c. XXIV,* 8. 6 *Cat. dist. I,* 20 (*Bs. PLM. III,* 219) Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus, Accipito laetus (placide *al.*), plene et laudare memento. 18 *cfr. CII,* 14.

Ceterum de fucatione ermelai tuae sine loquor fuco: unde adgressi fuimus lustrare studui ad fines nostros. utrum necne isto in chrono perfici potuisset. Repperi tamen hoc minime fieri posse, nisi in maturis solibus. Quapropter, sis sustinere, quoad venient sustine: sin minime, utere tua, quo sedet animo. Fateor enim, si posse adesset veluti est velle, citissime finem haberet uterque nostrum in velle; quod deest, est modo in posse. Vale fine tenus tam isto in chosmo quam magis postea cum caelicolis, quaeso.

Ad finem rogito: semper sine fine valeto.
Quos iunxit caritas, illos disiungere noli.

CLIX.

AD CORI⟨DONEM⟩.

Trechete, dique deae, Choridonem stringere vinclis:
A tergo manibus strictus venietque nigellus.
Sic pedibus nexis flagris compingite diris
Rugosum dorsumque comam deponite tetram,
Ac simul et barbam sursum suspendite tonsam;
Post iterum inlusum nimium vos caedite bardum.

Dum recubas solus, hos pellege gutture presso
Atque pudenda simul posthaec tu corrige plura.
Ut valeas, etiam mandant tibi plurime nostri
Codex Grapinus, Gravulfus et ipse Gotendach;
Commenda crebris hanc domino precibus.

489 *eat] it *B* 494 ualeas *B* 507 Heu *sic B* *post* quam *delevit* in *B*

479 *Psalm.* 83, 7. 481 *Aen. IV*, 653 Vixi et quem dederat cursum fortuna, peregi. 493 *cfr.* *v.* 539.

Tu tibi testis ades, quantum te semper amarit;
Nunc illi dignam ipse repende vicem.
Nos etiam minimas eius de more sorores
Nunc commendamus ecce tuis manibus,
Ut doceas moneasve tibi nos more sueto
Et nos ipsius semper amore colas.
Mercedem dabit hic vobis, cui serviit ipsa,
Cuius item famulae nos sumus exiguae.
Nos etiam solito te semper amore colemus,
Immo magis colimus, quam solitae fuimus.

AGIUS. Gratum valde mihi hoc est, quod dicitis, immo
Istud nunc ipse debueram petere.
Sed praevenistis sicut meritis, ita causae
Istius humili funditus officio.
Unde quia alternum nostrum bene scistis amorem,
Hoc vos affectu diligo teste deo.
Doctrina vos vero mea non prorsus egetis:
Est qui vos dominus instruat interius.
Quicquid in obsequio esse potest, ad hoc fore promptum
Et me promitto et fore non dubito.
De patris et fratrum, qui decessere, salute
Non decet esse nimis vos modo sollicitas.
Una soror, terni fratres obiere tenelli,
Quod fore hos ipsos approbat innocuos.
Enda soror, quae iam fuerat coniuncta marito,
Quod minus ipsa tenet, in sobole illud habet.
Ipse pater quamvis sine sorde nequiverit esse
Utpote mundano praeditus officio,
Quantis ipse bonis tamen emundare piacla
Curarit propria, vos bene nosse scio.
Nam licet innumeris mundi curis premeretur,
A quibus haut opere se quivit exuere,
Romam perrexit, quo, cui concessa facultas
Solvendi fuerat, solvere se peteret.
Hinc dignos cineres sanctorum rite revectans
Partem de proprio iure dedit domino.
Hic sacra sanctorum ossa locans vos quinque sorores
Illic divino dedidit obsequio.
Filiolum ⟨quo⟩que coenobio iunxit monachorum,
Ne qua deo deesset portio forte sui.
Postremo redimens elemosinis malefacta
Ipsaque confessus mortuus in cinere est.
Quis pietate dei pro his non iudicet ipsum
Omnimodis dignum crimine fore reum?
Arsurumne putatis eum, cuius pia facta
Mundo labente stant sine fine fere?

---

541 Aeda *Pertz; sed cfr. Piper ad Libros confraternitat. p.* 550 *sq.* 555 quē *B corr. Pertz*

537 *cfr. ad v.* 493. 549 *cfr. Vit. Hathumod. SS. l. c. pag.* 168. 555 *ipsum Agium, cfr. supra pag.* 370.

Stat locus ille, dei quem tradiderat famulabus,
Quae pro se iuges continuant lacrimas.
Hic chorus ille cluit, quem pridem solvere grates
Pro se salvato viderat ipse deo.
Vidit enim in somnis in maceria nimis alta
Se nutabundum stare satis trepidum,
Cumque putaretur quasi confestim periturus,
Quendam clamasse protinus e latere —
'Vae misero iam' inquit 'ruituro, iam perituro,
Nec spes ulla sibi iam poterit fieri';
Ad haec ille fide plena: 'Non sic erit,' inquit
'Sed spes prorsus erit, si deus ipse velit' —;
Sic pede delapso se demissum pedetemptim,
Donec iam terrae proximus ipse foret;
Tunc nisu, quo praevaluit, se desiliisse
Et recto utroque rite stetisse pede;
Hic coetum magnum versis faciebus ad ortum
Grates inde pio mox retulisse deo.
Vidit huic alium non dissimilem fere visum:
In nimium celsa affore se frutice,
Cumque videretur velut ex alto ruiturus,
Quendam dixisse sic sibimet subito:
Si ramum, qui praemodicus sibi proximus esset,
Fortiter ambabus conciperet manibus,
Se nihil omnimodis passurum nempe pericli
Nec quid prorsus ei posse mali fieri;
Quod cum fecisset, se paulatim inde ruisse
Nec sibimet fieri quid potuisse mali;
Tunc iterum coetum, ut dixi, conversum ad e⟨o⟩um
Laudes salvanti concinuisse deo.
Viderat hoc sane paucis prius ipse diebus,
Quam foret infirmus, sanus adhuc penitus.
Haec quid portendant, bene vos advertere quitis
Et haec inter se non fore disparia.
Ergo quid in muro renitet nisi celsa potestas,
Qua tunc sublatus ipse fuit penitus?
Murus enim factus de saxis pluribus extat.
Sicut erat multis fultus hic asseculis.
Sed hic in summo murorum culmine stabat,
Quod multis unus dux fuerat positus;
Et quia salvari meruit tunc spiritus eius,
Inde ruens rectis constiterat pedibus.
Unde locus vester, quem fundans initiavit,
Ob hunc salvatum glorificat dominum.
Nec hoc dissimile est, quod posthaec ipse videbat,
Sed fore hunc visum edocet indubium.
Arbor enim, quae celsa satis fuerat sibi visa,
Ramis erectis, flore decora satis,

565 corus *B* 568 Sed *B corr. Pertz* 582 celsa *sic B* 588 Ne *B corr. Pez* 591 eum *B corr. Pertz* 609 fuer *B*

Inclita progenies eius propagoque celsa est,
Et mundo clara et domino placita.
Nam quod clara fuit mundo, flos prodigiabat;
Sed monstrat recta, quod domino placita.
In huius summo non stans, sed pendulus haesit,
Ipse quod ante potens fini erat attiguus.
Summus erat, quia nempe sui generis simul omnes
Vicit virtute, vicit honore quoque.
Pendulus adhaesit, quia iam nutare potestas
Vicina morte coeperat ipsa sua.
Huic erat attiguus ramus, quia proxima carne
Hathumod alma suis iuvit eum meritis.
Hic praeparvus erat, quoniam haec femina sexu
Non fuerat famae ambitiosa suae.
Hunc hic constringit manibus, quia plurima natae
Atque coancillis contulit ipse suis.
Hoc meritum, hoc est, quod eum iam iamque labantem
A casu plane eripuit duplici.
Nam quod nobilitas tulit aut terrena potestas,
Hoc elemosinae reddiderant variae.
Vos, quae his utimini, pariter cum coniuge digna
Ipsius sitis perpetuo memores.
Haec etenim, haec est, quae ramum prendere palmis,
Haec, quae elemosinas suasit ei varias.
Vos debitrices simul estis utrique parenti
Una cum cunctis, quas tenet ille locus,
Quem domino sanctisque suis dantes voluerunt
Cunctis communem affore per dominum.
Vos estis grex ille sacer, quem solvere grates
Vidit hic in somnis vir domino placitus.
Quicquid namque boni facitis, hoc ad hos remeabit,
Qui vobis illum rite dedere locum.
Praecipue tamen hoc ad hanc merito remeabit,
Quae vos nutrivit, quae simul instituit.
Quare de precibus pro hac quod poscitis, etsi
Ipsius ipse magis indigeam precibus,
Hoc vos nosse volo: ipsius, quoadusque superstans
Sum memor ipse mei, me memorem fieri.
Nec de corde meo sua cara recedit imago,
Vel cum dormito vel potius vigilo.
Denique cum vigilo, de hac vel penso loquorve;
Nocte mihi caram somnia dant faciem.
Nam quotiens somnus lassos obducit ocellos,
Protinus apparet, mox aliquid memorat.
Plurima sunt, sed de multis nunc ipse vel unum
Exempli causa dicere nempe volo.

631 *qui *B* 641 quicquit *B*

631 *cfr. supra v.* 429.

Iam sex transierant noctes et septima venit,
Postquam discessit iamque humata fuit.
Cum cubitum me vicina iam luce locassem,
Vidi me in vestro esse monasterio.
Ipsam vero loqui mecum de more videbam
Cum de nonnullis quae inciderant aliis,
Tum de regula item nostra totaque perinde
Vel vita nostra coenobiique statu.
Cumque mihi librum, si quem fortassis haberet,
Nostri propositi tunc peterem tribui,
Se habuisse quidem, sed iam non prorsus habere,
Te, Gerberg, istum dixit habere librum.
Qui mihi delatus parvus fuerat mihi visus,
Sed bene conscriptus et bene compositus
Et quo nil umquam vel cordi gratius esset
Aut ipso certe pulchrius intuitu.
Post ubi de somno laetus mox evigilassem.
Grata satis mihimet visio visa fuit.
Unde die facta mox ipsam fratribus ipse
Nostris exposui quidque foret retuli:
Te, Gerberg, abbatissam fore proque sorore
Vestri tenturam coenobii regimen.
Hoc etenim portendere regula nostra videtur:
Quam modo tu retines, ipsa prius tenuit;
Parva quidem, quia parvus adhuc grex vester habetur,
Sed bene conscripta ob pia facta tua.
Et vere, soror, ut dixi, nil pulchrius umquam
Et melius scriptum me recolo intuitum.
Quocirca licet et doleam et semper doliturus
Me sim vivente hanc obiisse cito:
Successisse tamen sanctae te gaudeo sanctam
Ipsique ut carne, sic comitem merito.
Nam quamvis alias quoque vobiscum fore constet,
Quae possent subdi non male huic oneri,
Te tamen et sophia simul et bonitate sciebam
Non iniure sibi optime substitui;
Ut siquidem carnis sibi iure propinqua fuisti,
Sic itidem meritis proxima tu fueras.
Denique te nunc nos eius gaudemus honore
Dudum condignam, tunc sibi discipulam,
Sed modo heredem dignam nihilominus eius
Sive ministerii sive pii meriti.
Quaeritur ergo in te, sacra femina, quaeritur in te
Affectus cordis limpidus ille sui;
Illius disciplinae quaedam quasi imago,
Eius virtutis quaeritur effigies;

658 discescit *B* 679 protendere *B corr. Pez* 680 Quem modu *B corr. Pez* 686 cite *B corr. Pez* 701 ymago *B*

668 *Gerberga post Hathumodae sororis mortem constituitur Gandeshemiae abbatissa.*

Quaeritur almificum meritum, mores reverendi,
Lingua perinde pia vitaque iure sacra;
Quaeritur ut generis causa, sic actibus ipsis,
Sicut in affectu, sic et in officio.
Vos etiam, sanctae ipsius dignaeque sorores,
Hanc matrem vestram excolite ut dominam.
Quamvis namque cluat vobis genus omnibus unum,
Attamen haec Christi est munere praeposita;
Christi electa loco Christique vicaria constat;
Christo vos agitis, quicquid ei facitis;
Christo facta sibi forsan iniuria fiet;
Christus honoratur, Christus in hac colitur.
Praeterea naturalem vestram quoque matrem
Omnibus omnimodis excolite obsequiis.
Hoc domini iussum, hoc vestrum nostis honorem,
Hoc nostis vestram affore gloriolam.

BERTHARII CARMINA.

De Berthario poeta Casinensi quidquid protulerunt hagiographi atque etiam historici, fabulae sunt fictae ac ne memoria quidem dignae; quarum loco pauca equidem ponam, sed certiora.

*1. Berthariu*s[1] *natione Langobardus*[2] *educatus est a Bassacio abbate Casinensi*[3]*, qui et ipse scribebat carmina*[4]*. Anno 846 Caietae pugnavit cum Saracenis*[5]*. Abbas successit*[6] *Bassacio magistro anno 848*[7]*. Minus certum est, quo anno a Ludovico II. imperatore veniam impetraverit pro cognato quodam rebelli*[8]*. Eundem imperatorem eiusque*

---

1) *Langobardicam nominis formam (cfr. Carolum Meyer Sprache und Sprachdenkmäler der Langobarden Patrisbrunnae 1877 pag. 299), quae est* Berthari, *ipse Bertharius eiusque aequales praetulisse videntur latinissanti formae, quam lectoris commodo consulturus ego non sprevi. Sic qui Chronicam Casinensem scripsit Berthario suppar, dixit cap. 1 (SS. Langobard. edd. Bethmann et Waitz pag. 468, 33)* domni Berthari abbatis, *cap. 4 (pag. 471, 20)* Berthari abba, *(cap. 13 pag. 475, 16)* Berthari abbas, *cap. 19 (pag. 478, 4)* Berthari abbas; *Iohannes VIII. papa item aequalis in epistola (ed. S. Loewenfeld Epistolarum pontificum Romanor. ineditar. Lipsiae 1885 pag. 24)* Bertari abbati, *idem in alia (ibid. pag. 27)* ad abbatem Bertari; *in codice Casinensi (infra c. I)* Versus *inscribuntur* domni Berthari abbatis. 2) *Chronica Casinensis cap. 13 (SS. Langobard. edd. Bethmann et Waitz pag. 475 16):* Berthari abbas condoluit super Hisembardum consanguineum sibi et gastaldium obsesse civitatis *i. e. Sanctae Agathae.* 3) *Chronic. Casinens. cap. 12. (pag. 474 33):* Bassacius abbas .... cuius quale quantumque fuit ... in ecclesiis studium ... et carmina illius nobis descripta resonant. huic successit in regimine Berthari sacerdos, eius discipulus, moribus et vita strenuus et omni bonitate conspicuus. 4) *Cfr. adn. 3.* 5) *Chronic. Casinens. cap. 12 (pag. 474 39)* quo modo totis viribus contra Saracenos in Gaietam dimicabit, nostra plenissime comperit aetas; *cfr. ib. cap. 6 (pag. 472) et Duemmler, Geschichte des Ostfränk. Reiches*[2] *I 304.* 6) *Cfr. supra adnotation. 3 et Chronic. Casinens. cap. 4 (pag. 471 21).* 7) *Calculi rationem proposui in Abhandlungen der K. bayer. Akademie I. Cl. XIX 2 pag. 359 sq. — Alia de Berthario abbate, si quae indicantur, tempora item coniectura sunt inventa. Atque in catalogo quidem abbatum Casinensium saec. XI. scripto (edd. Bethmann et Waitz pag. 489 21) quod legitur:* Bertharius abbas sedit annos 18 *(sic)* menses 7, *anni aut e Chronica Casinensi, in qua ad abbatiae finem non erant perducti, sunt translati aut, siquidem possunt esse translati etiam e Leone Ostiensi, error subest librarii vel adeo negligentia typographi. Ipse autem Leo, qui scribit* Bertharium sedisse annis 27 mensibus 7 *(SS. VII 577, 17) ab a. 856 (ibid. pag. 601 34; cfr. 602 sqq.) usque ad a. 883 (ib. pag. 610 17), annorum exordium eodem modo quo nos computarit: scilicet e Chronicae Casinens. cap. 12; id tamen erravit, quod credidit (cfr. SS. VII 601, 5) a Bassacio Ludovicum non prius esse vocatum, quam mortuus esset Lotharius. Ut nobis igitur, qui quidem scimus a. 848 Ludovicum in Italiam venisse, Bertharii Bassacii successoris regiminis initium repetendum est ex a. 848 vel 849, sic a Leone repetitum est ex a. 856 cum Ludovicum id ipsum temporis advenisse coniecisset. Annos autem illos XXVII finxit, ut Bertharius, iure posset dici cecidisse in strage monasterii, cfr. infra pag. 390 adn. 12.* 8) *Cfr. supra adn. 2; Muehlbacher Reg. 1182 q.*

uxorem Angelbergam a. 866 mense Iunio Casini honorifice suscepit[1]. *Insequenti anno mense Februario prope Casinum vidit Saracenorum praedationes*[2] *et pro monasterio Casinensi diploma obtinuit a Ludovico*[3]. *Eodem anno mense Augusto imperatores Beneventum comitatus sanctae Sophiae ibi perfecit oratorium*[4]. *Paparum adeo non erat amicus*[5], *ut a. 872*[6] *et 873 Iohannes VIII. talem in eo reprehenderet immodestiam, ut tantum non excommunicaret*[7]. *Tamen a. 882 mense Maio idem papa ipso Berthario petente, ut congregatio Casinensis* deserviret solummodo sanctae matri Romanae ecclesiae, *dicitur id Casinensibus concessisse*[8]. *Extra annorum ordinem de Berthario leguntur haec*[9]*:* Castelli sursum monitionem ipse ambiens: calicem ad honorem dei officium operatus est; civitatem[10] iuso fieri voluit et inchoabit.

2. De Bertharii vita praeter ea, quae modo enarravi, quod nihil habemus comperti, fit eo, quod Chronica Casinensis, testis locupletissima, obmutescit iam a. 867. Neque qui Bertharii fuit superstes Erchempertus monachus Casinensis quidquam eis addidit[11]*, ut iusto non videar audacior, si reiciam res postea a posterioribus pro re nata confictas*[12].

3. Ab iisdem, quid scriptorum reliquisset Bertharius, cum rectius possit esse indicatum ex ipsis scriniis Casinensibus, testimonia subdo Leonis et Petri monachorum Casinensium. Et quidem Leonis[13] *hoc:* codicem euangeliorum auro et gemmis optimis adornavit[14] . . . : qui etiam apprime litteratus[15] non nullos tractatus atque sermones nec non et versus in sanctorum laude composuit: cuius et Anticemenon de plurimis tam veteris quam novi testamenti questionibus hic habetur: aliquot etiam de arte grammatica libri[16] nec non et duo codices medicinales eius utique industria de innumeris remediorum utilitatibus hinc inde collecti[17]; versus quoque perplures ad Angelbergam Augustam aliosque amicos suos mira conscripti facundia[18]. *Inde Petrus*[19] *pauca addens de suo:*

---

1) *Cfr. Chronic. Casinens. cap. 4 (pag. 471 4) et Erchempert. cap. 32 (edd. Bethmann et Waitz pag. 246 43); Muehlbacher Reg. 1199 c.* 2) *Cfr. Chronic. Casinens. cap. 19 (pag. 478 4).* 3) *Cfr. Muehlbacher Reg. 1203 1204; Chronic. Casinens. cap. 12 (pag. 474 40):* quomodo suos dilexit commissos et quatenus pro ipsis decertavit, praecepta indicant coenobio facta imperatorum. 4) *Cfr. Chronic. Casinens. cap. 4 (pag. 471 20); Muehlbacher Reg. 1205 f.* 5) *De Hadriano II. cfr. Loewenfeldii epist. 45 l. c. pag. 24, de Iohanne adn. insequentem et Erchempert. cap. 47 (pag. 254 33).* 6) *Loewenfeldii ep. 45; Iaffé Reg. 2954.* 7) *Ibid. ep. 49 pag. 27 seq.; Iaffé Reg. 2981.* 8) *Iaffé Reg. 3381; de privilegii fide addubito.* 9) *Chronic. Casinens. cap. 12 (pag. 474 37).* 10) *'S. Germani' Peregrinius putat.* 11) *Bertharius ab eo appellatur cap. 47 (pag. 254 34)* abbas sagacissimus. 12) *Primus Leo Ostiensis I 44 (SS. VII 610) et Leonem nescio an secutus Iohannes monachus S. Vincentii ad Vulturnum (edd. Bethmann et Waitz pag. 251 sqq.) tradunt a. d. XI. (vel XIII.) Kal. Nov. 883 eum Casini monasterio incenso occisum esse a Saracenis. Quippe legerant aedes a Saracenis dirutas restaurasse Angelarium, qui successisset Berthario, neque invenerant ultra privilegium anni 882 quidquam de ipso. Sic sane non improbabiliter sibi fingere videbantur virum pugnacem (cfr. supra pag. 389) pro aris focisque mortem occubuisse in pugna.* 13) *I 33 (SS. VII 602 sq.).* 14) *Ad hunc codicem refero ea, quae leguntur in regula Casinensi codicis 175 pag. 531 (Biblioth. Casinens. IV 18; haec Mabilio in Annal. Ord. S. Bened. I 704 non edidit):* domnus abbas illum ante pectus deferat codicem quem Bertharius mirifice domino beatoque construxit Benedicto. 15) *Aratoris Actorum Apostolor. I 69—111 attulit in Sermone de S. Mathia ed. Tosti in Storia della badia di Montecassino*[2] *I 318.* 16) *Deperditi videntur esse; de Hilderici Casinensis monachi arte grammatica cfr. H. Keil De grammaticis quibusdam infimae aetatis commentat. Erlangae 1868 pag. 23.* 17) *Recte conicitur in Bibliothecae Casinensis tom. II (Casini 1875) pag. 366 Leonem respexisse ad codices Casinenses 97 (ib. pag. 355 sqq. et cfr. H. Koebert De Pseudo-Apulei herbar. medicaminib. Bairuttiae 1888) et 69 (ib. pag. 220 sqq.), cfr. Haeser Lehrbuch der Geschichte der Medicin I*[3] *615; etiam Dioscoridis liber nunc Monacensis (clm. 337 cfr. Romanische Forschungen ed. Vollmoeller I 49 sqq.) ultima ex origine videtur fuisse Casini neque octavo saeculo scriptus est, sed nono.* 18) *Cfr. infra pag. 391.* 19) *De viris illustrib. Casinensib. cap. 12 (ed. Fabricius in Bibliotheca ecclesiastic. Hamburgi 1718 pag. 170 sq.).*

scripsit non contemnenda opuscula, sed praecipua sunt illa, quae abbas iam constitutus edidit: de S. Luca euangelista sermonem[1], de B. Scholastica homiliam[2] descripsit: 'librum quoque difficillimum sententiarum tam veteris quam novi testamenti patravit ipsumque Anticemenon appellavit.' De vita autem et obitu ac miraculis sanctissimi Benedicti nec non 'ad Angelbergam Augustam aliosque suos amicos versus mirificos fecit.'

4. Ex Bertharii carminibus iis, quae Leo attulit et ex Leone Petrus, nusquam comparuerunt ea, quae cum Angelbergae Augustae aliisque amicis *scribunt misisse; supersunt, quos in Casinensi codice primus vidit Petrus.* versus de vita et obitu ac miraculis sanctissimi Benedicti. *Edidit eos Arnoldus Wion*[3] *e Congregatione Casinensi in Prosperi Martinengii Piorum quorundam poematum sylloge volumin. III. Romae 1590; repetierunt Wionis editionem Mabilio A. SS. saec. I 27, hagiographi non pauci, Migne Patrol. Lat. CXXVII 975. Ego praeter Wionem, qui potest adhibuisse aliud exemplum Casinense, codice Casinensi nunc Vaticano 1202 usus sum ab Augusto Mau diligentissime collato: qui codex*[4] *saec. XI. a manu Langobardica pulcherrime scriptus et picturis speciosissime ornatus versus exhibet a fol. XCIV*[r] *ad XCVIII*[r]. *Atque composuit eos Bertharius, dum abbas Casino praeest, ad verbum fere exprimens Gregorii Magni dialogum; legit etiam Pauli carmen de S. Benedicto*[5]*, Marci*[6] *aut non legit aut noluit imitari.*

5. De Anticemenon libris inter theologos multum ambigebatur[7]*, rectene a Leone positi essent inter opera Bertharii. Editi enim sunt et circumferuntur etiam Iuliani Toletani sub nomine. Et recte: nam a Samsone monasterii cuiusdam prope Cordubam siti abbate, qui et aequalis est Berthario et natus in patria Iuliani*[8]*, Iuliano adscribuntur. Sed omnis scrupulus quominus evelleretur, obstabat codex Casinensis 187 saec. IX. scriptus — alter enim Casinensis 30 et posterior est neque praebet scriptoris nomen —, cuius in fronte disertum pro Berthario testimonium hi versus videbantur exhibere:*

Bertharius, Christi iutus iuvamine sanctus
Presbiter hoc *(sic)* librum condere iussit amans.
Has bene scripturas satagis hinc discere sanctas,
Qui legis, explora, mystica queque tenet.
Posce piis precibus nec non super astra tonantem,
Ut famulo reddat premia digna suo.

1) *Prompsit ex codice Casinensi 138 pag. 28 (Bibl. Casinens. III pag. 253)* In sancti Lucae euangelistae sermo domini Bertharii abbatis; *incipit* Cum in divinis atque sacris uoluminibus, *sed monent Casinenses exstare eum in Alchrini Homiliario.* 2) *Cfr. cod. Casinensem 107 pag. 329 (Bibl. Casinens. II 464; vide ibid. IV 28 verba in lectionum indice* sanctae scolasticae commentum a berthario editum abbate) Omelia domini Bertharii abbatis de eadem lectione. Lectio sancti euangelii fratres charissimi; *sub Bedae nomine est edita ut recte dicunt Casinenses (cfr. quoque A. SS. Bolland. Octobr. IX 668); novit eam A. Mains cfr. Scriptorum veterum nov. collect. VI (Romae 1832) pag. 263 adn. 2 ex perretusto ut ait codice, est etiam in Vatic. 1202 saec. XI. cfr. Archivi nostri XII 224. Est praeterea* Sermo domni Bertharii abbatis *in cod. Casinensi 110 pag. 321 (Bibl. Casinens. III 40), quem edidit e. g. Tosti l. c. (cfr. Mai l. c.), et translatio S. Bartholomaei a Berthario (?) scripta in cod. Casinensi 139 (Bibl. Casinens. III 254); in eiusdem codicis pag. 327 (Bibl. Casinens. pag. 10) incipit* vita vel obitus S. Romani abbatis. Adest nobis dies. *quam primus Arnoldus Wion e Congregatione Casinensi in Ligni vitae partis I (Venetiis 1595) pag. 14 adiudicarerat Berthario; edita est a Bollandistis in Februar. III 153; in Casinensi quidem codice auctoris nomen non indicatur.* 3) *Cfr. Wionis Ligni vitae secundae partis (Venet. 1595) pag. 85.* 4) *Cfr. Archivi nostri XII 223 sq.* 5) *Ed. Duemmler in Poetar. Carol. I 36 sq.* 6) *Marci carmina primus edidit Wion apud Martinengium, repetierunt Mabilio et Mignius.* 7) *Cfr. Bolland. A. SS. Oct. IX (Bruxellis 1858) pag. 668 sq. et Bibliothec. Casinens. IV (Casini 1880) pag. 72 sqq.* 8) *Cfr. supra pag. 143.*

Postea quem abba servavit tempore longo
Et relegens semper doctus ab arte fuit.
Tu quoque, discipule, sollerti mente recurre
Illius ad scaedas discere recta. Vale.

At quis unquam existimare poterat tales versus esse scriptos et ab ipso Berthario et ut se librum composuisse profiteretur? Nam propter primum versum non solum necessario post mortem eius sunt scripti, sed etiam post sanctificationem, nimirum ut mihi videtur non ante aetatem Leonis[1]. *Neque ipsi Casinenses monachi, cum viritim pugnarent pro abbatis sui gloria, dissimulare volebant*[2] *versus esse adiectos codici saeculi noni saeculo undecimo. Immo addunt sub novicia scriptura haec verba prius scripta se deprehendisse:* Utilibus monitis prudens ac . . . egregie Landolfe dignissime custos[3]. *Igitur sic potius explicandum videtur, quo modo in Iuliani opus Bertharii irrepserit memoria: iusserat olim Berthārius Iuliani opus transscribi, quod offerret Landulfo, gastaldio ut videtur Capuano; cuius rei in prima codicis pagina legebatur testimonium, donec saeculo XI. Berthario interim ad magnam famam provecto monachi Casinenses veterem inscriptionem oblitterarent superscribendo novam de sancto viro adnotationem.*

6. Duo sunt de S. Scholastica carmina, alterum — Sponsa decora dei petit alta Scholastica caeli — *a primo Wione impressum a. 1590 in Martinengii voluminis III (v. pag. 391), alterum —* O benedicta soror Benedicti numine Christi — *ab eodem Wione in Ligni vitae partis II. pag. 47 a. 1595. Horum prius Duemmlerus*[4] *dixit esse Alberici, alterum Bertharii Baronius*[5]. *Aetatem tulerunt in codice Vaticano 1202 (cfr. pag. 391), sed neque addito poetae nomine et longo, quod aliis operibus expletur, dirempta intervallo. Cohaerent tamen inter se et composita sunt ab uno*[6]. *Nam in altero quod dicitur v. 20 sqq.:*

Versibus heroicis alias, castissima, laudes
Scripsimus ecce tibi versibus heroicis
. . . . . .
Scribere nunc superest natalem volucre penna,

ad prius id spectat atque in utroque Scholastica aeque audit Sponsa decora dei *(I 1; II 7). Imitatus autem est poeta, quisquis fuit, Pauli Diaconi de Benedicto versus serpentinos, quod quidem versuum genus*[7] *proposito Pauli exemplo in deliciis erat Casinensibus*[8]. *Deficiente igitur testimonio neque alterum neque utrumque carmen temere adscripserim Berthario.*

7. Inter spuria Bertharii opera habeo etiam carmen de Benedicto sapphico metro scriptum et per officii horas dispertitum, cuius prima stropha adponatur:

AD NOCTVRNAS.

Sancta lux, fratres, hodierna poscit
Guttura in sacros reseremus[9] hymnos,
Sic ut illisam bona vox per aedem
Laeta resultet.

---

1) *Cfr. supra pag. 390 adn. 12.* 2) *Biblioth. Casinens. IV l. c.* 3) *Versus nescio an sint a Berthario scripti et sic fere supplendi:*

Utilibus monitis prudens ac⟨cingere mentem⟩
Egregiē Landolf c⟨erta⟩ dignissime custos.

4) *Poet. Carol. I 30 adn. 7.* 5) *Cfr. Bethmann in Archivi nostri X 323.* 6) *Sensit hoc etiam Mabilio A. SS. saec. I 44 adn. b.* 7) *Varia eis nomina indiderunt praesertim posteriores* peracteriis, repercussivis *(Anzeiger für Kunde d. teutschen Vorzeit 1838 VII pag. 586),* catenatis *(Notices et extraits des ms. d. l. biblioth. impér. 1869 XXII 2, 452),* paractericis *(Anzeiger etc. Neue Folge 1872 XIX 120 et Berichte über die Verhandlungen d. Kgl. Sächsischen Gesellsch. d. Wissenschaften philol. hist. Classe 1871 XXIII 88), id genus aliis; cfr. Mayor et Lumby in Bedae editionis Cantabrigiensis 1881 pag. 353.* 8) *Cfr. Bibliothec. Casinens. II florileg. pag. 194.* 9) *Correxi,* personemus *Wion.*

Quo de carmine Wion, qui in Ligni vitae secundae partis pag. 85—100 principem eius editionem curavit: 'Alium' inquit 'MS. inueni in bibliotheca nostri S. Benedicti Mantuani, versu sapphico, per horas distinctum. Hic quamuis auctore in frontispicio careat: arbitror tamen eum esse quem Sanctus Bertharius Casinensis Abbas composuisse fertur; quem quidem in Monte Casino non uidi, sed eius nota a Domino Petro Villa de Canibus Messanensi, anno 1592 ad me cum aliis transmissa est, eo, qui sequitur, modo: "Versus S. Bertharij Abbatis Casinensis de uita S. Benedicti. Eiusdem Sapphicus, uel hymnus endecasyllabus ad eundem Patrem."' Sequuntur apud Wionem hymni strophae CXLVII.[1] *At vereor, ne id genus carmina Alphani episcopi Salernitani*[2] *quam Bertharii abbatis Casinensis aevo multo magis conveniant.*

Additamentum. Vixdum pagina 391 prelum reliquerat, cum a P. Ambrosio Mª Amelli, Congregationis Casinensis monacho doctissimo, per literas moneor rationem esse habendam quorundam codicum Casinensium, qui idem carmen, quod editurus essem Vaticano libro Wionisque editione solis usus, multo magis exhiberent integrum. Adiunxitque vir liberalissimus literis exemplum atque collationes. Statim perspexi textu a me constituto omnino esse abstinendum; cuius loco cum potius esse praebendum, qui propius abesset a Berthariani aevi barbarie. Attamen textus quoque interpolatus idemque iam typis descriptus conservari posse mihi videbatur, ut luculento exemplo illustraretur, quam non esset confidendum codicibus posteriore aetate Casini exaratis; in quibus, quicquid priores minus bene atque emendate posuerant, liberrime corrigendo sublatum est. Duo igitur proposui Bertharii versuum exempla: alterum quam proxime ad Bertharii manum accedens, alterum saeculo duodecimo — nam de Vaticani codicis aetate rectius nunc iudicatur — nescio utrum emendatum dicam an corruptum. Prioris exempli fundamentum est codex Casinensis n. I; in quo a. fol. 83 ad 88 Bertharii carmen legitur saeculo X. scriptum literis Langobardis, sed permultis locis a manu saeculi XII., quam ipsius esse Petri Diaconi putat Amellius, ita correctum, ut pristina scriptura prae novicia non possit legi. Quod damnum ut compensaretur, Amellius mihi adhibuit codicem Casinensem 453, qui quamquam saeculo XI. est exaratus, cum altero praeter locos in illo correctos plane congruit, his autem locis interpolationem nondum est passus. Codicis 453 lectionibus iis, quae codicis n. I lectionibus interpolatis praeferendae sunt, hos uncinos apposui]; codicis n. I lectiones interpolatas K voco; C est codex 453, ubi ab alterius codicis scriptura nondum interpolata recedit. Ex K eam interpolationem originem traxisse, quae altero exemplo repraesentatur, facile nunc intellegetur[3].

1) *Aliud atque Petri illius pro Bertario non exstat testimonium; errauit enim Domnus Riretius, cum diceret in Histoire litéraire de la France V 609: 'Parmi les pièces de vers sur S. Benoît du Mont-Cassin, qu'on a mises à la suite de sa vie en grec et en latin, qui a paru in 4° à Venise en 1723, outre le poëme précedent, on a encore imprimé sous le nom de notre pieux Abbé, neuf hymnes fort longues en vers saphiques, à l'honneur du même Saint . . On les a tirées de deux manuscrits de Sublac, où elles sont attribuées à Bertaire Abbé et Martyr.' Num in 'Vita Latino-Graeca S. P. Benedicti Venetiis 1723 apud Antonium Bortoli' carmen sapphicum iteratum est ex sola Wionis editione; et nota, quae est post pag. 126 de 'duobus codicibus MSS. Sublacensis Bibliothecae', non referenda est ad carminum textum, qui sequitur, sed spectat ad Gregorii, qui antecedit.* 2) *Carmen sapphicum de Benedicto* (Gemma caelestis pretiosa regis) *Gallus Morel Lat. Hymn. d. Mittelalt. 360 pag. 208 edidit e codice, ut dixit saeculi X., quod dubito num recte dixerit. Aliud de Benedicto carmen* (Christe sanctorum decus atque virtus), *quod ediderunt Daniel Thesaur. I n. CCLXXII pag. 265, Hagen Carmin. med. aeri XXXVI pag. 61 e codice Bernensi saec. X, Milchsack Hymn. et Sequentiar. I pag. 1, in Stephanum detortum Mone Hymn. 1165 III pag. 515, non sapphicum est, sed rhythmorum leges sequitur.* 3) *Non adhibui codicem quendam Casinensem saeculo XV. scriptum (signum eius non noui), qui ex K videtur fluxisse.*

VERSUS DOMNI BERTHARII ABBATIS DE MIRACULIS ALMI PATRIS BENEDICTI.

O Benedicte pater cunctis celeberrime terris, *Gregor. Dial. l. II.*
Qui in cęlo et in terra culmen honoris habes:
Te deus a puero conservans, caelitus atque
Instituit sanctum semper adesse patrem.
Tu via, tu ductor, pastor doctorque beate,
Instruis en cunctos scandere lucis iter.
Cunctaque tempsisti praeclarae dogmata Romae
Dans domini supplex colla beata iugo.
Nec non parentum tempsisti moenia sollers
Ob domini regnum, quod paradysus habet.
Tu precibus fractum iunxisti concite vasclum, c.
Obsequiis vestris quod pedagoga tulit.
En lapidis iactu confregit invidus hostis
Signaclum mensae, o Benedicte, tuae.
Sed solitum puero non cessit reddere gustum
Romanus frater, vir bonitate pius.
Prandia magna tibi conduntur namque sacerdos:
Nil habet in pastu servulus enne meus?
Surge, puer, domini transmissam excipe caenam,
Quam tibi dat paschae tempus amore dei.
Tetra nimis volucris quin gessit vultibus almis, c. 2
Quae quondam inspexit noxia mente puer.
Sentibus iniectus calcasti sordida carnis
Exuperans vulnus vulnere namque pio.
Frangitur arte crucis vitreum vas concite sanctae c. 3
Et placido vultu talia dicta dedit:
'Moribus en patrem vestris perquirite fratres,
Nam repetam montis frondea tecta celer.'
'Cur sacras laudes refugis, stultissime frater, c. 4
Et pueri tetri horrida terga teris?'
Percutit hunc virga tanto pro scelere pastor:
Laudibus in sanctis sic bene mente fuit.
Suscipe, sancte pater, pueros, quos gloria Romae
Ad tua transmisit limina mente pia.
Fratribus ipse tibi commissis mons dedit amnem, c. 5
Ut refluat cursim tempus in omne suum.
Excipe, Gothe, tuum repetens a gurgite ferrum c. 6
Et operis coeptum concite comple tui.
Assiduam Placidus dum ferret gurgitis amnem c. 7
Obsequiis sanctis, hunc tulit unda fluens.
'Perge celer, Maure frater, iuvamine Christi,
Ut repetas puerum, quem tenet unda procul.'

---

2 et *eras. C* et terra *K* 9 *non] ne *codd.* parentum] propinquorum *K* 11 concite] denique *K* 13 lividus *K* 15 cessat tradere *K* 18 enne] ecce *K* 19 suscipe *K* 21 volucris quę ingessit *K: fort. recte* 25 concite sanctę] eminus almę *K* 38 Et] En *K* concite comple] perfice gothe *K* 39 Assiduam *sic ex sil. C* amnem] undam *K* 41 iuuamine] sub nomine *K*

Iussa ferens sancta terrenis gressibus instar
Discipulus ecce scandit in amne viam.
Promptus ad omne malum dira cum mente sacerdos c. 8
Toxica quae gessit, sustulit ipse prius.
Corruit ecce miser celso cum culmine tecti
Corpore confractus Tartara regna tenens,
Talia discipulus dum confert nuncia cursim,
Concussit sancti intima corda patris.
Discipulo indixit, tali pro gaudio mortis
Ut lacrimis culpam defleat ipse suam.
'Tolle, corax, panem infectum felle colubri,
Quem nullus unquam cernere possit homo.'
Tu meritis sanctis falsorum templa deorum
Vertisti in laudem semper habenda dei.
Perfidus ille draco caelo demersus ab alto,
Cuius opus numquam perstat in orbe bonum,
Orrida nam semper depromens verba malignus
In famulum Christi talia dicta dedit:
'Quid, Maledicte, tibi gessi? — nam non: Benedicte.
Quid me persequeris nocte dieque simul?'
Stat lapis immobilis gravi prae pondere fixus, c. 9
Quo residens hostis impius arte premit:
Tollitur ecce lapis Benedicti concite iussu:
'Siste procul, sessor: nil tua iura valent.'
Falsa vorax flamma conscendens tecta culinae, c. 10
Adveniens pastor — falsitas omnis abest.
Atterit en pueri parietis confractio membra, c. 11
Ad operis coeptum iussit adire pater.
'Prandia multigeno retinens nunc ventre lyeo, c. 12
Non mihi clam sistunt fraudibus acta tuis.'
Hospes adest simplex, quem fallit callidus hostis; c. 13
Mollibus in pratis prandia falsa dedit.
Arguit hunc pastor tali pro scelere sanctus:
Et veniam culpae expetit ipse suae.
Veste comes splendens fraudenter Riggo tyranni, c. 14
'Non tua sunt,' inquit 'quae tua dorsa gerunt.
Totila rex veniens prostrato corpore supplex c. 15
Praescivit vitae commoda cuncta suae.
'Bis quinis annis retinebis culmina regni;
Mors tibi succedit: moribus esto pius.'
Desinit in factis extunc fervescere mente,
Blanditius vixit tempora data sibi.
Excole, Roma, tuo vatem de germine ductum,
Qui tua per saecla moenia salva monet:
'Turbinibus multis quassaris, fluctibus atque;
Nullus adest hostis, qui tua septa petat.'

51 tali pro gaudia mortis] ob talis gaudia mortis *K* 53 Panem tolle corax *K* 54 Unquam quem nullus *K* 65 concite iussu] ore beati *K* 69 parietis confractio] muralis fractio *K* 70 Ad (*fortasse pro* At) operis coeptum] Ast opus hunc ceptum *K* 71 retines *K* 72 michi *et sic semper codd.* 73 Hospes *interpolati*] Sospes *codd. (!)* 75 scelere] crimine *K* 84 Blanditius] Blandior et *K*

'Non carnis escam, non sacri ordinis umquam c. 16
Excipias quaestum, clerice: salvus eris.'
Fraudis amicus adest, repetit vas perditus olim.
Ut vatis sanctus dixerat ore prius.
'Quaeque piis monachis congessi munere Christi, c. 17
Iudicio domini perdita cuncta manent.
Vix potui precibus dominum pulsare beatis,
Ut animas fratrum abderet ipse deus.'
Nam gens adveniens Bardorum tempore noctis,
Omnia vastantes cuncta tulere simul.
Aeterni regis salvati munere fratres,
Perstitit illaesa concio sancta simul.
Vas retinens serpens transmissum munere fratris, c. 18
Ammonet, ut sollers vas retinere queat.
'Mappula testis adest, retines quam pectore, frater; c. 19
Cuncta procul sistant noxia, cessa, tibi.'
'Non mihi clam sistunt, retines quae mente superba c. 20
Corda maligna gerens: concite siste procul.'
Fratribus en nullus consistit panis in antris: c. 21
Cras pietate dei horrea plena manent.
Sacra monachorum satagens dum condere septa, c. 22
Per somnium instans condere monstrat opus.
Redduntur tumulis, semper quae more sorores c. 23
In famulos Christi noxia verba dabant.
Parvulus namque puer dum tecta requirit c. 24
Iniussus pergens, lapsus ad ima ruit.
Cuius non potuit corpus retinere sepulcrum,
Hunc domini corpus post sociavit humo.
Ore patens anguis medio stat calle malignus, c. 25
Quem cernens frater ad pia septa redit;
Et repetens cursim Benedicti ad culmina sancti
Promeruit semper vivere mente deo.
Rusticus ecce venit variato corpore perstans: c. 26
Abscessit sospes glorificando deum.
Aurea dona tibi funduntur caelitus ecce, c. 27
Ut habeat poscens munera sancta tua.
Vas vitreum iussit montis per concava mergi; c. 28
Vas precibus implens iutus ab ethre pater. c. 29
'Quo properas cursim medicorum more, satelles?' c. 30
'Pestiferum mixtum fratribus addo tuis.'
Rusticus ecce venit constrictus vinculo Zallae: c. 31
Intuitu sancto stat resolutus homo.
Dextera sancta senem perculsum daemonis ictu,
Salvavit fratrem mox pietate dei.

---

89 non] sed nec *K* 91 vas perditus] quem liquerat *K* 92 vates *K* 93 Quę que piis] omnia quę *K* 96 animas] deus *(an* dominus *?) K* deus] animas *K* 106 concitus ito *K* 109 monasterii *K* dum condere] disponere *K* 110 Instans per somnum *K* 111 que *CK* 113 Patria namque *K* requirit anhele *K* 116 *an* *compos? 129 vinculo zallę] brachia loris *K*

Postulat orbatus, animam ut corpori reddat: c. 32
Surrexit infans perdita morte celer.
Sacra soror precibus diffudit caelitus imbrem: c. 33
Pastor adest pernox corda beata monens.
Sanctorum animas caelum conscendere cernit c. 35
Angelicis ulnis corde precando deum.
Testis adest ospes Servandus nomine iustus,
Luminis en partem cernit et ipse simul.
Totus adest orbis collectus solis ad instar
Tempore sub noctis visibus, alme, tuis.
Regula namque tua magno moderamine compta c. 36
Corda monens fratrum, ut pia dicta colant,
Quos tua prex sancta iugiter transmittit ad aethra,
Consocians sanctis hos sine fine choris.
Flat domini famulus animam cum laudibus almis c. 37
Angelicis ulnis vectus ad astra poli.
Pallia sternuntur divino lumine mixta,
In quibus ascendit ad pia regna pater.
Congaudens sanctus frater de morte sororis
Exequiis sanctis hanc tumulare monet.
Aurea sanctorum retinet nunc arca piorum
Pignora, quae terris iunxit et aethre deus.
Perdita mente manens mulier per devia scandens, c. 38
Quam bene salvavit zetula sancta patris.
Plurima signa tibi concessit Christus ab astris,
O pater insignis, modo quę lingua silet.
Sed tua quis, doctor, mundi per climata perstat,
Qui tua facta pia pangere rite queat?
Quaeque tuis famulis monstrasti, vultibus almis
Tu prius implesti, semper in orbe pater?
Atque micant sancta signorum facta priorum,
Temporibus istis gesta beata simul.
Nam veniens ospes Germano germine cretus —
Andreas languens nomine dictus erat,
Corpore confractus matris a viscere perstans,
Qui nullis umquam gressibus ire valet —
Terra tenus pergens devota mente misellus
Ad tua conscendit limina sancta, pater.
At ubi promeruit sanctum conscendere templum,
Quo tua per saecla pignora sancta manent,
Extimplo meruit totus consistere sospes,
Vocibus et celsis personat ore deum.
Alter adest validae constrictus funere pestis,
Serpentem gestans ventris in arce sui.

133 ut corpori reddat] quo reddat in artus *K* 134 perdita morte celer] redditur atque patri *K*
158 quę modo *K*: *fort. recte* 163 *an* *Utque? 169 Terra tenus] Rependo *K* 172 pignera *K*

175 *cfr. miraculum in Chronic. Casinens. (edd. Bethmann et Waitz pag.* 476, 13*) ad a. 860 narratum.*

Nocte dieque miser spectabat funera mortis,
Obstaculum nullum nec medicina dabat;
Concite sed scandens pietatis munera poscens
Ad tua conscendit limina sancta, pater:
Evomuit anguem, carpsit qui viscera leto,
Perstitit incolumis hinc pietate dei.
David alter erat, genuit quem Cymbria tellus,
Corpore contractus, orrida membra gerens:
At ubi sancta tua calcavit septa, beate,
Concite salvatus semper in orbe fuit.

PRECATIO PRO SE ET ALIIS.

Eia, pater sancte, tanta qui gloria fulgis
Sedibus in superis, Christi et pietate coruscas,
Esto tuis famulis custos doctorque per aevum,
Ne lupus insidians nec hostis pestifer umquam
De grege tollat ovem, retines quam iure beato.
Meque tuum famulum commendo Berthari supplex,
Ductus amore tuo parvum qui carmine compsi.
Tu quoque cunctipotens, salvas qui cuncta potenter,
Qui caelum terramque regis per saecula, Christe,
Ipse tuis famulis veniam per saecula cuncta,
Ut tua salvati consistant gratia semper,
Post capiant nec non paradysi gaudia sancta
Et tribuat Christus sanctas sine fine coronas. Amen.

EIUSDEM CARMINIS EXEMPLUM INTERPOLATUM.

VERSUS DOMNI BERTHARI ABBATIS.

O Benedicte pater cunctis celeberrime terris,
Qui confessorum culmen honoris habes:
Te deus a puero delegit caelitus atque
Instituit sancti germinis esse patrem.
Tu via, tu ductor, tu pastor, doctor eorum,
Qui spretis terris caelica regna petunt.
Tu studiis spretis orbis dominam fugis urbem
Et domini subdis mitia colla iugo. —
Tu precibus vasis solidas fragmenta dirempti,
Obsequiis vestris quod pedagoga tulit. —
Aes lapidis iactu confregit lividus hostis,
Signa dabat mensae quod, Benedicte, tuae;
Sed minime solitam tibi tradere desinit escam
Romanus furtum surripiendo pium. —
Aptarat paschae sibi prandia magna sacerdos,
Sed tibi cum dapibus destinat hunc dominus. —

178 Obstaculum *sic codd.* 179 Concitus hic *K* 181 anguem] colubrum *K* leto *et sic aliquoties* ę *pro* e *C* 185 Ast *K et ex sil. C* 186 Mox hic saluatus *K* *in titulo* et pro aliis *K* 187 Euge *K* tanto qui munere fulges *K* 191 quam *sic codd.* 193 parvum *sic*] parvo quem *K* 196 Ipse duis *coni. Weyman* cuncta] prœsta *K* 197 Consistantque tuo salvati munere semper *K*

¶ 11 Es *(et raro aut* e *pro* ae *aut* ę *pro* e*)* *V*

Tetra nimis volucris se vultibus ingerit almis
Et visa quondam cor cremat in specie;
Sed spinis recubans, stimulis et punctus earum,
Exuperas vulnus ilico vulneribus. —
Frangitur arte crucis vas, virus quo latitabat.
Cum signat tanti dextera sancta patris. —
Quem puer a sanctis precibus niger eliciebat,
Virga patris sistit, at puer ater abit. —
Suscipe, sancte pater, pueros, quos gloria Romae
Ad tua transmisit limina mente pia. —
Fratribus ipse tibi commissis mons dedit amnem;
Rupe latex exit, cum rogitas dominum. —
Ferrum, dum vepres resecat Gothus, insilit undis,
Sed repetit manicam mox, ubi tinguis aqua. —
Assiduam Placidus dum ferret gurgitis undam
Obsequiis sanctis, hunc tulit unda fluens.
'Pergito, Maure, celer' pater ilico providus inquit,
'Iam trahit unda laci praecipitem puerum.'
Iussa ferens properat super undas atque recurrit
Erepto puero ceu per humum gradiens. —
Promptus ad omne malum dira cum mente sacerdos
Toxica quae misit, sustulit ipse prius.
Corruit ecce miser collapsi culmine tecti,
Corpore confractus Tartara seva petit.
Talia discipulus dum perfert nuncia cursim,
Concussit sancti intima corda patris.
Cui pater indixit ob talis gaudia mortis,
Ut lacrimis culpam defleat ipse suam.
Panem tollit avis, quo virus texerat ille,
Abdit, ubi nullus cernere possit homo. —
Tu meritis almis falsorum templa deorum
Vertisti in laudem, sancte, decusque dei.
Perfidus ille draco caelo demersus ab alto
In famulum Christi talia dicta dabat:
'Quid, Maledicte, tibi mecum est? quid, non Benedicte?
Quid me persequeris? quid mea iura rapis?' —
Stat lapis immotus nimio prae pondere fixus,
Quem residens hostis impius ille premit;
Tollitur at subito Benedicti voce beati,
Itque procul sessor. — Postmodo flamma vorax
Fratribus est falso comburere visa culinam:
At pater ut venit, visio falsa fugit. —
Attritus puer est murali mole peremptus;
Suscitat hunc et opus iussit adire pater. —
Non licitis domibus sumpserunt prandia fratres;
Absens ipse videt, arguit et nimium. —
Hospes adest simplex, quem cepit calle viator,
Mollibus in pratis prandia quo facerent.

18 cor cremat] concremat *Wion III pag.* 238 20 *et* 33 illico *Wion* 28 Rupe latex exit] Rupe — ex *in l. r. V*

Arguit hunc pastor tali pro crimine sanctus:
Mox veniam culpae expetit ille suae. —
Veste venit splendens fraudantis Riggo tyranni:
'Non tua sunt,' inquit 'quae tua dorsa gerunt.' —
Totila rex veniens prostrato corpore supplex
Praescivit vitae commoda cuncta suae.
'Bis quinis annis retinebis culmina regni;
Mors his succedet: moribus esto pius.'
Desinit in factis extunc existere sevus,
Blandior et vixit tempora data sibi. —
Excole, Roma, tuo vatem de dogmate doctum,
Qui tua per saeclum moenia salva canit:
'Turbinibus multis quassaberis atque coruscis;
Hostis nullus erit, qui tua septa ruat.' —
'Non escam carnis, sed nec sacri ordinis unquam
Excipias quaestum, clerice: salvus eris'.
Haec ubi contempsit, repetit, quem liquerat olim,
Ut vates sanctus dixerat, ille malus. —
'Omnia, quae monachis congessi munere Christi,
Gentibus arbitrio tradita sunt domini.
Vix potui precibus dominum exorare supernum,
Ut mihi vel fratrum cederet ipse animas':
Post Longobardi venientes tempore noctis
Cetera vastantes cuncta tulere simul;
Aeterni regis salvati munere fratres,
Illo nec ledi de grege quis potuit. —
'Vas retinet serpens absconsum tramite, fili.
Admoneo, ut solers vergere mox studeas.' —
'Mappula testis adest, retines quam pectore, frater.
Cur ingressa tuum nequitia est gremium?' —
Non clam patre manent, quae volvit mente superba
Praebens cenanti luminis officium. —
'Fratres, en hodie nullus est panis in archis;
Cras pietate dei copia panis erit.' —
His, sacra coenobii satagunt qui ponere septa,
Astans per somnum condere monstrat opus. —
Redduntur tumulis per eum, quae more sorores
In famulum Christi noxia verba dabant. —
Patria namque puer dum tecta requirit anhele
Iniussus pergens, mortuus est inibi.
Huius non potuit corpus retinere sepulcrum,
Sed domini famulus id sociavit humo. —
Ore patens anguis medio stat calle malignus.
Quem cernens frater ad pia septa redit. —
Rusticus advèniens variato corpore lepra
Abscessit sospes glorificando deum. —

72 hiis *Wion* 74 dicta *Wion* 86 michi *V* 87 longobardi *sic V* 90 nec ledi de *in ras. V* 92 sollers *Wion* studeas *in ras. V* 99 Iis *V corr. hagiographus quidam* 100 somnium *corr. V* 103 nanque *V*

Aurea dona patri funduntur caelitus almo,
Ut poscens habeat, debita quo redigat. —
Vas vitreum montis per saxa patentia mersum
Illesum perstat omne tenens oleum. —
Post dominum rogitans dolium complevit olivo,
Ante quod hoc penitus exstiterat vacuum. —
'Quo properas, Sathana, medicorum more paratus?'
'Vado, tuis potum fratribus ut tribuam.'
Dextera sancta senem mox illo daemone captum
Salvavit patris, depulit et Sathanam. —
Rusticus adveniens constrictus brachia loris
Ad primum sancti solvitur intuitum. —
Postulat orbatus reddi sibi pignus ademptum:
Cumque rogat sanctus, vita redit puero. —
Sacra soror precibus diffundens caelitus imbrem
Invitum secum nocte patrem retinet. —
Post triduum frater gaudens de morte sororis
Hanc tumulat proprio protinus in tumulo.
Unica sanctorum retinet nunc arca duorum
Pignera, quos terris iunxit et ethre deus. —
Sanctorum hic animas ad caeli gaudia cernit
Angelicis ulnis hoc per inane vehi.
Totus adest orbis collectus solis ad instar
Tempore sub noctis visibus, alme, tuis.
Testis adest meriti, Servandus nomine, magni;
Lucis enim partem cernit et ipse simul. —
Regula, sancte pater, multos tua mittit ad ethram
Consocians sanctis hos super astra choris. —
Flans domini famulus animam cum laudibus almis
Mirifica scala scandit ad astra poli.
Pallia sternuntur divino lumine mixta,
Qua sacer ascendit ad sacra regna pater. —
Perdita mente manens mulier per devia scandens,
Huius, salva fuit, cum specus introiit. —
Plurima signa tibi concessit gratia Christi,
O pater insignis, quae modo nemo sciat.
Sed quae noscuntur mundi per climata, quisnam,
Ut tua facta decet, pangere rite queat?
Quaeve micant hodie signorum facta priorum
Temporibus nostris gesta tuis meritis?
Andreas etenim Germano germine cretus
Rectis non umquam gressibus ire valens,
Mox ubi promeruit tua limina tangere templi.
Extemplo sospes dante fuit domino.
Alter serpentem gestans in ventre latentem,
Obstaclum nullum cui medicina dabat,

124 cum rogitat *Wion* 129 arca *ex sil. V* 130 terris iunxit et ethre deus *V*] aethrae iunxit humoque deus *Wion* 147 quae noscuntur] uę noscuntur *in l. r. V* per mundi climata *Wion* 153 ubi] ut *Wion* 156 obstaclum] clum *in l. r. V*

Concitus huc scandens, pietatis munera poscens
Ad tua pervenit limina sancta, pater.
Evomito colubro postquam tua limina scandit,
Perstitit incolumis hic pietate dei.
Corpore contractus, genuit quem Cymbrica tellus,
Erigitur templi David in aede tui.

Eia, sancte pater, tanto qui lumine praestas,
Sedibus in superis Christi pietate coruscus,
Esto tuis famulis custos doctorque per evum,
Ne lupus insidians, hostis ne pestifer unquam
De grege tollat ovem, proprio quem iure retentas.
Berthariumque tuum famulum me protege, serva,
Ductus amore tuo qui carmina vilia prompsi.
Hoc, deus omnipotens, salvos qui vis fore cunctos,
Qui caelum terramque regis per saecula, Christe,
Des petimus nec non paradisi gaudia nobis,
Omnibus et veras tribuas sine fine coronas. Amen.

157 huc] *in l. r. V* 158 peruẽnit *in l. r. V* 161 cỹbrica] bric *in l. r. V* 163 sancte] beate *Wion* 164 Christi] tanta *Wion* 168 Bertariumque *V*

CARMINA DE LUDOVICO II. IMPERATORE.

Perplexo editionis cursu iam in Italiae oram delati consistamus paululum, ut de Ludovico II. imperatore carmina exponamus duo, alterum rhythmum volgarem atque horridum, alterum doctum perpolitumque poema.

1. Rhythmum abecedarium, quem in imperatore milites Id. Aug. 871 Beneventi capto et a. d. XV. Kal. Oct. dimisso in triviis decantabant, primus ex codice Veronensi XC (85) saec. IX. ex. scripto (V), ubi legitur fol. 76 sq., in Antiquitatibus Italicis III 711 sq. Mediolani 1740 emisit Muratorius atque commentario illustravit non indocto[1]*; iterum edidit Edélestandus du Méril in Poesecs popularis reliquiis pag. 264 sqq. Parisiis 1843, sed rhythmorum lege*[2] *ut illis temporibus parum perspecta pravis coniecturis tamquam mole obrutum. Ipse carmen admodum corruptum, sicut in codice exhibetur ab Ernesto Duemmler*[3] *denuo excusso, repraesento textu, in apparatu modeste propono remedia.*

2. Sequitur epitaphium Ludovici prid. Id. Aug. 875 in finibus Brixianis mortui et sepulti a. d. XIX. Kal. Sept. eodem anno Mediolani in S. Ambrosii basilica[4]*, ubi versus adhuc extant lapidi insculpti. Descripserunt inde et ediderunt multi: primum parum accurate qui anthologiam carminum recentiorum condidit in codice Parisino 7972 saeculo, ut ferunt, nono exeunti scripto; tum anno 1508 Alciatus*[5]*, qui lapidem adhibuit, anthologia non usus est; tum alii, quos enumerare*[6] *et longum est et inutile; novissime Forcella*[7]*. Mihi versus ad lapidem tam curiose contulit Iosephus Fumagalli bibliothecarius Mediolanensis, ut nunc et plene constet de eorum lectione et mittenda fuerit priorum indiligentia. Subnoto tamen et ex textu a Mommseno*[8] *constituto Alciati (Alc.) et ex Holderi schedis*[9] *anthologiae illius (P) discrepantias, ut ipse lector de Alciati ratione possit iudicare; multum enim interest scire, anthologiasne is an lapides adhibuerit.*

1) *Muratorii editionem Mignius repetivit Patrol. tom. CLI.* 2) *De hoc rhythmorum genere cfr. Guilelmi Meyer Spirensis De Antichristo pag. 80 sqq., Traube Karoling. Dichtung. pag. 114 sqq.* 3) *Cfr. N. A. IV 152 sqq.* 4) *Cfr. Duemmler Gesch. d. ostfr. Reich.*[2] *II 386 adn. 3, Muehlbacher Reg. 1240 a. Posterioris aevi poetae attribuerem epitaphium (ut Bernardo presbytero Mediolanensi, qui Ansperti epitaphium apud Ferrarium Monum. di S. Ambrogio pag. 151 aut fallor aut aliquanto post eius mortem inscalpsit), nisi codicis Parisini testimonium obstare videretur, quem ferunt scriptum esse saeculo IX. ex.* 5) *Cfr. de Rossi Inscr. Christ. II 1 pag. 183, qui Alciatum in describendo epitaphio sylloge quadam usum esse contendit.* 6) *Cfr. N. A. IV 527.* 7) *Iscrizioni delle chiese . . . di Milano (Mediolani 1890) vol. III pag. 201 n. 267.* 8) *CIL. V 2 pag. 618 et 623.* 9) *N. A. I 414.*

I.

1. Audite, omnes fines terre, errore cum tristitia,
quale scelus fuid factum Benevento civitas:
Lhuduicum compreenderunt sancto pio Augusto.

2. Beneventani se adunarunt ad unum consilium,
Adelferio loquebatur et dicebant principi:
'si nos eum vivum dimitemus, certe nos peribimus.

3. Celus magnum praeparavit in istam provintiam,
regnum nostrum nobis tollit, nos habet pro nihilum,
plures mala nobis fecit: rectum est ut moriad.'

4. Deposuerunt sancto pio de suo palatio;
Adelferio illum ducebat usque ad pretorium.
ille vero gade visum tamquam ad martirium.

5. Exierunt sado et saducto inoviabant imperio;
ete ipse sancte pius incipiebat dicere:
'tamquam ad latronem venistis cum gladiis et fustibus.

6. Fuid iam namque tempus, vos allevavit in omnibus;
modo vero surrexistis adversum me consilium:
nescio pro quid causam vultis me occidere.

7. Generacio crudelis veni interficere,
ecclesieque sanctis dei venio diligere,
sanguine veni vindicare, quod super terram fusus est.'

8. Kalidus ille temtator ratum adque nomine
coronam imperii sibi in caput ponet et dicebat populo:
'ecce sumus imperator, possum vobis regere.'

[I.] 1, 1 *an* orrore (horrore *Murat.*)? 2, 3 eum **glossa est* 4, 3 *an* *gaudiosum? 5, 1 *an* *Exierunt et Saugdan obviabant imperio? 5, 2 *an* *et en? incipiebat *V* 6, 1 *versus propter monosyllabum ante caesuram positum male habet neque attrectandus est* 6, 3 *an* *quidnam? 8, 1 ratum adque] *an* *Saugdanque? *cfr.* 5, 1 8, 2 imperii **glossa est* ponet et] *an* *ponens?

[I.] *Rhythmus cantari coeptus est post a. d. XV. Kal. Oct.* 871; *de rebus in eo narratis cfr. Muehlbacher Reg.* 467 *sq.* 1, 1 Audite omnes *multorum omnis aevi rhythmorum initium est, quo imitabantur Psalmum* 42; *cfr. Ulixis Chevalier Repertorium hymnologicum I pag.* 91 *sq., in ipso codice Veronensi f.* 2^{v} *legitur:* Versum de natale domini. Audite omnes versum verum magnum (*N. A. IV pag.* 152). 2, 2 *Adelferio is est, de quo Catalogus regum Langob. et Ital. apud Bethmannum et Waitz pag.* 502, 41: Anno autem regni sui XVIII. perrexit *(Ludovicus II.)* Beneventum et occupavit eam seu etiam comprehendit Seldanum regem paganorum et princeps christianorum Dalferi et Adelchis qui eam possidebant. 3, 1 Celus *pro* Scelus *propter abecedarii rationem.* 4, 2 pretorium *cfr. Matth.* 27, 27. 5, 1 *Omnino non potest dubitari — neque pridem dubitarit Muratorius —, quin Saracenorum sultani mentio sub corruptis verbis lateat; cfr.* 8, 1. *Et sive verum id fuit sive inani rumore confictum, iam tunc temporis* Kalidus ille temptator *Beneventanis principibus, a quibus captus tenebatur, persuasisse putabatur, ut imperatorem comprehenderent, quo facto ipse fieret imperator: cfr. Muehlbacher l. c. et Duemmler Gesch. d. ostfr. Reich.*^{2} *II* 272 *adn.* 6. 5, 3 *Matth.* 26, 55.

9. Leto animo habebat de illo que fecerat,
a demonio vexatur, ad terram ceciderat:
exierunt multe turme videre mirabilia.

10. Magnus dominus Iesus Christus iudicavit iudicium:
multa gens paganorum exit in Calabria,
super Salerno pervenerunt possidere civitas.

11. Iuratum est ad sancte dei reliquie
ipse regnum defendendum et alium requirere.

II.

† D P M †

HIC CVBAT AETERNI HLVDVVI
CVS CAESAR HONORIS
AEQVIPERET CVIVS NVLLA THALIA DECVS
NAM NE PRIMA DIES REGNO SOLIOQ· VACARET
HESPERIE GENITO SCEPTRA RELIQVIT AVVS
QVAM SIC PACIFICO SIC FORTI PECTORE REXIT
VT PVERVM BREVITAS VINCERET ACTA SENEM
INGENIVM MIRERNE FIDEM CVLTVSVE SACRORVM
AMBIGO VIRTVTIS AN PIETATIS OPVS
HINC VBI FIRMA VIRVM MVNDO PRODVXERAT AETAS
IMPERII NOMEN SVBDITA ROMA DEDIT
ET SARACENORVM CREBRAS PERPESSA SECVRES
LIBERA TRANQVILLAM VEXIT VT ANTE TOGAM
CAESAR ERAT CAELO POPVLVS NON CAESARE DIGNVS
COMPOSVERE BREVI STAMINA FATA DIES
NVNC OBITVM LVGES INFELIX ROMA PATRONVM
OMNE SIMVL LATIVM GALLIA TOTA DEHINC
PARCITE IAM VIVVS MERVIT HAEC PRAEMIA GAVDET
SPIRITVS IN CAELIS CORPORIS EXTAT HONOS

10, 2 *an* *Agarenorum? 11, 1 *an* *(martirum) reliquie? 11, 2 et alium] *an* *et talionem? [II.] Epitaphium *(notis om.) P sine ullo titulo Alc.* 1 Hludvicus *Alc.* 2 Aequiparet *P* Aequiperat *Alc.* 3 NAMNE *lapis* 4 Hesperiae *Alc.* 6 SENĒ *lapis* 7 mirerue *P* 8 hopus *P* 9 Hunc *Alc.* VIRV M̄ *lapis* 11 crebras *om. P* secures nc. nc. *P* 12 tramquillam *P* 14 stamine *e coniectura fort. recta Alc.* die *e coniectura certe falsa P* 15 luces *P* PATRONV̄ *lapis* 17 Partite *P* nam *PAlc.* 18 excitat onos *P* OLIM IN PRESBYTERI PARIETE AD LATVS ALTARIS *alius lapicida subscripsit*

10, 2 *cfr. Muehlbacher l. c.* 11, 1 *Hincmar. annal. ad a.* 871 (*ed. Waitz pag.* 118): iuravit autem . . . quia numquam vel nusquam pro eadem causa ullam vindictam (*talionem *Rhythm.*) aut per se aut per quemcumque de ipsa causa erga se perpetrata requireret et numquam cum hoste in Beneventanam terram intraret (ipse, *i. e.* ipsi, regnum defendendum *Rhythm.*), [II.] *Epitaphium post a. d. XIX. Kal. Sept.* 875 *compositum est.* 9 *Barmannus comparat Ecl. IV*, 37.

HINCMARI CARMINA.

De Hincmari archiepiscopi Remensis vita ab aliis[1] *luculenter est expositum; reliquum est, ut accuratius dicatur de eius carminibus.*

1. Periit, ut supra[2] *est expositum carmen Audrado Modico ante annum 845 inscriptum, quod erat* De fonte vitae.

2. Longius repetendum est, quid mihi de eo videatur, quod secundo loco editur. In tribus enim homiliariis Casinensibus — in codice saec. X. nunc Matritensi[3] *B 3 (fol. 179*[v]*), in codice saec. X/XI. Casinensi*[4] *CIX (pag. 260), in codice saec. XI. Casinensi*[5] *CII (pag. 421) — et in codice saec. X. Vercellensi*[6] *47 legitur subiunctum Pseudo-Hieronymi de assumptione Mariae homiliae*[7] *carmen Hincmari, quo dicit se dedicasse Mariae* parvum libellum, *qui eius* teneret gesta. *Similis est codex saec. X. Casinensis*[8] *C, qui deficiente homilia pag. 205 versus ad v. 72 et pag. 201* subnexionem *continet, et codex 'antiquus' Vaticanus ceterum non notus, ex quo A. Maius in Auctorum classicorum V 452 Romae 1833 primus totum carmen edidit. Qui codices ad idem omnes redeunt exemplum, scilicet Hincmari opus illud, de quo Flodoardus*[9] *narrans refectionem ecclesiae Remensis ab Hincmaro a. 845 coeptam dicit:* libellum quoque de ortu sanctae dei genitricis Mariae, sed et sermonem beati Ieronimi de ipsius dominae assumptione scribi fecit et tabulis eburneis auroque vestitis munivit. *De eodem opere anno 868*[10] *controversia mota est, quam rem Flodoardus*[11] *his verbis persequitur: scripsit Hincmarus Odoni episcopo*

---

1) *Qui nuperrime de Hincmaro doctum librum edidit Heinricus Schroers (Friburgi 1884) — quem ad librum hic semel delegasse sufficerit —, in eo is capite (pag. 466 sqq.), quo quae veterum scripta Hincmarus legerit percenset, quot verba tot fere errores posuit. E quibus quaedam subicimus correctiora: legerat Hincmarus* puer *ut ait* scholarius *(Opp. ed. Sirmondus Parisiis 1645 II 481)* Cynegeticon Carthaginensis Aurelii *i. e. Nemesiani (ed. Baehrens Poet. lat. min. III 190; Hincmari locum primus adnotavit Pithoeus), e quo primos duos versus affert, priorem consulto ut solet immutatum; ib. II 476 utitur versibus e monostichorum synagoge depromptis iisque ab ipso Catoni adscriptis (ed. Baehrens l. c. III 236 sqq. 10. 35. 59); locum de Leonide Alexandri Magni magistro (Opp. II 185. 201) debet Hieronymi epistolae 107 (ed. Vall. I 682; cum Sirmondo Schroersioque errarit etiam Prou in Hincmari Palatii ordinis editione Parisiis 1884); Quintiliani quam nescio an ex Hieronymo laudet controversiam, personati Quintiliani declamatio maior est XIII; Senecam norit sed item personatum Opp. II 476; sumpta a se tamquam e* libris physicorum *Opp. II 154,* ex arithmeticis *Opp. I 462, e* paganis *de magia* doctoribus *Opp. I 655 ad verbum omnia transtulit ex Isidori Originum XII 7, III 5, ib. 7, VIII 9. — De carminum codicibus cfr. Ducmmler N. A. IV 536 sqq.* 2) *Pag. 69 adn. 3.* 3) *Bibliothec. patr. Lat. Hispaniens. edd. Loewe et Hartel I 367 sqq.* 4) *Bibliothec. Casinens. II 476.* 5) *Ibid. II 424.* 6) *Gazzera Memorie della r. accademia di Torino ser. II. tom. XI scienze morali, storiche e filolog. Taur. 1851 pag. 256.* 7) *Ed. Vallarsius XI 92.* 8) *Bibliothec. Casinens. II 408 sq.* 9) *Histor. Remens. III 5 edd. Heller et Waitz SS. XIII 478.* 10) *Cfr. Schroers pag. 168 adn. 103 et pag. 575 adn. 93; haeret tamen scrupulus, quia apud Flodoardum hoc loco regestorum tenor turbatus videtur.* 11) *L. c. III 23 pag. 530.*

Bellovacensi pro libello historiae de ortu sanctae Mariae et omelia beati Ieronimi de assumptione ipsius dei genitricis, quae quidam monachus Corbeiensis monasterii non esse recipienda contendebat. Ad quae respondet idem domnus Hincmarus prefatam historiam nos habere ad lectionem, non ad proferendam auctoritatem, omeliam vero *genuinam esse. Ac potest quidem monachus ille Corbeiensis, quem credunt*[1] *fuisse Ratramnum, Hincmari sententiam impugnasse multo post editum libellum. Nec praeter eam partem quae erat De ortu Mariae*[2]*, quippe quam propagare dubitarent, codex Hincmari a posteris describi est desitus atque illinc una cum homilia etiam carmen eius ad nos pervenit. Quod si recte disputatum est, carmen scriptum est necessario intra 845 et 868; videtur tamen propter rationes theologicas*[3] *scriptum esse iam ante 849.*

Contulit Matritensem (M) b. m. Ewald; ex codice Casinensi CII monachi Casinenses carmen in Florilegio Bibliothecae Casinensis II pag. 116 evolgarunt (C), iidem in Bibliothecae Casinensis II 408 sq. ex codice, cui numerus est C, pauca de titulo et subscriptione attulerunt (C[1]*); Vercellensis libri lectiones e Gazzerae (V), Vaticani ex Angeli Mai libro (A) depromptae sunt.*

3. Intra annos 853 et 856[4] *Hincmarus Flodoardo teste*[5] scripsit ad Karolum regem opus quoddam egregium metrice de gratia et predestinatione dei, de sacramentis quoque corporis et sanguinis Christi et de videndo deo atque origine animae, simul ac de fide sanctae trinitatis, quod opus appellavit 'ferculum Salomonis.' *Quod carmen videtur fuisse pictum ac figuratum ad modum Porfyrii*[6]*. Numerorum explicationes ipsum non continebat*[7]*, sed in commentario cum opere coniuncto editoque Hincmarus proposuerat, quam ob causam quot versus complecteretur singulum capitulum. Operis ita bipertiti Sirmondus ἀχέφαλον codicem*[8] *nactus nec priorem partem edidit et ex altera, commentario dico, in Hincmari Opp. tom. I 756 sqq. transmisit initium. Servavit tamen Durandus abbas Troarnensis in operis De corpore et sanguine Christi parte VII. duodecim versus, quos e Durandi aliquo codice Sirmondus l. c. II 844 descripsit, postea Acherius, cum Durandum Lanfranco subnecteret (Parisiis 1648), appendicis pag. 99 edidit. Apud me est carmen IV I, cui extrema commentarii pars item versibus facta adiungitur.*

4. Hincmarus iunior episcopus Laudunensis ecclesiae[9] *libellum maximam partem e Pseudo-Isidori decretalibus collegerat, quo probaret episcopis contra metropolitanorum*

1) *Cfr. Rueckert in Hilgenfelds Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie I (1858) pag. 525.* 2) *Quem librum fuisse eum, qui est De ortu Mariae et infantia salvatoris (ed. Tischendorf Evangel. apocryph.*[2] *pag. 51; cfr. R. Reinsch Die Pseudo-Evangelien etc. Halis 1879 pag. 5) contra Schroers (pag. 168 adn. 103) opinamur, qui dicit Hincmarum obtulisse librum De nativitate Mariae (ed. Tischendorf pag. 113).* 3) *Cfr. Schroers pag. 468 adn. 57; carmen Hincmari cum codice ab eo S. Mariae oblato cohaerere ille non perspexerat.* 4) *Si Schroers recte ratiocinatur pag. 56 adn. 40; cfr. nos supra pag. 69 adn. 3.* 5) *L. c. III 15 pag. 502.* 6) *Quam poetae illo tempore Porfyrium Optatianum imitati sint, inter omnes constat; cfr. testimonia in Welseri Opp. Norimbergae 1682 app. pag. 1 et in L. Muelleri editione Lipsiae 1877 pag. 2; supra pag. 124 adn. 4, pag. 310 ad. c. XXXIII 4. infra adn. 9. Longo carmine Dicuilus quoque in computo inedito Porfyrii c. XXV [XXVI] expressit atque permutationis rationes exposuit; versus tres ex eodem Porfyrii carmine excerpti legentur in anthologia Karolina, quae est in cod. Parisino 8071, cfr. de Rossi Inscript. Christian. II 1 pag. 246. — Ceterum opinor Williramo in Cantici canticorum paraphrasi (cfr. Seemueller Die Handschriften etc. Willirams Argentorati 1877 pag. 5) Hincmariani Ferculi figuras obversatas esse; nam de Hincmari* epicolumniis *loquitur etiam Durandus l. c.* 7) *Quamquam Schroers id credidit pag. 469.* 8) *Alter codex saeculo XII. Rotomagi fuit, cfr. Revue de l'art chrétien 36 (1886) pag. 455 (Beckeri Catalog. 82 n. 52).* 9) *Cfr. de eo Schroers l. c. pag. 345 sqq.; subicio locum ex arunculi opere quod inscribitur 'LV capitulorum'; qui cum Hincmari iunioris indolem quamvis ab irato descriptam referat, tum omnium illius saeculi eruditulorum sciolorumque studia semidocta ac verborum inauditorum Graecanicorum barbarorum insaniam insulsam*

praecepta ad sedem apostolicam appellare licere. Repetitam huius libelli quem pitatiolum[1] *nominari voluit editionem, contractiorem illam quidem, sed versibus ad Karolum Calvum praemissis (c. VII I) auctam, a. 869 mense Nov. per Wanilonem archiepiscopum Senonensem Hincmaro archiepiscopo Remensi avunculo suo Gundulfivillae tradidit*[2]*. Is statim ad redarguendum aggressus a. 870 mense Iun. quod inscribitur 'LV capitulorum' opus emisit, cui praefixit* titulationem *illam* metricam compilationis Hincmari Laudunensis episcopi ad domnum regem Karolum fictam *(c. VII I) et suam ipsius* responsionem *(VII II) item versibus conscriptam. Paulo post Iul. 870 acta ea complexus, quae ad suam cum sororis filio litem pertinebant, inter alia suos illiusque versus iterum edidit. Videmus igitur versus iunioris ter, senioris bis editos. Libri tamen harum editionum vel scripti vel his deficientibus impressi pro scriptis habendi inter se omnino congruunt. Atque prima Laudunensis Hincmari ab ipso instituta editio tradita erat in 'veteri codice ecclesiae Laudunensis', quo ex codice a Sirmondo in Hincmari Opp. II 355 Parisiis 1645 impressa est. De prima Remensis Hincmari editione, quae Laudunensis Hincmari erat secunda, videtur pependisse codex is, quem Cordesius in Hincmari Opp. Parisiis 1615 adhibuit, Cordesiique textum Sirmondus 'recognovit' l. c. II 382. Ex altera Remensis episcopi editione, quae Laudunensis erat tertia, superest codex Vaticano-Palatinus 296 olim S. Mariae Hildesheimensis (H) saec. XI. scriptus*[3]*, ad quem versus, qui ibi sunt fol. 22*^{v}*—23*^{v}*, ego contuli.*

---

luculenter illustrat; cfr. Cangii praefationem Glossar. c. XXXIX. Est apud Sirmondum II 547 sq.: qui enim linguam in qua natus es non solum non loqui, verum nec intelligere nisi per interpretem potes, cum suppeterent sufficienter Latina, quae in his locis ponere poteras, ubi Graeca et obstrusa et interdum Scottica *(cfr. Traube Abhandl. d. bayr. Ak. I Cl. XIX 2 pag. 362 sq.)* et alia barbara (ut tibi visum fuit) nothata atque corrupta posuisti, paret quia non ex humilitate vel ad manifestationem ea, quae dicere voluisti Graeca verba, quae ipse non intelligis, inconvenientissime posuisti, sed ad ostentationem illa insipientissime inseruisti, ut omnes qui illa legerint intelligere possint te illa vomere quae non glutiisti. hunc namque morem etiam a pueritia habuisti in his, quae te dictare *(cfr. Meyer de Knonau ad Ekkeharti Casus S. Galli pag. 24 adn. 89)* rogabam, maxime autem in versibus et praecipue in figuris Porphyriacis *(cfr. supra pag. 407);* in quibus verba linguae alienae atque obstrusa, impropria et utilitate sensus carentia, quae nec ipse intelligebas, studiose ponebas. quod mente percipiebam et mihi admodum displicebat; sed cum viderem te per iactantiam amore laudis flagrare et me non posse sentirem in aetatis adolescentia te ad tantum robur mentis accendere, ut ad discendi ac versificandi studium te provocarem et iactantiae a te pravitatem eraderem, ne acriore correptione fractus revocareris ab studio, permisi te interim (tantum ut studio litterali incumberes) de scientia iactitare, donec in maturiore aetate ab illo etiam vitio possem compescere ..... quoniam sancti et sapientes ac magnae auctoritatis viri et etiam utriusque linguae, Graecae videlicet et Latinae, periti suis scriptis verba Graeca nisi ea, quae in scripturis vel canonibus sive interpretatione sunt posita et veluti Latina in usu habita, verum et obstrusa suis dictis immittere ad ostentationem noluerunt. de Hebraea vero lingua 'alleluia' et 'osanna' atque 'amen' propter auctoritatem primae linguae et reverentiam sensus sine interpretatione usi fuerunt; nos etiam moderni Glossarios Graecos, quos suatim 'lexicos' vocari audivimus, sed et sapientum scripta de nominibus obstrusis habemus et adeo sensatuli sumus, ut nostras dictatiunculas eo usque circumducere et producere possimus. quatenus verba Graeca vel obstrusa de glossariis adsumpta in admirationem vel stuporem nescientibus seu scalpentibus aures proferre possimus; *cfr. Schroers l. c. 407 adn. Contra avunculus ab iuniore Hincmaro propter soloecismos notatur in epist. apud Mansium Concil. XVI 842, quo loco pro* mori gratum *scribendum est* morigeratum; *cfr. Schroers l. c. 316 adn. 5. De Hincmarorum libro glossarum dixi Berl. Phil. Wochenschr. XII 176.*

1) *De voce cfr. Wattenbach Das Schriftwesen*^{2} *in indice.* 2) *Cfr. Schroers pag. 579 adn. 113.* 3) *Descripserunt codicem Schroers pag. 335 adn. 115 et Sterenson Codd. Palat. Lat. Bibl. Vatic. I 75. — In codice Cusano C 14 saec. XII, qui ignoramus quam sequatur recensionem, nec* titulatio *nec* responsio *invenitur, cfr. Klein Ueber eine Handschrift des Nicolaus von Cues Berolini 1866 pag. 14.*

Codex Parisinus 2865 olim Colbertinus (P), in quo carmina leguntur fol. 7—11ᶜ, ad quotam Hincmari Remensis editionem pertineat nescio; nam Alfredus Schoene V. C., qui carmina accuratissime inde comparavit, de codicis indole nihil retulit[1].

I.

I.

Hanc aram domini genitricis honore dicatam
Cultor ubique suus decoravit episcopus Hincmar
Muneribus, gratis functus hac sede sacerdos,
Iam bene completis centenis octies annis,
Quadraginta simul quinto volvente sub ipsis,
Cum iuvenis Karolus regeret diadema regni,
Hunc sibi pastorem poscentibus urbis alumpnis.

II.

Virgo Maria tenet hominem regemque deumque
Visceribus propriis natum de flamine sancto.

III.

Sancta dei genitrix et semper virgo Maria,
Hincmarus praesul defero dona tibi.
Haec pia quae gessit, docuit nos Christus Iesus
Editus ex utero, casta puella, tuo.

IV.

Hac requiescit humo Tilpinus praesul honoris.
Vivere cui Christus vita et obire fuit.

[I.] [I.] *Flodoard. Histor. Rem. III* 5 *(edd. Heller et Waitz SS. XIII* 478*)*: Hincmarus archiepiscopus templum beatae dei genitricis Mariae, quod a fundamentis Ebo renovare coeperat, iste pace gratiaque fruens regia preclari consummavit decoris eminentia, insuper et aram sanctae genitricis dei auro vestivit ac lapidibus preciosis ornavit: his quoque versibus titulavit: Hanc aram *eqs.* 3 gratis] sacris *Flod. codd. interpolati* 6 diademata *Flod. codd. interpolati* [II.] *Flodoardus l. c. (pag.* 479*)*: et ad imaginem dei genitricis in ipso altari: Virgo *eqs.* [III.] *Flodoardus l. c. (pag.* 479 *et III* 9 *pag.* 482*)*: euangelium aureis argenteisque describi fecit litteris aureisque munivit tabulis et gemmis distinxit preciosis his quoque versibus insignivit: Sancta *eqs.* 3 presul *ut saepius* e *pro* ae *Flodoardus* [IV.] *Flodoardus l. c. II* 18 *(pag.* 465*)*: Qui presul defunctus est anno sui episcopatus 47. cuius corpus ad pedes sancti Remigii tumulatum huiusmodi cernitur habere titulum: Hac requiescit *eqs.; Marlotus in Metropolis Remensis Historia Insulis* 1666 *I* 317: *'Corpus eius ad pedes S. Remigii tumulatum est, non ubi primus sanctus hic confessor sepulturam habuit, sed ubi tunc erat post primam translationem, cum hoc epitaphio, quod abbatum cura parieti iuxta maius altare affixum est, qui ultimae instaurationi basilicae, quae stat adhuc, incubuerunt:* Hac requiescit *eqs.' (repetit tamen epitaphium ex Flodoardi editione); Mabilio Annal. Ord. SBened. Paris.* 1704 *II* 350: *'Exstat etiam nunc in Remigiana bibliotheca rarae antiquitatis pontificale ex dono ipsius Tilpini, qui in eadem basilica sub odeo sepultus est, affixo ad novi odei parietem non ad altare, ut fallit Marlotus, ipsius Tilpini epitaphio, quod Hincmarus composuit in hunc modum:* Hac requiescit *eqs. (potest Marloti editionem correxisse ex*

[I.] [I. II.] *Tituli scripti sunt a.* 845. [III.] *Titulus incertae aetatis.* [IV.] *Mortuus est Tilpinus monachus S. Dionysii postea archiepiscopus Remensis c. a.* 795 *(cfr. Waitz ad Flod.), scripsit epitaphium Hincmarus episcopus factus i. e. post a.* 845.

1) *De versibus quibusdam* moralibus, *qui in Catalogo bibliothecae regiae ad cod.* 3549 *dicuntur Hincmari, cfr. Duemmler N. A. IV* 530 *VI et Hauréau Des poèmes lat. attribués a. St. Bernard* 4.

Hunc Remi populo martyr Dionysius almus
Pastorem vigilem misit et esse patrem.
Quem pascens quadragenis ast amplius annis,
Veste senectutis despoliatus abit,
Quartas cum Nonas mensis September haberet,
Mortua quando fuit mors, sibi vita manet.
Et quoniam locus atque gradus hos iunxerat, Hincmar
Huic fecit tumulum, composuit titulum.

II.

Hunc, genitrix domini, parvum tibi, magna, libellum
Hincmarus praesul, virgo Maria, dedi.
Qui tua gesta tenet caelesti dogmate dicta,
Quae clare monstrant te genuisse deum,
Qua verbi carnisque, animae et substantia vera,
Mox concepta simul filius unicus est,
Non hominis tactu, sed dii flaminis actu
Procedens thalamo, ventre, beata, tuo.
Virgineo alvo nullum quae passa dolorem,
Ast utero clauso es virgo parens pariter.
Per carnem verbi mater veneranda refulges,
Ancilla et hominis pro deitate manes.
Est homo quippe deus, deus est homo Christus Iesus,
Unus utrumque, deus verus et auctor, opus.
Una est persona et duplex substantia Christi,
Quem tua virginitas edidit alma deum,
Ecclesia ut gignit natos ex ventre lavacri
Flamine de sancto virginitate sua.
Ille deus proprius natura est filius ex te,
Nos ut adoptivi munere congeniti.
Qui semper tingit baptizans sanguine sancto,
Quisquis baptizat fonte sacro genitos.
Nam constat non esse ratum sine nomine trino
Baptismum Christo voce docente sua.
Caelica regna suo pascit qui corpore sancto,
Lacte tuo est pastus vita cibusque salus.

---

lapide); Sammarthani Gall. Christian. IX 32 *Marlotum et Mabilionem contaminant* 3 martir dionisius *Flodoardus* 5 ast *Flodoardus Mabilio*] est *Flodoardi aliquot codd. Marlotus: an* *post?

[II.] VERSI . MARII . EPISCOPI . IN SANCTE MARIE *C*[1] 2 hunemarus *MC* hinc marcus *V* 3 sua *V* 4 monstrat via te *V: glossa quae est* via *ad* qua *v.* 5 *referenda* 5 Quia *M* Nam *A* et *om. V* 7 Nam *V* *sed dii] sed dei *MC* sed sancti *V* genitus sed *A* 9 Virgineo alvo] Virginis aluo *V* Aluo uirgineo *A* que nullum *A* 10 Ast] Atque *A* es] et *V* 11 uerbum (*om.* mater) *C* fulges *C* 13 homo quippe] hoc quoque *V* *alterum* deus *om. A* homo] hoc *V* 15 est *om. C* et] sed *CA* 16 alma dedit dominum *A* 17 gignis *V* 18 Flumina *C* 19 Illa *V* deus] *om. C* diuini *V* nate *V* 20 ut *om. (qui in hoc versu desinit) V* 22 genitus *MC* 23 nomine] nomen ę *M* 24 Babtismum *M* christi *MC* docendo suo *C* 26 cibique *A et ex sil. M*

[II.] *Scripsit Hincmarus archiepiscopus factus c. a.* 845; *supra pag.* 402. 23 *sq. Matth.* 28, 19.

Antistes summus, rex, hostia factus et ara
Ostendens patri nostra piacla tegit.
Nempe sacerdotis munus, quo fungitur ipse
In caelo, servis posse patrare dedit.
Cum quibus et per quos idem sua munera sacrat
Per sua verba, suo flamine cumque cruce.
Spiritus et sanctus, quo natus carne parentis
Extitit, is Iesum munera nostra facit.
Sed hoc vera fides cernit, non carnis ocellus,
Ut Petrus hominem viderat esse deum.
Qui iam non moritur devicta morte resurgens,
Pro nobis iterum vita, salus patitur.
Passio namque eius quotiens replicatur ad aram
Mystica, nos totiens sorde lavans reparat,
Suscitat et leto peccati morte sepultos,
Ni mala vota premant, quos bona vera gravant.
Et qui corde pio sumunt mysteria Christi,
Ex te progenitum, virgo Maria, gerunt.
Ipsius efficimur corpus libamine sacro
Idemque in nobis ut caro nostra manet.
Hic agnus verus, tollit qui crimina mundi,
Passus qui mansus vivit in arce poli.
Integer ipse manens satiat nos, unde redemit,
De cruce de petra carne cruore suo.
Petra etenim Christus percussus verbere teli
Et bino est, quoniam sunt duo ligna crucis.
Qui panis vivus limfa cum sanguinis unda,
Fonte sui lateris sic rigat aecclesiam,
Quam moriens formavit, Evam recubante sopore
Adam ceu dextri parte sui lateris.
Est quoque praeclarum: quoniam haec hostia constat
Ex multis granis, pluribus atque acinis,
Oblata a multis una est oblatio sicut,
Redditur et cunctis una simul populis,
Corporea non parte, magis virtute superna,
Manna dei signat quod veteri in populo.
In caelo tota est nec non in corpore nostro,
Corde simul tota est de cruce sumpta salus.
Nec tantum vivis prodest oblatio sacra,
Carne et defunctos hostia data levat,
Gloria qua sanctis, requies praestatur et illis,
Quos non excoctos mors vera corripuit.

28 noster *in* nostro *alia manu corr. M* 29 manus *MC* 30 patrari *M*patriare *C* 33 Spiritus] Sanctus *C* 35 fide *C (et in quo versus detritior est M?)* cernit]cernis *MC* ocellis *C (et M?)* 40 Mistica *sicut etiam* misteria *semper C* 42 *an* *levant? 45 efficimus *M* 46 Idemque] Idem qui *C* in *om. MC* 51 teri *MC*: *an* *ferri? 52 Et] Est *A* bino] uino *M*gemino *A* est *om. A* 53 limpha *C* lympha *A* 54 ecclesiam *A* 57 ostia *C* 62 Magna *C* 66 hostia] uictima *M* *an* *lata? 67 sancti *C* prestatur *MC* 68 uera] sua *A* *an* *fera?

36 *Matth.* 16, 16; *Ioh.* 6, 70. 51 *Corinth. I,* 10, 4,

Est quibus ad meritum, finis si corpore Christi
Tales inveniat, quos bona facta iuvant.
Ad quos perveniunt domini mysteria viva,
Cuius et inferni spiritus antra petit.
Sicque suos lectos eduxit sanguine sancto,
Hoc se salvari qui tenuere fidem.
Lex inquit: carnes agni mandentur in unam
Rite domum, quisquam tollet et inde nihil,
Et, panem potumque volet qui sumere vitae,
Catholicae maneat iunctus amore domo.
Si vult cum sanctis caelesti in sede manere
Inque decore suo regis honore frui.
Cuius conspectu satiaris, virgo Maria,
Qui decus imperium cum patre semper habet,
Qui dum surrexit, multorum corpora fecit
Surgere, quos secum vexit ad astra poli.
Sanctior his cunctis, verbum quae gignere vitae
Facta es digna tuo corpore virgineo.
Quae caro sancta dei non est corrupta sepulchro,
Nec tua, qua corpus sumpserat ipse deus.
Cum quo, stella maris, resides in culmine caeli
Concelebrata piis laudibus angelicis.
Quo pietate mei memorare, benigna, miselli,
Qua e cruce clamavit: 'Filius ecce tuus'
Atque, ut discipulus curam tibi ferret honoris,
Dixit Iohanni: 'Mater et ecce tua'.
Mortis in articulo vita et resurrectio nostra
Exhibuit tibimet hoc pietatis opus.
Cum moriar, caeli claris praelata ministris,
Christo conregnans, sis pia, quaeso, mihi,
Ut partem merear cum his, quos gratia salvat,
In lucis, pacis sorte, quietis. Amen.

Hanc autem supra scripti libelli subnexionem centum versibus constare disposui, quoniam decalogi denarius per se multiplicatus in centenarium surgit. Et sicut idem decalogus dilectione dei et proximi adimpletur, ita nimirum hac gemina dilectione ad aeternam vitam, quae signatur centenario numero, pervenitur.

70 inuenit *A (et ex sil. M)* 74 Haec *MC* tenuerat *MC* fide *C* 76 nichil *M* 77 uite *et sic hinc passim* e *pro* ae *M* 78 Catholica *C* 86 est *MC* 89 que *C* 91 Qui *A* 92 Qua e] De *A* 98 Christus *C* || *hanc 'subnexionem' om. A* uersibus] duobus *C C*[1] duobus uersibus *M* nimirum per hanc geminam dilectionem *C C*[1] quae signatur] quesitur *C*[1]

75 *Exod.* 12. 89 *Maria* stella Maris *est ex falsa Hieronymi etymologia quae valde placuit medio aevo cfr. e. g. Ildefonsi ut Arevali fert opinio carmen in Arevali Isidoro IV* 500 *et Monium ad Hymnorum n.* 529. 92 *sqq. Ioh.* 19, 26 *sq.* || *'Melito' in Clave ed. Pitra Spicileg. Solesm. III pag.* 286 Decem ad decalogum; *pag.* 289 Centum ad martyrum fructum; *cfr. Isidorum de Numeris ed. Arev. V* 234, *ipsum Hincmarum de ferculo Salom. ed. Sirm. I* 760.

III.

I.

Hic famulus Hincmar domini sacra membra locavit
Dulcis Remigii ductus amore pio.
Qui prius est sanctus, mundo quam matre creatus,
Et magnus dictus caelitus ore dei.
Bis denos binosque gerens feliciter annos
Sorte dei sumpsit pontificale decus.
Sexaginta simul bis septem manserat annis
Istius urbis honor, praesul et orbis amor.
Vitam defunctis, reddens quoque lumina caecis,
Egerat et vivens plurima mira satis.
Nam domuit fera corda animo pius, ore profusus
Sicambrae gentis regia sceptra sacrans.
Nonaginta quidem sex cum compleverat annos,
Splendida lux nostras deseruit tenebras:
Idus iam plenas cum Ianus mensis haberet,
Emeritus miles praemia digna capit.
Isdem Hincmarus primus hac sede sacerdos
Post triginta loco constitit et numero;
Qui sextus decimus, sub hac radiante lucerna
Remigio, Remis munia cara dedit.
Annis septenis, quinis ac mensibus egit
Pastoris curam haec recolenda patrans
Octingenteno quinquagenoque secundo,
Quo deus est anno virgine natus homo,
Tertius et Karolus regni componeret actus,
Octimber primam cum daret atque diem.
Ac tercentenus octavus tangeret annus,
Hic iustus domini quo petit astra poli.
Ter centum fuerant, tres et deni quater anni,
Quo vitae Francos gurgite lavit ovans.
Ipsius is precibus caelesti in sede locetur,
Quem terris coluit verus amator. Amen.

[III.] [1.] *exstat in calce vitae S. Remigii ab Hincmaro conscriptae; quae legitur in cod. Bernensis* 168 *fol.* 142 *saec. X/XI., edita est a Surio in I* 207 *sqq. De probatis sanctorum historiis Coloniae* 1570 *ubi carmen est pag.* 304 *et ex 'insigni codice Ms. membranaceo Musei' Antverp. in ASS. Oct. I* 131 *sqq. a Bollandistis qui de carmine referunt pag.* 114; *ex hac vita Flodoardus transtulit in Histor. Rem. I* 21 *pag.* 438, *ex Flodoardo Marlotus in Metrop. Remens. hist. I* 395 *cuius errores non subscribo.* — Versus inscripti sepulcro S. Remigii *Surius* sequuntur metrici versus conscripti in loculo argenteo in quo reconditum est integrum corpus beati Remigii *codex Bolland.* in loculo vero ubi tunc depositum corpus eius est hii versus a domno Hincmaro editi leguntur *Flodoardus* 17 primus hac] prius hac in *Surius* 19 Cui *Surius* 26 October *Surius et cod. Bolland.* 27 ter centenos *cod. Bolland.* annos *cod. Bolland.*

[III.] [1.] *Translatio Remigii ab Hincmaro Kal. Oct.* 852 *facta est. Natus est Remigius computante Hincmaro* 448, *episcopus factus* 470, *mortuus* 544.

II.

Hoc tibi, Remigi, fabricavi, magne, sepulchrum
Hincmarus praesul, ductus amore tuo,
Ut requiem dominus tribuat mihi, sancte, precatu
Et dignis meritis, mi venerande, tuis.

IV.

I.

Agnus, lux mundi, proprio nos corpore pascens
In nobis maneat, mansio nostra siet.

[II.] *Flodoard. III* 9 *(pag.* 482*)*: ante ipsius sepulchrum opus egregium auro edidit gemmisque distinxit, fenestram inibi, unde sancti sepulchrum videretur, fecit et circa ipsam fenestellam hos versiculos indidit: Hoc tibi *eqs.; ex Flodoardo edidit Marlotus Metropol. Rem. I* 395, *ex Marloto Mabilio Annal. III* 237 1 fabricauit *Flodoard. corr. Mabilio* || *Hincmaro subdo versus ab aliis in eadem Remigii translatione factos.* '*Haldoinus*' *ut ait Mabilio in Veter. analect. I Paris.* 1675 *pag.* 416 *sq. (ed. alter. pag.* 423, *iteravit Migne CXXIX* 1033*) qui nescio quo ex codice haec sumpserit — 'Haldoinus, quondam Abba Monasterii Altivillarensis hoc memoriale digessit, XII videlicet versuum, si Episcopus Hincmarus voluisset, in circuitu scrinii, ubi S. Remigius transponendus erat, de transferendo corpore pretioso eiusdem Remigii a Karolo Rege pariterque praefato Hingmaro Praesule etc.:*

Doctor Francorum primus pastorque Remorum
Hoc recubat sacro Remigius tumulo.
Limina quem templi quondam tenuere sepultum
Servantem domini saepta gregemque sui.
Extemplo ut populus huius iam dogmate plenus
Concrevit, pariter crevit et ista domus,
Transtulit et sanctum sublimi sede locavit,
Cerneret ut plebem, plebs quoque fide patrem.
Rex verum Karolus Ludovici Caesaris almus
Filius ac praesul Hincmar utique sacra
Tecta augent decorantque simul bustoque recondunt
Francorum magnum pontificale decus.

Anno a nativitate domini DCCCLII. IIII. Kal. Iunii regni vero Karoli XII. ordinatione quoque episcopatus Hincmari XIII. indictione XV.' *Pergit Mabilio: 'Hos versus Hincmarus tumulo S. Remigii non apposuit, sed alios a se compositos' i. e. c. III* 1*; cfr. eundem in Annalib. l. c.* || *Elpheid Ludovici Pii filia tunc ipsum abbatissa S. Petri Remensis S. Remigio cervical obtulit his versibus ornatum:*

Hoc opus exiguum praesul clarissimus Hincmar
Alphedi iussit condere sicque dare.
Ille quidem iussit, sed et haec mox laeta peregit,
Protulit et factum, quod modo cernis opus.
Quae sub honore novo pulvillum condidit istum,
Quo sustentetur dulce sacrumque caput.
Remigii meritis Alphedis ubique iuvetur,
Ipsiusque preces hanc super astra ferant.

Quae res nota ex eodem Mabilione, qui in Annal. III 19 *(quo ex loco versus iterum protulit Maius Scriptor. veter. nov. coll. V* 207*) narravit haec: 'Appositus etiam sub capite sacro pulvinus ex rubeo panno bombicino cum his versibus litteris aureis adscriptis qui Alpaidem, Caroli Calvi sororem, eius opificem esse probant:* Hoc opus — ferant. *Nostro tempore, id est anno 1646 in detectione sacri corporis, pulvinus iste . . . ita integer repertus est, ut sub capite S. Remigii reponendus visus sit etc.' Per se autem patet, quam prave non nulli Alphedis versus ipsi adscripserint Hincmaro.*

[IV.] [I.] *Durandus de corpore et sanguine Christi VII ed. Acherius pag.* 99: Praeterea Hincmarus praesul in illa mirabili descriptione, quam versifice ad regem Carolum edidit quamque ferculum Salomonis vocari instituit, de veritate tanti sacramenti ceteros secutus patres ita ait: Agnus—facit 2 fiet *Durandus*

[IV.] [I.] [II.] *Scripsit Hincmarus Ferculum Salomonis, ex quo haec sunt fragmenta, a.* 853—856*: cfr. supra pag.* 407.

Agnus, fons vitae, proprio nos sanguine potans
Semper more suo debriet atque regat.
Hic deus omnipotens, per quem pater omnia fecit,
Naturas rerum mutat, ut ipse volet.
Hic cruce nostra creat, propriis et munera verbis,
Fitque caro ac sanguis pane liquore suus.
In cruce nam corpus fixum est, sanguis quoque fusus
Christi, quae in cena iam dedit ante suis.
Cum nos indigni haec memoramus iussa, redemptor
Emptorum pretium munera nostra facit.

II.

Haec, ut vobis nulla desit, Karle care, gratia,
Versuum mensura pandit atque aerarum quantitas,
Regis nec non mensa dives cognomento ferculum
Prompsit vobis sana, princeps, per doctorum fercula.
Quae plano sermone dicta strinxi lege carminum
Et prosa diserta iunxi, diversis ut calleas.
Supra quaedam nempe de his explanavi largius,
Ut transcurrens quippe quaedam computavi strictius.
Et si dignum stricta ducis explicari plenius,
Adsum votis, forte nobis si donantur otia.
Prendat rex, quae praesul offert, et demonstret moribus
Sensu verbo haec in actu cunctis regno subditis.
Longa felix vivat isto Karlus vita in saeculo,
Vivat clarus semper almo sanctorum in consortio.

V.

Remis equum misit, mulum Burdegala nullum:
Aut mulus veniat aut equus huc redeat.

8 *ac Durandus Acherii*] et *Durandus Sirmondi* 10 quem *Durandus Sirmondi* [II.] *ed. Sirmond I* 771; *cfr. supra pag.* 407.

[V.] *Hincmari, ut ex Flodoardo intellegimus, distichon legitur in clm.* 14569 *saec. XI. fol.* 72^{v} *sine titulo subiunctum epitaphio a Iohanne Scotto composito; cfr. Duemmler N. A. IV* 534 *et Traube Abhandl. d. b. Ak. I. Cl. XIX* 2 *pag.* 363

[V.] *Flodoard. l. c. III* 21 *pag.* 517: Frotario Burdegalensi qui sibi talem direxerat versum:

Remis equum nobis, mulum Burdegala vobis

talem post remisit:

Remis equum misit, mulum Burdegala nullum.

Frotarium Burdigalensem episcopum c. 860—867 *fuisse Sammarthanus dicit Gall. Christ. II* 797. *Hincmari epistola a Schroersio pag.* 572 *adn.* 68 *refertur ad. a.* 860—862. *Alludunt episcopi ad versiculum nobis e codice Bernensi* 48 *saec. X. fol.* 191^{a} *(Hagen Catalog.* 72*) notum:*

Gallia nutrit equos, nutrit Burdegala mulos.

VI.

Tempora concedat Christus felicia regni
Huius et aeterni, rex, tibi, care mihi.
Floreat aeternis tecum sapientia donis,
Ut tibi permaneat laus, honor atque salus.
Dextera te Christi semper defendat ubique:
Vive deo felix et sine fine vale.

VII.

I.

TITULATIO METRICA COMPILATIONIS HINCMARI LAUDUNENSIS EPISCOPI AD DOMNUM REGEM KAROLUM FICTA.

Iste pitatiolus plane depromit et apte
Sedem appellandam libere apostolicam,
Quin appellantem haud vinclis artarier ullis,
Responsum a vincto rite nec exigier.
Archique pontifici distinguit iusque modumque,
Cum compraesulibus ceu teneat sobrius.
Sitque pio regi Karolo pax vita potestas,
Qui probus haec cernens prae probitate probet.
Cui si surripitur humanis nisibus ullis,
Cassando reicit, res ubi certa redit.
Sic sua mens adeo veri defervet amore,
Recte frustrandum ne sinat esse ratum.
Nanque animum servat mitis sapientia fortem,
Prae cunctis proprie quem redimit pietas.
O quam rex felix, virtutum fortis amator,
Tam bene quem superat sola boni pietas.
At te, Christe, deum noscens dum diligit ultro,
Quae spernis spernit, quae statuis statuit.
Se tibi committens in te tua verba veretur
Nunc et in aeternum tuque tuere tuum.

II.

RESPONSIO.

Hoc tibi de titulo, iuvenis Hincmare sacerdos,
Respondere mihi convenit arte pari.

[VI.] *in calce epistulae de verbis psalmi* 103, 18 *ad Ludovicum Germaniae regem datae; ex codice S. Remigii Remensis ed. Sirmond. Hincmari Opp. II* 157, *exstat etiam in clm.* 14738 *fol.* 88ᶜ *qui in versibus concinit cum Sirmondi cod.*

[VII.] [I.] 4 uicto *corr. H* 15 a mator *P*

[VI.] *Scriptum est a.* 865, *cfr. Schroers pag.* 531 *Reg.* 184.

[VII.] [I.] *Scriptum est a.* 869; *cfr. supra pag.* 407. 9 Cui *sc.* pitatiolo; *i. e. si Karolus per praros suasores eo erit adductus ut a meae collectionis decretis recedat, rata reddet irrita.* [II.] *Scriptum est a.* 870; *cfr. supra pag.* 408.

Ne tibi sis sapiens, multum quod caecat homonem,
Collige de veris haec tua ficta fore.
Sicut et ipsa tui primordia carminis esse
Clare demonstrant degeneri genere.
Namque pitatiolum neutro dixere priores
Et caput hoc languens cetera fluxa docet.
Quae compilasti vario pro tempore et actu
Condita de verbis sedis apostolicae
Conciliis certis praeponens talia sensu,
Cui bonus interpres spiritus almus abest
Cor fugiens fictum, quod disciplina salubris
Non regit, atque simul, quae tua vota vomunt.
Congruit unde tibi, sapiens quod dixerat olim:
Non tenuem sensum venter obesus habet.
Et mens inflato sensu distenta videre
Noxia gesta nequit, quae tamen ipsa gerit.
Hinc alios gestit semper clamare nocentes
Seque putat mundam, si nitidos maculat.
At cor contritum, domino placabile munus,
Dat mala cuncta sibi, dat bona cuncta deo.
Tu fugiens culpam culpam nihilominus addis
Innocuos carpens, conscius unde tibi.
Moribus et factis turgens, ut corpore, corde,
Motibus atque nimis diceris ore levis.
Viscera qui matris, dum te gestaret in alvo,
Rumpere non quisti, nunc laniare cupis,
Parta pie suboles, donorum oblita parentis,
Quae te nutritam fecit honore sacram.
Non rex, ut dicis, surreptus nisibus ullis
De te reiecit, quae bene nota tenet
Saepius expertus, quam sit laudatio fixa
Haec tua, quae variat tempore et ore simul:
Sed prudens animo pariter non omnia profert,
Qui discreta tenet tempora mente sua.
Et pardi pellem noscens te linquere nolle
Sustinet, ut propriis casibus ipse ruas.
Congeris et quaedam, tibimet quae valde resistunt,
Teque magis pungunt, quae tibi grata putas.
Multa quidem ex studiis a te dimissa videntur,
Quae quia contemnis, fraude doloque taces.
Impurus quaedam falsasti immittere mendas
Non veritus, quoniam non tibi pura placent.

[II.] 3 hominem *alia sed aequali manu corr. H* 16 obesus *H* 27 tegestraret *H* 33 sepius *et sic raro e pro ę HP* 42 contẽpnis *H*

15 *sq. Hieronym. Epist.* 52 *ed. Vall. I* 226 pulchre dicitur apud Graecos et nescio an apud nos aeque resonet: pinguis venter non gignit sensum tenuem. *cfr. Leutsch ad Paroemiogr. II* 337; *ceterum sapiens Hincmaro aliquotiens est pro poeta pagano cfr. Opp. ed. Sirm. II* 186; 201. 21 *Psalm.* 50, 19. 27 matris *sc. ecclesiae Remensis cfr. Schroers l. c. pag.* 316.

Nam sacra depromunt canonum decreta patenter
Iuraque confirmant sedis apostolicae
Metropolitanum curam regionis habere,
Ut praesit sollers, ore manuque sagax.
Ad quem concurrant quaecumque negotia iuris
Cuncti poscentes: praeminet ipse quidem.
Regmine sub cuius constat provincia tota,
Ut sanctis semper legibus aptet eam.
Rebus in obscuris, dubiis quoque certa requirat,
Consilio fratrum sicque tenenda legat;
Quae scriptura tamen, sanctorum et dicta perennes
Leges duxerunt, nulla molesta ferant.
Cui quia subicitur regionis episcopus omnis,
Sit humilis humili, sit rigidus rigidis;
Corde manens mitis zelo sit fervidus atque
Sollicitus servet, quae canones statuunt;
Aetates, causas, personas, tempus et actus
Et loca discernens penset agenda simul.
Illius in cunctis semper moderamina fratres
Exspectent, sicut regula sancta docet,
Ut pater et fratres caritatis nexibus unum
In Christo facti, scismata nulla sient.
Angelicae sortes caelo nam culmine praestant
Suppositis aliis ordine composito.
Unde sacerdotum constat distinctio certa
Et mundi populos ordo regit varius.
Plurima membra tuo gestas in corpore toto,
Quae servire vides officiis propriis.
Quapropter sensus pompa fallente superbos
Deprime sub domini iussibus almificis;
Cuius non metuis postponere dicta tremenda,
Insuper ipsa tumens evacuare cupis.
Idque procul dubio nequam tibi spiritus omne
Suggerit et semper, quae sua sunt, adhibet.
Qui rex est horum, quos caeca superbia vincit,
Cuius sunt facti sponte sua geniti.
Denique quod dicis 'depromptum rite vel apte
Sedem appellandam libere apostolicam':
Quis haec ignorat, quae tu te nosse fateris?
Aut tibi sunt soli cognita quaeque dei?
Nempe sacri canones nec non et Romula dicta
Ac leges clamant, omnibus atque liquet,
Qualiter et quando atque ubi, quis quoque, de quibus ipsam
Appellet sedem non levitate vaga
Et quis proque quibus sedem appellaverit illam,
Vinciri nullo debeat ab homine,
Et quis proque quibus propriis nudatus ad ulla
Non det responsum, cum fuerit monitus.

49 At *corr. H* 51 prouintia *H* 57 subiicitur *corr. P* 66 fient *PH corr. Sirmondus*
69 certat *corr. H* 71 toto] tuo *corr. H* 91 nadatus *corr. H*

Indicat ipsa tibi manifeste regula sancta,
Qualiter his fieri debitus ordo queat.
Si leges scires, canonum quas trames honorat,
Perspicue nosses, quae bene cuncta patent,
Et tu conspiceres, nisi magna albugine plenus
Mulceret visus haec tibi nota fore.
Quae tibi dum tribuis, iactas et scire superbe,
Cordis inest oculo nox tenebrosa tuo.
Hinc etenim domino panes offere vetaris,
Tangere quin etiam iura ministerii.
Hanc auctore geris lapso de luce superbo,
Qui sublime quidem loetifer omne videt.
Hic te mirari monitat, quod perficis ipse,
Quod non est mirum, sed potius miserum
Ac detestandum veri ratione tenoris.
Non attestandum, prorsus ut illicitum.
Propter hoc autem tantum clamare videris
Securos aditus sedis apostolicae,
Ut, quod valde libet, valeas patrare licenter;
Non tamen omne licet, quod tibi forte libet.
At magis id certas, quia non vis ipse subesse
Ulli, ceu poscit regula iustitiae,
Hinc imitans illum, qui nulli sponte subesse
Gestivit labens per mala quaeque miser,
Qui vitio proprio talis iam factus habetur,
Ut nullum timeat nec mala post metuat.
Hunc et in hoc sequeris, dum non resipiscere quicquam
A prave coeptis vel tibi sero placet,
Sicut et ipse nequit, postquam super omnia sese
Extulit et misere primus ad ima ruit.
Sed si forte animos vincas ad cuncta protervos,
A quibus ex studio valde tenere tuo,
Confestim poteris secure vera tenere,
A quibus et nolens vinceris ipse modo.
Utque duplex animo, inconstans per cuncta viando,
Lingua assentantis regia corda linis.
Quem contemnendo nosti te laedere crebro
Non parens dicto legis apostolicae,
Quod demum sancti canones seu publica iura
Et quod hinc sedes sancit apostolica:
Scilicet ut subsit quaevis provincia sedi
Metropolitanae semper ubique suae.
Si vis, si non vis, firmum constabit in aevum;
Sic vere sanctus spiritus instituit,
Ut tibi conscripta in parvo diplomate misi
Remorum praesul, metropolita tuus.

---

97 magn *corr. H* 110 adhitus *alia manu corr. H* 129 contẽpnendo *H* 133 prouintia *H*

103 Hanc *sc.* noctem. 115 *Luciferum dicit.*

Quae mundus totus sequitur veneratur honorat
Et reprobare nequis, si male forte velis.

Versibus inversis, iuvenis Hincmare sacerdos,
Reddita sume tuis fontibus hausta sacris
In sinibus propriis capiens hinc septupla, vates
Ut poscit, iusti de manibus domini.

VIII.

Nomine, non merito praesul Hincmarus ab antro
Te, lector tituli, quaeso: memento mei.
Quem grege pastorem proprio Dionysius olim
Remorum populis, ut petiere, dedit
Quique humilis magnae Remensis regmina plebis
Rexi pro modulo, hic modo verme voror.
Ergo animae requiem nunc et, cum carne resumpta,
Gaudia plena mihi, haec quoque posce simul:
'Christe, tui clemens famuli miserere fidelis,
Sis pia cultori, sancta Maria, tuo.
Dulcis Remigii sibimet devotio prosit,
Qua te dilexit pectore et ore, manu.'
Quare hic suppetiit supplex sua membra locari:
Ut bene complacuit, denique sic obiit
anno incarnationis dominicae DCCCLXXXII.
episcopatus autem sui XXXVII. mense VII. die IV.

[VIII.] *Flodoardus l. c. IV* 30 *(pag.* 554*)*: Cuius epitaphium ab eo dictatum habetur huiusmodi: Nomine — die IV; *Marlotus Metrop. Rem. hist. I* 488: '*cum hoc epitaphio quod lapidi incisum adhuc cernitur.* Nomine — quarta': *Mabilio Annal. III* 237: '*apposito epitaphio quod sibi ipse composuerat legiturque hactenus ad laevam maioris altaris, laminae aereae incisum, in hunc modum.* Nomine — obit. *Haec laminae aereae se vivente Hincmarus ipse inscribi curavit et post eius obitum additum* anno — IV.' *Marlotus et Mabilio possunt descripsisse lapidem; Maurini in Galliae Christian. IX* 44 *describunt Marlotum.* 13 locari *Marlot. Mab.*] recondi *Flodoard.* || et die *Flodoard.*

143 *Ut dictum est in psalmi* 78, 12: et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, *sic Hincmarus septuaginta pro decem acceptis remittit disticha.*

[VIII.] *Hincmarus mortuus est a. d. XII. Kal. Ian. a.* 882, *cfr. Mabil. l. c.*

HEIRICI CARMINA.

De Heirico[1] *noni saeculi poeta doctissimo multa reicienda sunt, quae volgo adhuc ferebantur; adicienda non pauca, quae prioribus*[2] *aut incognita fuerunt aut non perspecta.*

1. Natus est anno 841[3]*; quo loco*[4] *non traditur. Fere septennis*[5]*, i. e. anno 848, deo offertur in coenobio S. Germani Autissiodorensi. Ibi 850 a. d. X. Kal. Ian. attonsus*[6] *et 859 a. d. X. Kal. Oct.*[7] *abbate Hugone Karoli Calvi propinquo*[8] *subdiaconus est ordinatus. Qua ordinatione facta*[9]*, ut in literarum studio proficeret, peregre profectus doctorum aliquot virorum scholas frequentavit*[10]*. Ac Ferrariis quidem Lupum audivit, qui tunc principem locum inter grammaticos tenebat*[11]*; in regione Laudunensi, ubi Scotti morabantur,*

---

1) *De nominis forma cfr. codicum quae infra adhibui testimonia. Praeterea traditur* Heiricus *in codice Mellicensi (SS. XIII 80) quem ab ipso Heirico scriptum esse Th. de Sickel demonstravit, in codice Parisino 12949 saec. IX. ex. quem Heirici discipuli exarayerunt, in Gestorum pontificum Autissiodorensium codice saec. XII. (Duru Bibliothèque historique de l'Yonne I 357, SS. XIII 398), in Necrologio Autissiodorensi (Lebeuf Mémoires concern. l'histoire d'Auxerre tom. II Paris 1743 documentorum pag. 247 et 256) saec. XI.* Airricus *et* Ayricus *— quamquam hic alii eiusdem nominis homines significantur —; varias, deinceps huius formae et mutationes et corruptelas hic non enumero, sed cfr. infra pag. 422 adn. 1, pag. 423 adn. 10, pag. 424 adn. 3.* 2) *Nominandi inter eos Ioh. Bollandus A. SS. Iunii IV 329, Boschius ibid. Iulii VII 192, Histoire littéraire de la France V 535, Mabilio Annal. II 627, Hauréau Histoire de la philos. scolast. I 177, Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen*[5] *I 282, Duemmler N. A. IV 528, Ebert allgemeine Geschichte d. Literatur d. Mittelalters II 285.* 3) *Cfr. 'breves annales' ab ipso Heirico codici Mellicensi G 32 adspersos (Th. de Sickel Bibliothèque de l'école des chartes tom. III ser. V 1862 pag. 28 sqq., SS. XIII 80). Citra annum 876 Heiricus in iis constitit, non quod brevi post mortuus esset, sed quia e Germani monasterio decesserat.* 4) *Aperte pro nominum formis ficta Mabilio in Veter. Analect. I 415 retulerat haec: 'natus est in agro Autisiodorensi, in vico ab ipsius nomine dicto Hery duabus leucis infra urbem, ad fluvium Armentionem: qui locus hactenus coenobio S. Germani subiectus est'; correxit aliquatenus errorem in Annalibus II 628.* 5) *Cfr. Specht Geschichte des Unterrichtswesens in Deutschland pag. 9.* 6) *Breves annales Heirici SS. XIII 80.* 7) *Ibidem.* 8) *Cfr. Duemmler Gesch. d. Ostfr. Reich.*[2] *I 444 adn. 3 — pag. 445.* 9) *Quo enim tempore Hlotharii iussu, i. e. intra annos 864 (vel paulo ante) et 865, Vitam Germani scribendam suscepit,* recens *ut ait (Praef. Vit. Germ.)* scolis emerserat. *Item Lupus iam diaconus factus Fuldam se contulit; item Walahfridus octodecim annos natus Augiense monasterium reliquit, uterque ut Hrabanum audiret.* 10) *Solebant id facere docti iuvenes, ut testantur Lupi, Milonis, Hucbaldi exempla.* 11) *Cfr. infra Heirici carm. I 1 v. 11 et I 11 v. 1. Lupum ibi commemoratum abbatem illum Ferrariensem esse ultra omnem dubitationem est positum: novit Suetonium Lupus Ferrariensis, dictat e Suetonio excerpta Lupus Heirici magister (Traube Abhandlungen d. k. bayer. Akad. I Cl. XIX 11 pag. 371); novit Valerium Maximum Lupus Ferrariensis, Lupus Heirici magister dictat e Valerio excerpta (Traube Sitzungsberichte eiusdem academiae philos.-philol. Cl. pag. 402 sq.); novit praeterea Heiricus Lupi Ferrariensis epistolas, ut probabiliter opinatus sim ipsum Heiricum eas collegisse (N. A. XVII 1891 pag. 404). Lupus anno 858, quo anno Karolum Calvum*

Graecam linguam[1] *et Dionysii qui dicitur Areopagitae theosophiam addidicit*[2]*; item versatus est Suessionibus*[3]*. Autissiodorum reversus in divinis literis usus est Haimonis disciplina*[4]*.*

(Duemmler Gesch. etc. l. c.) comitatus Autissiodorum venit, Heiricum nondum cognoverat; Fridilonem tamen alium iuvenem Autissiodorensem iam tunc auditorem suum *appellat (cfr. Lupi Epistol. CXXI ed. Desdevises du Dezert pag. 204, CXVI ed. Baluzius).*

1) *Cfr. Traube Abhandlungen l. c. 361 et 373; nec tamen dici potest eum Graece scirisse, sed Iohannis Eriugenae glossariorumque vocabula blaterat, cfr. Hauréau Notices et extraits XX 2 (1862) pag. 9 et eiusdem Histoire de la philos. scolast. I 187.* 2) *Gauthertus, qui saec. X. ex. in Gallia scripsit, homo ceterum ignotus (cfr. Wattenbach Geschichtsquellen I 282 adn. et Traube Abhandlungen l. c. 373), in Grammaticorum διαδοχῇ (ed. Bethmann Archiv. nostr. X 334 et L. Mueller Rhein. Mus. XXII 635):* qui *(Theodulfus Aurelianensis)* per Iohannem Scottigenam Heliam aeque eiusdem gentis patriotam virum undecumque doctissimum philosoficis artibus expolivit. at Helias Heiricum informans sapientiae merito Engolismensis donatus est throno *(Helias episcopus Engolismensis † 860; cfr. Duemmler Gesch. d. ostfr. Reich. III 55 adn. 3 et Delisle Mémoires de l'institut. Académie des inscriptions XXXII 94).* Heiricus porro Remigium sancti Germani Autricae urbis monacum alium-|quo|que sancti Amandi eiusdem ordinis edocens Hucbaldum, alterum litteris, alterum praefecit musis *(i. e. arti musicae). Eadem fere apud Ademarum leguntur Histor. III 5 (SS. IV 119), qui sua quae videntur e Gautberto sumpsit. E Gautberti autem testimonio profecti et alii (cfr. Hauréau l. c.) et ego (Abhandlungen l. c. et pag. 371) Heiricum Scottorum consuetudine et disciplina usum esse statuimus. Atque ut singula nostra argumenta complectar, affectat is Graecae linguae scientiam, computum tractat, novit opera a Iohanne Scotto composita et versa; addo Heiricum accessisse opinioni a Virgilio Scotto episcopo Salisburgensi de antipodibus habitae serereque olim in eo exagitatae (cfr. Kretschmer Die physische Erdkunde im christl. Mittelalter Vindobonae 1889 pag. 56 sq.); nam in codice Parisino 12949 quae fol. 30 leguntur (Cousin Ouvrages inédits d'Abélard pag. 618):* ferunt quidam esse antipodes homines in alio orbe, quos dividit a nobis Oceanus, quos etiam dicunt vivere more et cultu Persarum. quod autem vivere possint subtus terram, non repugnat fidei, quod hoc agit natura terrae quae speroides est, *ab Heirico ea 'Augustini' Categoriis adnotata sunt. Lauduni vero quod supra dixi Heiricum consuerisse cum Scottis, comprobare id videntur primum et Autissiodorenses codices cum Heirici memoria coniuncti atque iam pridem bibliothecae Laudunensis facti (cfr. Traube Abhandlungen l. c. 392) et, quod illud oppidum tum principum Scotticae sectae domicilium erat, ut Iohannis Eriugenae et Martini (cfr. ibid. 362). Deinde id argumentum accedit, quod insequenti nota affertur. Etiam Wi(c)baldus postea episcopus Autissiodorensis (879—887) Iohannis Eriugenae* pedisequus *fuisse dicitur in Historia episcoporum Autissiodorensium (SS. XIII 399).* 3) *Cfr. Heirici Miracula Germ. I cap. 6 (Duru l. c. pag. 145 sqq.) et 7 (ibid. pag. 155):* fertur unum famosum *(miraculum)* inter cetera, cuius ad nos notitia per sanctum senem Marcum eiusdem *(Britannicae)* gentis episcopum decucurrit, qui natione quidem Brito, educatus vero in Hibernia post longa pontificalis sanctitatis exercitia ultroneam sibi peregrinationem indixit, sic traductus in Franciam piissimique regis Caroli *(Calvi)* munificentia illectus apud beatorum Medardi et Sebastiani coenobium anachoreticam exercet vitam, singularis nostro tempore unicae philosophus sanctitatis. *Hinc explicatur, quod annalibus Autissiodorensibus Suessionicas res Heiricus admiscuit. Fuit igitur in Suessionum urbe ante annum 875, in quo anno annales finiuntur. De Hildeboldo episcopo Suessionensi 871—884 cfr. infra.* 4) *Haimo is, cuius Heiricus mentionem fecit carm. I 1 v. 11 et I 111 v. 1, ut vidit Ebert l. c., non potest esse episcopus Halberstadiensis, ut qui mortuus sit iam anno 853. Alterum eiusdem nominis virum Autissiodori habuisse scholas supra non est positum nisi dubitanter, cfr. Traube Abhandlungen l. c. 373 et Sitzungsberichte 403. Priore horum loco — ut hoc corrigam in transcursu — Hauckio obsecutus eram nimis confidenter; exstant enim Haimonis commentariorum aliquot codices saeculo decimo antiquiores, ut Laudunensis 37 et Harleianus 3026. Qui tamen Haimo quisquis fuit, in codicibus cum ceteris tum his nusquam significatur neque episcopus neque Halberstadiensis.*

Cesserat interim Hugo coenobium Autissiodorense Hlothario puero, Karoli Calvi filio; qui abbas S. Germani factus est a. d. IX. Kal. Mart. anno 864[1]. *Eo hortante Germani vitam olim a Constantio pedestri sermone scriptam orsus est in versus redigere*[2]. *Sed vixdum opus attigerat*[3], *cum Hlotharius mortuus est a. d. XIX. Kal. Ian. 865*[4]. *Pergebat tamen Heiricus studiorum fruges colligere. Atque annos XXXII natus, i. e. 873, Germani vitae summam manum imposuit*[5] *eodemque tempore eiusdem patroni miracula pridem enarrari coepta finivit*[6]; *utrumque opus intra 875 et 877 obtulit Karolo Calvo*[7]. *Deinde collectanea olim a Lupo et Haimone magistris dictata*[8] *retractavit atque inscripsit intra 871 et 884 Hildeboldo episcopo Suessionensi*[9].

Iam vero coeptus erat clarus haberi eiusque doctrina tanti a fratribus fiebat, ut dignus putaretur, qui iunioribus artem grammaticae et computi traderet[10]. *Alagus quoque et Rainogala canonici Autissiodorenses, qui Wala episcopo Autissiodorensi, i. e. 873—879, inceperunt episcoporum Autissiodorensium historiam conscribere, assumpserunt eum in operis societatem*[11]. *Nec eo setius noluit remanere Autissiodori, sed inde decedens magistri munere*[12] *postea functus est apud Grandivallenses*[13]. *Quod parum ei cessit feliciter, ut ipse adfirmat in libro de computo iam ante Autissiodorensibus scripto, tunc Aspri decani Autissiodorensis*

1) *Heirici annal. SS. XIII 80; cfr. Duemmler Gesch. d. ostfr. Reich.*[2] *II 320. Mirum quantum de Lothario errari Abhandlungen l. c. pag. 392; correxi errorem in Centralblatt f. Bibliotheksw. 1892 pag. 87.* 2) *Cfr. Potthast Bibliotheca histor. med. aevi pag. 718. Boschii editione utor A. SS. Iulii tom. VII 200 sqq.* 3) *Vivo Hlothario scripsit primi libri Invocationem.* 4) *Cfr. Heirici annal. l. c.* 5) *Cfr. infra Vit. Germ. VI v. 638 sqq.* 6) *Commemorat in eis mensem Octobrem a. 873 (Duru II 171). Quod Hugo e Chuonradi comitis familia solus superstes dicitur (ib. pag. 161), non obstat; cfr. Duemmler l. c. I 442.* 7) *Cfr. Vit. Germ. praefationem, ubi Karolum nominat imperatorem; unde eam non ante 875 scriptam esse iure est collectum. Nam in Miraculis quocumque loco res ante 875 gestas narrat, recte regem dicit.* 8) *Notis Tironianis ea exceperat, cfr. Traube Abhandlungen l. c. pag. 371 et Sitzungsberichte l. c. pag. 403.* 9) *Cfr. infra carm. I 1 v. 1 et supra pag. 422 adn. 3. Hildeboldus qui ab Heirico appellatur, eum crediderunt esse Heribaldum episcopum Autissiodorensem, quicunque de Heirico scripserunt; sed obstat et nominis forma et temporis ratio.* 10) *Cfr. supra pag. 422 adn. 1 de Remigio et Hucbaldo Heirici discipulis. Sic Heirici commentaria logica in codice Parisino 12949 olim Sangermanensi 1108 saec. XI. ex., ubi fol. 25*[v] *Pseudo-Augustini Categoriis adscriptum legitur* Heiricus magister Remigii fecit has glossas *(cfr. Cousin Ouvrages inédits d'Abélard et Hauréau Histoire l. c. I 185), tradita sunt per eundem Remigium, quod idem videtur cadere in Heirici commentaria ea, quae spectant ad Persium et Iuvenalem; cfr. infra pag. 424 adn. 3. Alia scholarum ab Heirico habitarum memoria exstat in Ambrosii operum codice Laudunensi 107 (Catalogue général I pag. 93; Ed. Fleury Les Manuscrits à miniatures de la bibl. de Laon I pag. 36), in cuius fronte leguntur haec:* Adalo decano deus benedicat Ericus sprisit *(sic).* Istius didasculi — i. e. magister — matites — i. e. discipuli — sunt isti: Geroldus cantat invitatorium. Hoidilo cantat I. Bertoldus II. Frotulfus III. Tetboldus IV. Serilo V. Gerverus VI. Bevo VII. Rainardus VIII. Frodo IX. Gundvinus primam. Gisleboldus II. Rorico III. Raimboldus IV. Etto V. Euracrus VI. Albertus VII. Ansigisius VIII. Rodulfus IX. *Accedit id testimonium, quod mihi sumo ex Helprici qui dicitur libro de computo: in prologo is (ed. Mabilio Vetera analect. I 116, repetierunt Pezius et Migneus Patrol. lat. CXXXVII 19, correxi ex codicibus Monacensibus):* cum fratribus *ait* nostris adolescentioribus quaedam calculatoriae artis rudimenta communi sermone explicare coepissem, quo eis huiusce quoque non contemnendae ut multi arbitrantur scientiae aliquid impertirem, quos in arte grammatica, prout divina auxiliata est munificentia, aliquatenus introduxeram . . *Haec enim ad Heiricum Autissiodorensem refero, quem totius libelli auctorem esse demonstraturus sum in N. A. XVII (1892).* 11) *Cfr. SS. XIII pag. 398 cap. 39. Edidit Alagi, Rainogalae, Heirici historiam cum continuatoribus Duru l. c. II 309 sqq.* 12) *Quo in munere successisse videtur Isoni grammatico Sangallensi, cfr. quae scripsi De computo Helprici N. A. l. c.* 13) *Moutier-Grandval vel Granfelden in pago nunc Bernensi. Colebatur ibi S. Germanus, sed ab Autissiodorensi diversus.*

iussu iterum emisso. Nec, quantum scimus, in Germani monasterium rediit, praeterquam quod illuc venit legatus pro Grandivallensibus[1]. *Diem quo anno quoque loco obierit, non traditum est; ab hagiographis, qui doctum virum etiam sanctificare voluerunt, sicubi memoria eius adscribitur a. d. VIII. Kal. Iul.*[2], *pia fraus videtur subesse.*

2. Largior dicendi copia, quam quae huic conveniat loco, restat de Heirici studiis grammaticis. Tamen pauca hic quoque subnotanda sunt[3], *quo rectius iudicetur de operibus infra edendis.*

3. Codices[4] *illius operis, quae Collectanea primus Mabilio nominavit, ut propter excerptorum copiam*[5] *erant utiles, ita exstant multi, sed plerique eorum nec boni nec integri.*

---

1) *Helprici (cfr. supra pag. 423 adn. 10) lib. de computo ed. Mabilio Anal. veter. I 113 sqq.:* Domino patri sanctissimo nomine Aspro, moribus autem placidissimo Helpericus *(leg.* Heiricus*)* . . . Exigitis . . ut opusculum, quod nuper rogatu fratrum nostrorum iuniorum de arte compoti . . edideram quodque . . . . dederam uni praecipue eorum . . . et cui illud iam Grandivalle posito (*leg.* –us) direxeram: hoc inquam praecepistis, cum anno praeterito legatione fratrum nostrorum Grandivalle degentium ad vos Autisiodori fungerer, ut transcriptum vestrae paternitati examinandum dirigam . . . Cum enim me divina pietas loco illo restituisset, quo me ad serviendum iam dudum delegerat et unde ego infelix instabilitatis solum modo causa exieram, cum ibidem omnibus bonis abundarem . . ., cum inquam me superna clementia post diuturnam evagationem illuc revocasset . . . non adquievi, sed pristina usus levitate redii, quo me et multa passum recolebam et deteriora passurum non ignorabam . . . quanta enim contumeliarum verba, quot probrorum ludibria, quae et qualia derisionum tormenta deinceps patiar ab his praecipue, qui erant quondam pacifici mei quosque ego apud vos summis laudibus extuli. lingua non valet effari. 2) *Deest in necrologio Autissiodorensi, cfr. supra pag. 421 adn. 1.* 3) *Caesarem videtur legisse Vit. Germ. I 345 et IV 259: quamquam, ubi nominatim adfertur in scholiis ad Germ. Vit. I 1, totus locus ex Anonymi de situ orbis libro excerptus est, cfr. ibidem. De Caesaris scriptorum memoria per medium aevum servata cfr. Manitius Philolog. XLVIII pag. 567, qui praeter cetera egregie fallitur de Notis Iulii (cfr. Mommsen Grammatic. Lat. ed. Keil IV 315), et G. Karo Commentation. philolog. Monachii 1891 pag. 182, qui in hac quidem disquisitionis provincia nondum satis exercitatum se praebuit (cfr. de Scholiasta Lucani Sitzungsberichte l. c. 403). — Horatium non solum norit, sed fortasse primus exstitit in Francia, qui intentius legeret etiam Odas et Epodas. Ex his ubi adfert versus, eius generis codice utitur, quod possumus Floriacense (cfr. Traube Sitzungsberichte l. c. pag. 401 sqq.) dicere, de quo vide Keller Epilegomena pag. 795; in eodem codice fortasse scholia cum metrorum enarrationibus parata erant similia Bernensibus, de quibus egit Usener in Commentatione De Scholiis Horat. Bernae 1863. — Iuvenalem fortasse in scholis legit atque commentatus est, cfr. egregium libellum Iohannis Liebl Die Disticha Cornuti Aug. Aciliae 1888 pag. 36 sqq.; unde in scholiis quibusdam inde a saec. XI. in Iuvenalem scriptis ad Iuven. IX 37 haec Heirici affertur ἀπορία:* Proverbium erat de catamitis dictum: dulces sunt mores, i. faciles et flexibiles, viri mollis. unus pes deest versui Graeco, quem magister Hiericus *(unde factum est postea* Hircus*)* scire non potuit: *cfr. Iahn ad vers. et Liebl l. c.; praeterea vide ad Vit. Germ. I 98. Nec potest dubitari, quin multo plura ex Heirici doctrina futurum sit ut inveniantur vestigia, cum recentioris aeri scholia accuratius erunt pervestigata; id quod pertinet quoque ad scholia in Persium, in Boethium, haud scio an etiam in Prudentium. — De Persio cfr. eundem Liebl. — Petronium eum imitatum esse iam dudum est perspectum; nec mirum est, cum Petronii codex nunc Bernensis olim fuerit Autissiodori, cfr. Usener Rheinisches Museum XXII pag. 413 sqq. et Traube Sitzungsberichte l. c. pag. 401. — Alia non pauca restat ut indagentur; atque exemplorum venatoribus in Heirico campus, in quo excurrant, aperitur multo nobilior saltibus istis, e quibus ambitiose praedam solent reportare Vergilianam. — Parem curam, quam in poetis, Heiricus in tractanda dialectica collocabat: atque commentatus quidem est Pseudo-Augustini Categorias; potest esse is qui commentatus est Augustini Dialecticam; non est commentatus Porphyrii Isagogen a Boethio versam neque magis Martianum Capellam. De tota re vide quae disputaturus sum De computo Helprici.* 4) *De Heirici codicibus cfr. Duemmler N. A. IV 529 sqq. et 572.* 5) *Sic se excipiunt excerpta: Lupus (vide carm. I 11, quod huic parti praepositum est) dictaverat* ex libris

Totum continet opus Parisinus 8818 olim Baluzianus saec. XI/XII. (P), e quo carmen I i et I ii Alfredus Schoene V. C., carmen et I iii et I iv Felix de Eckardt V. C. nobis descripserunt. Idem ac P continet codex saec. XII. nunc Nicaeensis 92 (N), qui fortasse ex exemplo Laudunensi descriptus est; ex hoc carmina I i—I iv edidit Albanès in Catalogue général des manuscrits, Départements tom. XIV (Parisiis 1890) pag. 464 sqq. Tertius, qui his similis erat, Parisinus 18296 olim Corbeiensis saec. X. dudum truncus est[1]*, ut codicis vice utendum sit Mabilionis editione (M), qui in Veterum analectorum tom. I (Parisiis 1675) pag. 413 (editionis II. pag. 422) carmen I i et I ii ex codice impressit nondum mutilato.*

4. Vitae Germani exstat eximius codex olim S. Germani Pratensis 1048 nunc Parisinus 13757 (P), quem haud scio an ipse Heiricus vel scripserit vel curaverit scribendum[2]*. Continet Vitam Germani (fol. 2—86 v°), Miracula Germani, Homiliam quandam ab Augustino compositam (— fol. 159); Vitae addita sunt scholia et inter versus et ad dextram atque sinistram*[3] *a duabus manibus eiusdem aetatis, cuius est quae Vitam exaravit. Hunc contulit Harster V. C. Alter eiusdem aetatis ac notae fuit Bollandistarum 'P. Ms. 4'*

Valerii Maximi memorabilium factorum vel dictorum *(cfr. Traube Abhandlungen l. c. 371 et Sitzungsberichte l. c. 389 sqq.; haec excerpta e codice Cusano, ubi exstant tamen mutila, edidit Ios. Klein Über eine Handschrift des Nicolaus von Cues pag. 119 cfr. Halm in Iahrbücher für class. Philologie ed. Fleckeisen XII 1866 pag. 627: praeter Cusanum in multis libris seorsum traduntur, ut in codice Guelferbytano, de quo cfr. Valer. Max. ed*[1] *Kempf pag. 70, et in codice Monacensi 14736; usus est tali epitome etiam Vincentius Belloracensis),* ex libris Suetonii Tranquilli de vita Caesarum *(cfr. Traube Abhandlungen pag. 372; etiam haec singillatim tradita occurrunt cfr. Sueton. ed. Roth pag. XXXII); Haimo (vide carmen I iii ab eo dictatis praefixum)* scolia quaestionum *ex Scriptura et Patribus proposita; Eliae Scottigenae, nisi fallor, debentur quae sequuntur sententiae* philosophorum *i. e. Pseudo-Caecilii Balbi sylloge, quae a Woelfflin et Meyer Spirensi φ vocatur (Traube Abhandlungen 369 sqq.), alia similis sententiarum sylloge, quam alio loco editurus sum,* sententiae de libro prognosticorum *Iuliani Toletani,* ex Solini memorabilibus *(= Solin. ed. Mommsen pag. 21, 11—30, 7),* e septem miraculis mundi *(cfr. Omont Bibliothèque de l'école des chartes XLIII pag. 43 sqq., parum accurate e scidis meis edidit Schott De septem orbis spectaculis quaest. Anshachii 1891 app. II): sequitur carmen I iv, cui uno versu interiecto in N subiuncti sunt hi versus (cfr. Albanès l. c. pag. 466):*

Hoc signum iussit presul componere Dido,
Personet ut sancte sacro sub honore Marie
Horis distinctis pulsato sidere celi,
Quo surgant cuncti cantantes carmina Christo.
Virgo Maria dei genitrix, presul tibi Dido
Hoc tribuit signum, quo tecum vivat in evum.
Pulsetur, surgant fratres cum laude sophie,
Laudetur Christus rectorum rector ubique.

Delicaverat campanae titulum Dido episcopus Laudunensis, cfr. me Abhandlungen l. c. pag. 392. — Non sunt adnumeranda Heirici Collectaneis ea, quae e Iustino excerpta in eodem libro Nicaeensi ante Valerium Maximum leguntur.

1) *Cfr. de codice supra pag. 44 et Mabilio Annal. II (anno 1704) pag. 627: 'exstant excerpta (Heirici) in vetere codice Corbeiensi (i. e. Parisino 18296), cum praefatione, recens avulsa et amissa, quae in tomo primo Analectorum opportune a nobis olim (anno 1675) edita est.' Carmina I iii et I iv nescio an unquam in codice adfuerint.* 2) *Cfr. Leopoldus Delisle Le cabinet des manuscrits I pag. 5 adn. 4.* 3) *Scholia quamquam tiro exaravit in Parisino — de Lugdunensi nihil constat —, non dubito, quin Vitae ipse Heiricus voluerit adicere. In editione horum duo quae sunt genera ita a me inter se disiunguntur, ut, quae inter singulos versus occurrunt, ea exhibeam textus verbo, ad quod referantur, uncinum] adiciens, post ea non interpungam; cetera primis quibusque literis maiusculis distinguo aut, ubicumque cum priore genere sunt coniungenda, hoc signum —. praefigens.*

Lugduni ab Henschenio emptus, e quo Petrus Boschius Antverpiae 1731 in A. SS. Iulii VII pag. 221 sqq. ediderat Vitam, Miracula, Homiliam a Heirico scripta[1]. *Qui nunc ubi lateat, ignoro; quam quoque loco exhibuerit lectionem, e diligentissima Boschii editione satis intellegitur. Utroque libro qui usus fuerit, eum vix quicquam deficiet ad Vitae scholiorumque textum ad artis normam constituendum*[2]. *Propterea ceteros Vitae codices*[3], *si qui essent non mutili, totos conferre inutile esse videbatur, inutilius discrepantias eorum subnotare. Nam a Parisino atque Lugdunensi ubicunque dissentiunt, interpolati sunt quam maxime, ut codex Belfortianus, quem Petrus Pesseliacrus in principe, quam Parisiis apud Simonem Colinaeum 1543 curavit, editione ducem est secutus. Pesseliacrum igitur ne ibi quidem laudo, ubi contra Parisinum facit cum Boschio vel Lugdunensi. Sprevi quoque Barthii*[4] *coniecturas tantum non omnes, quas ille, dum novam Germani vitae editionem molitur, qua erat intemperantia, profudit reliquitque Adversariis postea inculcandas.*

1) *De Lugdunensi Boschius pag. 192: 'contulimus (poema) cum codice nostro P. Ms. 4, quem, quia Lugduni coemit olim Henschenius, Lugdunensem appellabimus. Nihil eo correctius, nihil in hoc genere, meo quidem iudicio, vetustius: nam si characterem spectes, omnino referes ad seculum nonum vel decimum; si vero annotationes eadem plerasque manu, sed minutioribus litteris, aut inter lineas aut ad marginem appositas; ipsum continuo Heiricum fuisse dices, qui eas vel scripserit vel dictaverit; adeo singularem ipsius per ea tempora propriamque cum in re theologica, tum praesertim in poetica eruditionem spirant: notas tamen sive poeticas sive grammaticales, cum ad rem nostram non faciant, negligendas putarimus . . Continet idem ille codex Lugdunensis praeter sermonem in solennitate S. Germani recitandum, etiam libros Heirici duos de Vita et Miraculis eius.' Idem pag. 285: 'legitur (Sermo Heirici in solemnitate S. Germani recitandus) . . ante utrumque librum de vita et miraculis.' Diversus igitur est a Parisino Lugdunensis; nam nec fata utriusque inter se congruunt nec congruunt quae continent scripta. Accedit, quod Parisino plura scholia continuit Lugdunensis, ea scilicet, quae nos sic ⟨ ⟩ inclusimus.* 2) *De rebus orthographicis dictum est in apparatu critico: ego Heiricum vel eius scribam in his paulo sibi constantiorem reddidi; a scholiis tamen corrigendis fere abstinui.* 3) *Cfr. Duemmler N. A. IV 529 sq. et Delisle Inventaire alphabétique (1891) pag. 298.* 4) *Idem Barthius in Adversar. lib. XXXIV cap. 20 (ed. Francofurti 1648 pag. 1580 sq.) haec posuit: 'Monachi suo seculo eruditissimi et imitatoris veterum scriptorum non plane absurdi Herici Altissiodorensis duos codices manu exaratos indeptus sum, alterum quidem Genevae meum aere feci; alter servatur in bibliotheca Argentoratensi. In utroque libro sequitur poema ipsum Germanidem, ut appellare collatione maiorum auctorum libet, hymnus in heroem illum Christi, qui editus, ut arbitror, hactenus non est, in exemplari autem Argentinensi valde corruptus, in nostro mancus est; sed utriusque collatione ita constitutus a nobis, ut legi mereatur citra offensam. Is est iste.*

Sublime festum seculis
Germanus ammirabilis.
Hymnis resultant sidera,
Testatur orbis Italus,
Testatur, ecce, Gallia,
Testatur et Britannia.
Quo nemo post Apostolos
Miraculis celebrior.
Eliminantur Daemones,
Revulsa maerent Tartara,
Caduca dum post funera
His te beatum mercibus
Fessumque Christus visitat.

Germane, dicens, inclytam
Duc in triumfum patriam.
Quo te beata trinitas
Invitat ad perennia,
Victrice clarum laurea.
Sublime festum seculis
Indicit annus versilis.
Est huius index luminis
Pollens magistri gloria.
Claris frequens virtutibus
Erroris unco libera.
Testatur orbis Italus,
Testatur et Oceanus.
Bis navigando pervius.

Eliminati Daemones
Non verba non praesentiam
Tanti ferentes praesulis,
Clamore caelum concitant.
Revulsa maerent Tartara
Plaudunt canore terrea.
Damnisque Mors illacrymans
Vitae refundit corpora.
Reposcit aether igneus,
Superna laudat civitas.
Superfuturus sidera
Nunc te, beata Trinitas,
Laudando cernit adfatim
Cernendo vivit perpetim.'

Idem Hymnus videtur in eo exemplari fuisse, ad quod Bongarsius editionem principem contulit (cfr. Hagen Catalogus codicum Bernensium pag. 532 s. v. Hericus); inde tamen non retulit nisi primum versum.

I.

1.

Hildebolde, tuae requies et gloria plebis,
Magnus honore soli, maior amore dei,
Excipe dignanter, quod porrigit ecce pudenter
Heiricus capitis plenus amore tui.
Porgere parva pudet, cum maxima tu merearis,
Attamen ex minimis pendere magna decet.
Quique dat hoc modicum, iam plus tribuisse probatur:
Quod qui est quodque potest, is tibi nempe dedit.
Hic praeceptorum sunt ludicra pulchra duorum,
Quis ego praesulibus ingenium colui.
His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato,
Cum quid ludendum tempus et hora daret.
Humanis alter, divinis calluit alter:
Excellet titulis clarus uterque suis.
Haec ego tum notulas doctus tractare furaces
Stringebam digitis arte favente citis.
Nec prius illa tamen liquido disponere versu
Cura fuit, nisi nunc cum tibi danda forent.
His inquam, his animum, pater, oblectare memento,
Cum tibi curarum pondere pectus hiat.

[I.] [1.] *fol.* 1 r *P fol.* 119 r *N* 1 Hiedebolde *N* Hildebode *P* tue *etc. N* 2 honore dei *M* 3 prudenter *M* 4 Henricus *N* 7 Quiq;|; *in l. r. add. m. 2 P* tam *N* 8 Quodq; est *M* 9 pulera *M* 13 calluit] a *corr. ex* o *m. 2 P* 14 Excellit *M* 17. 18. 19 *om. N* 17 Hec *P* illa tamen] illata mihi *M* (illa mihi *Mabil. Annal. II* 628) 18 dada *corr. P* dando *M* 19 inquam his] violis *M*

Diversus est a Barthii hymno is, qui fuit in Bollandistarum codice Lobiensi, de quo Boschius pag. 238: 'hic (i. e. post Vitae Germani librum tertium) sequebatur in solo Ms. Lobiensi Hymnus in Sancti festum, ut fere excusus est in antiquis Breviariis Autissiodorensibus ad utrasque vesperas.' Norimus hunc, etsi de initio tacet Boschius, ex Analectis liturgicis, quae Weale collegit Parisiis 1889 sqq. pag. 413; incipit:

Moduletur vox amoena
vox suavis, vox serena,
vox devotione plena,
Germani praeconia.

Praeterea exstant duo hymni a. G. Morel in Lateinische Hymnen des Mittelalters pag. 236 sq. editi, qui originem ducunt ex Italia. Hi omnes non est dubitandum quin alieni sunt ab Heirici musa. Nec iure ad eum retulit fragmenta quaedam titulorum nuper Autissiodori detecta M. Prou in Inscriptions carolingiennes des cryptes de St. Germain d'Auxerre Gazette archéologique 1888; nam versus

— ⏑⏑ leva tenent beatorum corpora quorum

non eius modi est, quem admiserit Heiricus. Reieci etiam duo carmina in codice Parisino 12949 Heirici commentariis subiuncta (apud Cousin l. c. pag. 621 et 623, cfr. supra pag. 421 adn. 1), ut quae non ab ipso scriptore, sed a librariis essent addita. De altero accuratius dixi in N. A. 1892.

[I.] [1.] 1 *Hildeboldus episcopus Suessoniensis* 871—884; *cfr. supra pag.* 423. 11 *Lupus illustrissimus abbas Ferrariensis, Haimo magister fortasse Autissiodorensis: cfr. supra pag.* 421. 15 notulas *sc. Tironianas cfr. supra pag.* 423 *adn.* 8.

His naturalem frontis vultusque nitorem
Accumula, quoties laetior esse voles.
Hoc si tranquillo sumens dignabere vultu,
Mox commentandi gratius ardor erit.

II.

Haec Lupus, haec nitido passim versabat in ore
Compensans aptis singula temporibus.

III.

His quoque discipulos mulcebat plausibus Haimo
Iocundus lepidos doctus amare iocos.

IV.

Dextram, quaeso, meam rector confirmet Olympi,
Hostes quo sternat porrecto caelitus ense.
Proelia nostra deus celsa de sede polorum
Derigat attollens nobis ex hoste triumphum.
Dextera celsithroni det nobis, posco, salutem
Hostibus ex nostris sacro pugnante mucrone.
Sit tibi, clare, salus; maneat quoque gloria perpes:
Victor cum Christo regnes cum rege superno:
Pax tecum maneat, vivas per saecula longa.

II.

COMMENDATIO SEQVENTIS OPERIS AD GLORIOSVM REGEM KAROLVM PER EPISTOLAM FACTA.

Immortalibus sceptris praedestinato regumque omnium praecellentissimo Karolo perpetuo triumphatori ac semper augusto Heiricus coenobitarum extimus instantem ac perpetuam in domino felicitatem.

Quoties memoria replico altitudinem vestram sceptra paterna non modo virtute, consilio prudentiaque regere, verum etiam non minore studio ex intimis sapientiae speculis verae pulchritudinis colores ducere hisque tempora perditis foedata moribus informare: subinde in spes optimas erigor eiusque saepenumero, quae ante nos dicta

21 fontis *corr. P* 22 Accumulat *N* quotiens *M* 24 commentandi] comm.'.an *M* *post* 24 *duo versus penitus erasit P* [II.] *cum* I *coniungunt M N* [III.] *fol.* 29ᵛ *P fol.* 135ᵛ (?) *N* [IV.] *fol.* 67ᵛ *quod difficile legitur P fol.* 156ᵛ *N* 1 queso *P* rector confirmet] regnator *N* 4 Drigat (?) *P* Dirigat *N* 5 *Drtia (?) *P* Cezia *N* 6 muchrone *N* 7 *claro *P* clara *N*

[II.] *Titulum et primam textus litteram rubro colore scripsit P* 1 predestinato *et sic rarissime* e *pro* ae *P* 2 Heiricus *codice non significato (cfr. praefationem eius pag.* 192: Heiricus *vel ut in veterrimis Mss. ipse se nominat* Heiricus*) Bosch* hericus *P* 3 felicitatem *et sic saepius* e *pro* ē *et* ē *(ut* eminere educare cepi loquela habena quietus cotidie proluvie epistola pretium preces presbiter pietas fore omne maxime *vocativ. etc.) P*

[I.] [IV.] *Num Heiricus epilogum composuerit, iniudicatum relinquo.* 7 tibi *i. e. Hildeboldo episcopo Suessionensi?*

[II.] *Cfr. supra pag.* 423 *de toto opere Karolo Calvo a.* 875—877 *dedicato.*

est, sententiae veritate repungor 'felicem fore rempublicam, si vel philosopharentur reges vel philosophi regnarent.' Quanquam non insciens sim eam, quae nunc respublica dicitur, usque adeo vitiorum omnium proluvie obsolevisse, ut de eius salute merito desperetur a pluribus, quod nec virtute subigi nec sapientia patitur moderari. Multa sunt vestrae monumenta clementiae, multa simbola pietatis: illud vel maxime vobis aeternam parat memoriam, quod famosissimi avi vestri Karoli studium erga inmortales disciplinas non modo ex aequo repraesentatis, verum etiam incomparabili fervore transscenditis, dum quod ille sopitis eduxit cineribus, vos fomento multiplici tum beneficiorum tum auctoritatis usquequaque provehitis, immo (ut sublimibus sublimia conferam) ad sidera perurgetis. Ita vestra tempestate ingenia hominum duplici nituntur amminiculo, dum ad sapientiae abdita persequenda omnes quidem exemplo allicitis, quosdam vero etiam praemiis invitatis.

Huc accedit illud veritatis inexpugnabile argumentum, quo se vestra singularis prudentia contra emergentes forte querimonias circumspecta satis ratione tuetur: ne enim nostra inertia, quae suam sponte amplectitur caecitatem, velum sibi excusationis de ignorantia obduceret neve de praeceptorum inopia merito causaretur, id vobis singulare studium effecistis, ut sicubi terrarum magistri florerent artium, quarum principalem operam philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem undecunque vestra celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas provocaret. Luget hoc Graecia novis invidiae aculeis lacessita: quam sui quondam incolae iamdudum cum Asianis opibus aspernantur, vestra potius magnanimitate delectati, studiis allecti, liberalitate confisi; dolet inquam se olim singulariter mirabilem ac mirabiliter singularem a suis destitui; dolet certe sua illa privilegia (quod numquam hactenus verita est) ad climata nostra transferri. Quid Hiberniam memorem contempto pelagi discrimine paene totam cum grege philosophorum ad littora nostra migrantem. Quorum quisquis peritior est, ultro sibi indicit exilium, ut Salomoni sapientissimo famuletur ad votum.

Itaque, Caesar invictissime, paene est, ut universus orbis novas in te struat controversias, novis adversum te declamationibus invehatur: qui dum te tuosque ornamentis sapientiae illustrare contendis, cunctarum fere gentium scolas et studia sustulisti: sublatis enim praeceptoribus confine et consequens est facile omnium ingenia otio congelasse. Ita namque spretis ceteris in eam mundi partem, quam vestra potestas complectitur, universa optimarum artium studia confluxerunt, ut verisimile habeam iamdudum eas humanae perosas inertiae terris paenitus excessisse, nisi vestrae integritatis amplitudine tenerentur: in qua etiam unicum suae professionis culmen ac fastigium (ut palam eminet) mirabiliter collocarunt. Hinc est, quod, cum sit perantiqua sententia 'silent leges inter arma', haec tamen tam belli quam pacis tempore apud vos plurimum semper obtinent dignitatis: ita, ut merito vocitetur scola palatium, cuius apex non minus scolaribus quam militaribus consuescit cotidie disciplinis. Quicquid igitur litterae possunt, quicquid asseeuntur ingenia, vobis debent: vobis, inquam, qui natus ad agendum semper aliquid dignum viro cum virtute praecellitis tum etiam sapientia refulgetis.

---

1 repungor *codice non significato Bosch.*] repugnor *P et Quercetano teste (SS. II 470) cod. Laudunensis* 6 famatissimi *Bosch.* 10 aminiculo *P* adminiculo *Bosch.* 24 poene *et sic fere etiam* poenitus poenes *P* 25 quisquis *Bosch.*] quisq; *P*

1 *Iul. Capitolin. M. Antonii vit. 27* sententia Platonis semper in ore illius fuit florere civitates, si aut philosophi imperarent aut imperantes philosopharentur; *cfr. Boeth. Consolat. I 4 pros., Prudent. contra Symm. I 30, Walahfrid Strabo carm. XXIII 256 tom. II 378.* 20 Asianis *cfr. Hieronym. I 935 Vall.* 36 *Cicero pro Mil. 4, 10* silent enim leges inter arma; *cfr. Hieronym. I 949 Vall.*

Quorsum ista protulerim, illud in causa est: divae memoriae Hlotharium vestrae filium maiestatis, annis puerum, mente philosophum, ingenue confiteor animi indole et sollertiae opibus (ut vobis uni concedam) prae caeteris sui aevi mortalibus extitisse pretiosum. Is, quod vestra dispositione et deo devotus et beato Germano ad educandum fuerat commendatus, tantum devotionis in sanctum, tantum ardoris in locum conceperat, ut vitam illius mors livida nobis merito invidisse putetur. Cumque esset divini puer ingenii atque erga rerum notitiam summe studiosus, contigit eum in una dierum libri cuiusdam paenita perscrutantem geminas epistolas offendisse: in altera earum sanctissimus Aunarius, sextus post beatum Germanum Autissioderi episcopus Stephanum Africanum presbiterum, ut vitam eiusdem sanctissimi patris nostri Germani metrica ratione digereret, precibus ambiebat; in altera idem Stephanus praefato se pariturum pontifici ex rescripto significabat. Quarum formam epistolarum hic quoque interseri obtimum factu iudicavi, ut ratio regiis auribus insinuanda omnem ambiguitatis scrupulum valeat eluctari.

EPISTULA AUNARII EPISCOPI AD STEPHANUM PRESBITERUM PROVINTIAE AFRICAE. „Dilectissimo atque amantissimo et internae michi vinculo caritatis conexo fratri Stephano presbitero Aunarius gratia dei episcopus in domino aeternam salutem. Tuae nobis doctrinae multis iam experimentis adprobata prudentia compulit nos quandam tuis humeris imperiosam superponere sarcinulam: sed eam, quae tibi non sit oneris, sed honoris; nec quae deorsum iniquo pondere premat, sed quae potius coelum usque sustollat. Cognitum tibi est, karissime frater, quae sit humanarum mentium diversitas et quemadmodum studia in contraria non solum inane vulgus, verum etiam universa scindatur nobilitas. Et quidam quidem prosaico oblectantur stilo, quidam autem numeris se rithmisve ac cantibus versuum delectari fatentur. Ergo ut omnium votis occurrerem et nullus suo desiderio fraudaretur, placuit michi, ut vitas beatissimorum professorum quasdam pede libero describerem, quasdam vero lege metrica impeditas digererem. Ob quam rem obsecro unitam michi tuae dilectionis amicitiam, ut beatissimi Germani episcopi vitam in versuum qualitatem commutare non desistas, sancti vero Amatoris prosaica modulatione describas: ut sectatores apostolicae praedicationis effecti omnibus omnia efficiamur et nulli quicquam debeamus, nisi ut invicem diligamus. Individuam michi caritatem vestram divina custodiat pietas, venerabilis frater."

RESCRIPTUM ANTEFATI PRESBITERI: „Domino beatissimo et apostolicis infulis decorato patri spiritali Aunario episcopo Stephanus omnium servorum Christi famulus. Decursis litteris apostolatus vestri, quo sancti desiderii ardor summa alacritate pertendat, luce clarius approbavi. Est igitur devotionis vestrae propositum virorum opinatissimorum Germani et Amatoris floridae vitae nobiles actus describere. Sed ad eos lepidissimi callis vestri dirigatur intentio, qui possunt virtutum lumina aequiperis affatibus inspicare. Verum ego, cuius iners ingenium genuino rigore torpescit et lingua balbutiens faucium inter raucidulos cursus squalido situ impedita non loquitur, potius sed stridet: quomodo potero divinitus inspirata virorum sanctissimorum munera polito expedire sermone, qui nec privata possum humano casu congesta negotia explicare? Ridiculo (ni fallor) inexplicabili ac ludibrio semet impedit, quisquis ultra virium suarum possibilitatem onus assumit. Nonne ferarum sectatores, si minus catiosa

1 p̃tulerim *P* 2 profiteor *Bosch.* 19 oneri sed honori *Bosch.* 26 libero pede *corr. P* 28 amitia m *corr. P* 33 PRESPITERI *P* 39 inspicere *Gesta* 41 sed stridet potius *Bosch.* 42 confecta *Bosch.* 43 impendit *P Gesta* 44 captiosa *Bosch. cfr. Woelfflini Archiv. VII* 183

1 *De Hlothario Karoli Calvi filio cfr. supra pag.* 423. 15 *sqq. Aunarii Stephanique epistolae repetitae leguntur in Gestis episcoporum Autissiodorensium (cfr. supra pag.* 423), *apud Duru l. c. I* 330 *sqq.*

industria formaverit, audax temeritas pessumdabit? Numquam tiro victoriae monumenta parma depicta gestabit, si eum docta veterani exempla non instruxerint. Numquam etiam aeris sibi concessum patulum iter ales tutus resecabit, cui praevia dux penniger mater non fuerit. Iacebit profecto fluctuum elisione truncatus, quisquis suae procacitatis fisus auctoramento indocilem ratis dexteram ingerit clavo. Sic unusquis(que) in diversum imperitiae hamo inscinditur, si doctorum favoribus minime adiuvetur. Ergo, beatissime vir, quaeso, ut illa michi culmen apicis tui imponat, quae facile me posse perficere non dubitat. Si tamen et in hoc opere, quicquid inlepide aut infacete rustica garrulitas digesserit, aequanimiter feras, aggrediar et faciam, quae paterna imperat ac iubet auctoritas. Vale longum in tempus, domine semper meus et apostolice papa."

His sollicita lectione decursis tandemque relatu assistentium huiusmodi opus penes nos nunquam et nusquam paruisse comperiens, multa animositate correptus, quod tantum opus frustra hominum notitiae deperisset, per dies aliquot internis animi angoribus carpebatur. Tandemque me, qui tum recens scolis emerseram, convocato dolorem aperit intestinum: utque ei, si qua possem, ratione mederer, importunius contestatur: scilicet ut, quod elaboratum quondam in praefatis epistolis legerat, iterarem actusque Germani praecellentissimos a prosa in metrum desideriis illius satisfacturus transfunderem. Expavi (fateor) negotium et supra vires esse reputans, quod imponebatur, quoad potui, colla subduxi. Obiectu tandem regularis capituli addictus, quod etiam impossibilia praecepta abbatis minime refugienda praescribit, suscepi quidem (ut par erat) iubentis imperium, quanquam nulla virium conscientia, verum, ut institutio praemonet regularis, de caritate confidens et de adiutorio dei oboediens. Vix primas operis partes attigeram: ut (heu misera humanae condicio sortis) abbas ille meus, propediem futurus in orbe terrarum mirabilis, teneros excedens artus intempestiva saeculum morte deseruit. Hic casus tam lugubris, tam acerbus omnia michi studia, omnes curas excusserat, nisi probabilis illa sententia animo subvenisset 'dolorem tempore minui, quodque diuturnitas allatura esset, quae maximos luctus vetustate tollit, id nos anteferre consilio prudentiaque debere.' Hac cogitatione animum impuli, ut vivo morigeratus fueram, etiam mortuo obsequi inque defuncti gratiam coepto operi perfecti(onis) pertinaciam admovere. Institi, ut potui: et non invita Minerva voluntati bonae laxas permittens habenas conceptos interdum luctus Musarum colludio tanquam noti cuiusdam medicaminis arte levabam.

Confectum sane opus in publicum edere displicebat, quod, cui illud destinarem specialiter, non satis animo deliberaveram. Diu cunctanti vos, Caesar praecellentissime, vos inquam intestatae prolis heres proximus occurristis: eius bona ad vos lege redierunt. His animo subductis ausum coepi hoc litterarum ad vestram maiestatem praemittere, quae sequentis operis continentiam praestructo rationis ordine commendarent. Habe igitur post funus dilectissimi filii hereditarium pignus, quo et defuncti memoriam suaviter refricare et integre fidelis famuli devotionem advertere valeas; qui te nullo modo passus sum extremi saltem muneris utilitate fraudari.

Confeci praeterea ex miraculis praecellentissimi Germani opusculum aliud geminis distinctum libris: in quo quia vestri tum nominis tum temporis mentio frequentius

---

1 tyro *P (?)* 2 parma quod est picta *Gesta* exempli manus u. instruxit *Gesta* 3 sibi concessum *om. Bosch.*: *scripserat Stephanus* sibi concessum iter ales tutus (tutius *Gesta*) reserabit 4 pennier *corr. P* 6 unus quis *P* 9 ut faciam *P* 24 et heu *Bosch.* 30 perfectinaciam *P*

27 *Cicero ep. ad. fam. V 16,5* nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quae maximos luctus vetustate tollit, id nos praecipere consilio prudentiaque debemus. 42 *De Miraculis supra p.* 423.

agitur, vestrae nichilominus illud malui celsitudini dedicandum. Accipe et hoc eumque erga Germani reverentiam animum concipe, qui regiam sane deceat maiestatem. Et quanquam astuti sit omnia ad suam utilitatem referre, in hoc tamen et pro hoc, quantusquantus est, labore beati potius Germani laudem quam personae propriae requiro favorem: quem quanti faciam, facile pernosse potestis, si nostri tenorem carminis ordine percurratis. Longi itaque sudoris usuram eam captare percupio, ut glorificetur deus in miraculis, qui voluit esse ammirandus in sanctis; ut sanctissimo Germano in terris veneratio crescat et gloria, qui hanc in caelestibus optinuit per honorum operum incrementa; ut adquiratur aedificatio legentibus, pax credentibus, salus imitantibus, immortalitas in fide perseverantibus. Qua ut perpetuo polleas, et optamus et indefesse oramus, regum maxime, triumphator perpetue ac semper auguste.

SEQVITVR INVOCATIO FALLEVCIO ENDECASYLLABO EXPLICATA.

Aeternum specimen decusque rerum,
Causarum series, origo lucis,
Naturae columen paterque veri,
Fons et principium bonique summa,
Hac te suppliciter canemus oda:
Oramus, capias ab ore munus.

O fecunda *ΤΡΥΑΣ ΜΟΝΑΣ*que simplex,
Seu te distribuant *ΕΛΛΗΝΑΣ ΚΑΤΑ*
ΟΥΣΙΑΝ ΜΙΑΝ ΕΙΣ ΤΡΕΙΣ ΥΠΟΣΤΑΣΕΙΣ,
Seu sicut Latius fatetur orbis
ΜΙΑΝ ΥΠΟΣΤΑΣΙΝ ΤΡΙΑ ΠΡΟΣΩΠΑ:
Idem semper es, idem ipse constas.

Gignens ingenitus pater vocaris;
Te natum genitum sophia plaudit;
Vivax spiritus ex utroque manas
Personisque tribus sacramus unam,

1 dedicatum *Pessel.* || 1 *sq. duorum primorum versuum singulos pedes, sicut in sequentibus quoque libris, distinxit P*

Scholia — Falleucius versus constat spondeo dactilo tribus trocheis (*cfr. Lupus De metris Boethi Consolat. ed. Peiper pag. XXV* 26; *sed vide etiam Reifferscheid in Bursiani annalibus XXIII a.* 1880 *pag.* 260 *et Prudentii codices*). 5 *ΟΔΗ* grece cantus dicitur. 6 Munus ab ore est laus sicut munus a manu donum. 7 fecunda] ob tres personas *T. M.*] trinitas unitas 8 *E. K.*] Grecos iuxta 9 *O. M. E. T. Y.*] essentiam unam in tres substantias. — Differentiam facit sanctus Dionisi(us) ceterique doctores Greci inter *ΟΥΣΙΑΝ* id est essentiam et *ΥΠΟΣΤΑΣΙΝ* id est substantiam, *ΟΥΣΙΑΝ* quidem intellegentes unicam illam ac simplicem divine bonitatis naturam, *ΥΠΟΣΤΑΣΙΝ* vero singularum personarum propriam et individuam substantiam. Dicunt enim secundum illum priorem Grecum versiculum unam essentiam in tribus substantiis. Sanctus autem Augustinus ceterique patres Latialiter scribentes fidem sanctae trinitatis exprimunt dicentes unam substantiam in tribus personis. Una eademque fides est in omnibus, quamvis significationum diversitas videatur (*cfr. Iohannes Scottus De divisione naturae II* 34 *ed. Floss pag.* 613).

Unam colligimus in his *ΘΕΩΤΕΝ*,
Quae sic dicta placet, quod omne cernat

Seu quod sic potius per omne currat,
Ut nusquam tamen extra se feratur,
Cum sit motus et idem ipse status
Et motus stabilis, ut olim aiunt,
Status mobilis atque: sic priores
Dixisse invenio et peritiores.

ΩΝ substantificum *ΤΟΠΟΣ*que rerum,
Per se ipsum bonitas, *ΙΔΕΑ* mundi,
Per se ipsum sapiens, *ΑΝΑΡΧΟΣ* idem.
Non est, nam superest et esse praestat,
Hoc non est nec hoc est, sed exstat omne,
Non hic, non ibi, sed per omne totus.

ΜΙΚΡΟΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟΣ ΜΕΣΟΣΤΕ ΘΕΟΣ,
ΜΙΚΡΟΣ, dum minimis opem ministrat,
ΜΕΣΟΣ, intima dum gubernat aeque,
In magnis *ΜΕΓΑΛΟΣ* probatur idem:
Sic parvis, mediis adestque magnis
Ipse individuus manensque totus.

ΩΝ ΑΡΧΗ ΜΕΣΟΝ ΩΝ ΤΕΛΟΣΤΕ ΠΑΝΤΩΝ,
Ex ipso quoniam, per ipsum atque
Sunt, quaecumque vigent, ad ipsum aeque
Tendunt omnia tamquam ad quietem.

Scholia — 17 *ΘΕΟΣ*, quod est latine deus, aut a verbo, quod est *ΘΕΩΡΩ* id est video, dirivatur aut ex verbo *ΘΕΩ* id est curro aut, quod probabilius est, quia unus idemque intellectus inest, ab utroque dirivari recte accipitur. Nam cum a verbo *ΘΕΩΡΩ* deducitur, *ΘΕΩΣ* videns interpretatur; ipse enim omnia, quae sunt, in se ipso videt, dum tamen nichil extra se ipsum aspiciat, quia nichil extra ipsum est. Cum vero a verbo *ΘΕΩ*, *ΘΕΩΣ* currens recte intellegitur: ipse enim in omnia currit et nullo modo stat, sed omnia currendo implet, ut illud (*Psalm. 147, 15*): 'velociter currit sermo eius', attamen nullo modo movetur. De deo siquidem verissime dicitur: motus stabilis et status mobilis. Stat enim in se ipso incommutabiliter numquam naturalem sui stabilitatem deserens, movet autem se ipsum per omnia, ut sint ea, quae a se essentialiter subsistunt; motu enim ipsius omnia fiunt (*Iohannes Scottus De div. nat. I 12 ed. Floss pag. 452 cfr. Heiricus in Augustini Dialect. apud Hauréau De la philos. scolast. I 136*) 25 *Ω*.] ens *T*.] omnia quippe intra ipsum sunt. — *ΩΝ* secundum Dionisium a Grecis essentia dicitur divina. Interpretatur autem propriç ens, id est qui est vel magis quod est, quia *ΩΝ* neutrum est 26 P. s. i. b.] quia per se ipsum particip[i]at summum bonum. Cetera enim bona non per se ipsa summum bonum participant, sed per eam bonitatem, que est per se ipsam summi boni prima participalis. Sic de ceteris. *IΔΕΑ*] species vel exemplar 29] ait Dyonisius: 'Deus non hoc est, hoc autem non est, sed omnia est' (= *Iohannes Scottus l. c. III 19 pag. 682*) 30 Non hic] id est non est locatus (locatis *P*) 31] parvus et magnus medius deus 37] ens principium medium eus finisque omnium. — Est igitur principium deus et medium et finis. Principium quidem, quia ex se sunt omnia, quae essentiam participant. Medium autem, quia ex ipso et per ipsum subsistunt atque moventur. Finis vero, quia ad ipsum moventur quietem motus sui id est sue perfectionis stabilitatem qu(a)erentia (= *Iohannes Scottus l. c. I 11 pag. 451*)

31 *ΤΕΟΣ P inde a v. 36, fol. 7 v, quaequae sunt scholia ab alia manu scripta videntur*

23 *sq. Loquitur de Iohanne Scotto (qui est inter* peritiores*) Graecorum (qui* priores *sunt) doctrinam explananti, cfr. schol. ad v.* 17. 28 *Praeter ea, quae ipse in scholiis indicavit, multa e Iohannis Scotti Divisione naturae sumpsit, ubi e. g. I 3 pag.* 443 *legitur:* 'Esse' inquit (*Dionysius Areopagita*) 'omnium est, superesse divinitas.'

Ipsum *ΠΡΟΤΟΤΥΠΟΝ*, eundem ipsum
Affirmant nichilum, plus ut stupescas.

Incomprehensibilis quod extet omni
Naturae superans *ΝΟΕΡΟΣ ΛΟΓΟΣΤΕ.*
Qui dum non capitur, nichil vocatur;
Apparet quoties *ΘΕΩΦΑΝΙΙΣ,*
In quiddam ex nichilo venire fertur:
Scribunt hoc nichilo creata cuncta.

Hinc est, quod tenebrae vocatur idem;
ΨΑΛΜΙΣΤΕΣ etenim sacer sic inquid:
'Sicut sunt tenebrae sic lumen eius',
Optanti quoniam, sed haud valenti
Speclari tenebrae putantur atrae,
Non accessibilem colitque lucem.

Cum se sic habeant fluenta veri,
Ultro concipias subest necesse:
Nullis nos animis, lepore nullo
De vero proprium bonoque summo
Praefinire deo nec esse promptum,
Qualis, quantus item, quis esse possit.

Oratu melius propinquiusque
Legabis, animo si quid subornas:
Orari placidis vult ille verbis
Largiri facilis, dedisse promptus.
His ergo modulis adito patrem,
Patrem cum genito piumque *ΠΝΕΥΜΑ.*

Lux et nostra salus redemptioque,
Largitor *ΦΥΣΕΟΣ ΚΑΡΙΝ*que praesta
Lumen glaucividas agens in umbras;
Caecis *ΕΜΠΥΡΙΟΣ* reclude caelos:

Scholia — 41 *Π.*] principale exemplar (*cfr. e. g. Ioh. Scott. l. c. I 7 pag. 446*) 44 *Ν. Λ.*] intellectus rationesque 45 Nichilum vocatur deus non per privationem essentiae, ut aliquid non sit; sed per excellentiam, quia plus quam aliquid est. Dum enim super omnia qu(a)eritur, in nulla essentia invenitur. Dum ergo incomprehensibilis intelligitur, per excellentiam nichilum vocatur. At vero in suis teophaniis incipiens apparere veluti ex nichilo in aliquid dicitur procedere (= *Iohannes Scottus l. c. III 19 pag. 681*) 46 Theophania est, ut ait Maximus, divina manifestatio, quae fit ex condescensione verbi dei ad umanam naturam et exaltatione eiusdem naturae ad praedictum verbum per divinum amorem (= *Iohannes Scottus l. c. I 9 pag. 449*) 49 Sancta theologia inaccessibilem claritatem dei tenebras vocat ut illud: (*Psalm. 138, 12*) 'Sicut tenebrae eius, ita et lumen eius', acsi aperte diceret: tantus est divinae bonitatis splendor, ut non inmerito volentibus contemplari et non valentibus (uolentibus *P*) vertatur in tenebras (= *Iohannes Scottus l. c. III 19 pag. 681*). Nam et informis materia dicitur. Materia quidem, quia initium est totius essentiae rerum. Informis vero, quia ad nullam formam superiorem se ad formationem sui convertitur (= *ibid. paulo inferius*) 53 Speclari] pro speculari 62 legabis] pro ablegabis subornas] latenter praeparas 66 *Π.*] spiritum 68 *Φ.*] naturae *K.*] gratiam. — Id est: qui dedisti naturam, largire et gratiam 69 glaucividas] caliginosas 70 *E.*] igneos reclude] aperi

50 inquid 2 *m. P*

69 *sqq. Cfr. Iohannis Scottus De verbo incarnat. carm. VIII ed. Floss pag.* 1230 *et Cousin Ouvrages inédits d'Abelard pag.* 621.

Quondam *ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΝ* Moysea tecum
ΕΙΣ ΓΝΟΦΟΝ Sinay sic indidisti.

Quaerentes valida iuvato dextra,
Quando non potis est adire tete
Cuiquam, des nisi tu venire per te.
Ostendas faciem decet tamen te
His, qui nil aliud petunt nisi te:
Nam nec hoc poterunt, nisi sit ex te.

Nubes rumpe malasque fantasias,
Quis mentis acies reverberata
Pure non sinitur deum tueri,
Ceu se invisibilem videre praestat
His, qui lucifluum sitire fontem
Noverunt: requiem suumque finem.

Quod restat siquidem, quod instat inquam,
Praesentes operas tui indigentes
Componas petimus favensque voto
Et sensus cumules et ora solvas,
Ut mutis liquidae fluant loquelae,
Largiri solitus nec impotenter.

Germano titulum parare laudis
Urget materies, amor coartat
In te mirificus, puer Hlothari,
Cui fas non fuerit negare quicquam,
Non os, non animum nec illa certe,
Quae sunt officiis amica pulchris.

Id quo congrue, quo fiat decenter,
Et spes omnimodas speique summam
In te conferimus, repertor artis,
Qua pectus hominis praeominatum
Scandit sidereos honore campos,
Distinctum beluis nitore mentis.

Non haec ob meriti beatitatem,
Germani peto sed per almitatem:
Si quid lucifluum peregit ille,
Quod laudi fuerit patri superno;
Si vexilla tui secutus heros
Oppressit rigidum severus hostem;

Scholia — 71 Θ.] legislatorem 72 *E. Γ.*] in caliginem 74 Q. n. p. e.] siquidem non est possibile 79 N. r.] id est cecitatem mentis dissolve fantasias] imagines diabolicas, quibus anima decipitur 80 Quis] pro quibus acies] acumen visus reverberata] ebetata 81 non sinitur] non permittitur tueri] id est intueri, videre (—i *P*) 82 Ceu] quem ad modum praestat] sc. sicuti est 83 His] id est illis lucifluum] id est lucem fluentem sitire] desiderare 84 Deus enim est requies et suavitas omnium se desiderantium et certus finis ad se currentium; omnia enim ad ipsum recurrunt et in ipsum finiuntur 100 praeominatum] quodam quasi omine (homine *P*) confortatum Idem est auguriatum 102 nitore mentis] acumine rationis

77 nichil *corr. P* 78 nisi sit] nisit *corr. P*

Si ieiunia, si cruces iniquas,
Si noctes tulit idem inquietas;
Si non extimuit maris minaces
Securus pelagi subire fauces;
Si, quicquid gladius potestque flamma,
Contempsit patiens amore Christi.

ALLOCVTIO AD LIBRVM
ΛΥΚΟΛΩ ΛΙΣΤΡΟΦΩ DECVRSA.

Si te perliquido tuemur ore
Nec ludunt insomnia mentem,
Non illud tulerim, libelle, frustra
Quod tanti popularia ducis,
Natalem latebram ut perosus ultro
Insano oblectere tumultu.
Non nichil miserum characterizant
Taedia secreti nec amica
Quod semper studiis sigilla castis
Tantisper refugis, licet illam,
Quae fertur, Danaen aëna turris
Auripluo vix texit ab imbri.
Quid tam turmivomae iuvant plateae?
Quid refluae dicacibus urbes?
Quem necdum tetigit litura necdum
Sordibus explosis color auxit,
Si non insipidus deerrat augur,
O nimium passure pudoris.
Vulgant Bucolicen labore trimo
Cultius explicuisse Maronem;
Septenis itidem polibat annis
Quadrifidam sudore Georgen;
Exin Aeneadas in arma pulchros
Endecas ad limamque redegit.

Scholia — A. A.] id est bimembri carmine: di duo, colon membrum. — Id est duplici conversione. A secundo enim versu facta est replicatio. Nam prior versus falleutius est. Sequens ex ultima tetrapodia heroici constat. Quatuor enim sunt pedes heroici versus. 7 ch.] i. e. praefigurant 11 Danaen Acrisi filiam aënea turri inclusam Iupiter conversus in imbrem aureum submissus (sub *in l. r. P*) corrupit. Fulgentius (*Mythol. I 24 ed. Staveren pag. 653*) Dum et Dane imbre aurato corrupta est: non pluvia sed pecunia (*cfr. Mythogr. Vatic. III 3, 5 ed. Bode pag. 162, 42*) 13 turmivome] id est multitudines hominum exibentes iuvant] delectant 14 dicacibus] locacibus 15 q. n. t.] i. e.: qui necdum expolitus sis litura] i. e. regula. — Litura dicitur linea fabrorum, quae extenditur ligno ad equandum, dicta a filo litio (*unde ?*) 16 explosis] eductis color a.] pulcritudo superaddite correctionis 19 trimo] id est triennio 20 Cultius] ornatius 21 itidem] similiter polibat] ornabat 22 Quadrifidam] in quatuor libros divisam sudore] labore 24 Endecas] undecim anni ad l.] ad perfectionem. — Tractum a fabris, qui lima erubiginant (*crubizinant *P*) ferrum

Cum tota Heirici allocutione Horat. Ep. I 20 contulit Liebl l. c. 8 *sq. Horat. l. c.* 3 Odisti clavis et grata sigilla pudico, Paucis ostendi gemis et communia laudas. 15 *Cfr. Horat. Art. poet.* 293. 17 augur *Horat. Ep. I* 20, 9. 19–24 *Cfr. c. g. Servii Comment. in Aen. ed. Thilo I pag* 1, 8 *sqq.*

Nec libras animo, quid ille, quid nos,
Quid potuit spes altera Romae,
Quid possit minimus minorum impar
Nec minimos tamen inter habendus.
Et, ni proripias in ora vulgi,
Inpatiens clavemque recusas,
Invitum quatiunt severa vatem
Omina terrificique sonores;
Virtus gnostica nec sinit volentem
Importunis parcere verbis.
Haec nolens capies, volens itemque,
His nos *ANTIΛΕΓΟΝΤΑ* subimus.
In vulgus venies favente voto:
Pro — quanto iactabere fluctu.
Hic foedum spuet, hic coacta nare
Succinet infandumque inimicumque,
Hic plausum manibus dabit profanis,
Hic ter succutiet pede terram;
Verrucas alius scaturrientes,
Etsi nulla tamen patet usquam,
Disquiret digito, notabit ore,
Integra quippe invertere doctus.
Et quo perditior quis ae profanus,
Acrius hoc tolletur in iras.
Tandem ludibrio subactus omni
MYPOKOΠΟΥ trudere taberna
Aut nardi modicum feres piperve
Et si quid chartis amicitur
Ignavis. Monitor repulsus olim
Abstiterit nec cura mederi
Neu te consilio querare nostro
Fraudatum: id tecum ipse referto.
Qua frontem titulus praeordinabit,
Nemo *ONOMA* praefixerit auctor:
Germanus subeat prioris arcem
Auspicii, is primordia signet.
Hoc forsan poteris inerme vulgus
Tempnere seu discrimina mille.
Tanti nominis obicem proterve
Vix ausint sprevisse phalanges.

Scholia — 25 Nec libras] nec perpendis ille] sc. Maro 26 spes altera Romae] Maro scilicet 33 gnostica] intellectualis 35 Haec] haec verba 36 *ANTIΛΕΓΟΝΤΑ*] contra dicentem. — Anti: contra, lego: dico 43 Verrucas] vitia carminis scaturrientes] ebullientes 50 *MYPOKOΠΟΥ*] ungentarii *MYPA* Graece ungenta 56 id] sc. consilium 58 *ONOMA*] nomen 61 Hoc] aere inerme] sine armis 62 Tempnere] sontemp[t]nere discrimina] pericula mille] finitus numerus pro infinito 63 obicem] obpositionem proterve] cuperbe 64 ausint] audebunt sprevisse] contempsisse pro contempnere phalanges] multitudines

60 is *P*] hic *Bosch.* 62 seu *Barthius*

26 *Aen. XII*, 168 magnae spes altera Romae. 29 *mire congruit cum Catulli hendecasyllabo* (40, 5): an ut pervenias (peruenianus *V*) in ora vulgi. 31 *sq. Cfr. Aen. V*, 524. 42 *Horatianum est.* 49 *sqq. Cfr. Horat. Ep. II*, 1, 269 *sq. (Liebl l. c.).*

Mitescet rabies sputisque parcent
Et cynico incrudescere dente.
I nunc, Meoniis adacte pennis,
I dextro, liber, alite felix
Nec te non monitum nec insuasum
Olim discessisse graveris.
Quod restat, dubiis remitte fatis,
Teque utinam meliora sequantur.

INCIPIT LIBER PRIMVS VITAE MAGNI PATRIS GERMANI AVTISSIODERENSIS DE PROSA IN METRVM TRANSFVSAE.

Celtica qua medios exporgit Gallia tractus
Quaque est vel terris vel mitior illa colonis,
Urbem haud incelebrem Galli posuere priores
Uberibus glaebis et opimi munere Bachi
Ac praelabentis iucundis usibus amnis,
Magnarum multis quae se componere possit:
Autricus a priscis olim vocitata refertur.
Aetas posterior pinnas et culmina avitis
Moenibus imposuit duri munimina belli;
Ex augmentatis verso cognomine muris
Sive sequax usus dicas Autissiodorum
Seu mutilare velis et dixeris Altiodorum:
Nomine diverso res est cumulatior una.
Haec genitalis humus, haec patris patria nostri,
Finibus his ortus natalia rura beavit.
Haud multis opus est in sancto nobilitatis — *De nobilitate eius insigni.*
Cognatae memorare decus; quae dote gemella
Splendidaque et locuples opibusque et germine fulsit:
Indicium documenque rei numerosa retentant
Praedia succiduis olim notissima chartis.

Scholia — 65 Mitescet] Mitius aget rabies] insanies 66 cynico] canino 67 Meoniis] Homericis, qui fuit Meonis filius pennis] i. e. auspitiis 68 alite] augurio 71 remitte] i. e. committe fatis] i. e. eventibus, dubietatibus, que sequentur 72 meliora] i. e. prosperiora, scilicet quam speramus || 1 qua] i. e. ubi exporgit] pro exporrigit, i. e. extendit vel educit. — Iulius Cesar in primo belli Gallici (*neglegenter haec ex Anonymi libro de situ orbis ed. Manitius pag. 48, 17 descripta sunt, ubi post hunc locum ab Anonymo e Pomponio Mela III 20 excerptum pergitur* item Gaius Caesar in libris belli Gallici ita exorsus est: Gallia est omnis divisa *eqs.*): 'Populorum Galliae tria sunt summa nomina terminataque (*sic Anonymus*, summa nomina sunt terminanturque *Mela*) fluviis ingentibus. Namque a Pyreneo ad Geronnam Aquitania (*sic Anonymus*, Aquitani *Mela*), ab eo ad Sequanam Celte. Inde ad Renum Belgae (pertinent Belgae *cum Mela Anonymus, qui hic finit*). Ibi finis Galliae.' 4 laudabilis vino (uina *P*) 5 praelabentis] precurrentis 6 componere] conferre 10 augmentatis] multiplicatis cognomine] a doctis (?). — Ferunt enim Autisiodorum vel Alcioderum ab augmentatione murorum dictum 11sequax usus] est sequens usum 12 mutilare i. e. minuere vel mutare 16 multis] sc. verbis 17 dote gemella] donatione gemina, duplicata 18 opibusque] bis idem dictum est 19 rei] sc. nobilitatis et divitiarum eius

70 discesse *corr. m. 2 P* || 5 visibus *e cod.* (?) *Barthius* 11 sequar *corr. P*

72 *Cfr. Aen. XII,* 153.

De peritia artium a puero

Aetatis breve ver et primi gratia floris
Artibus inmaduit facili conamine septem.
Auxerat infantis largitrix gratia pectus
Muneribus geminis: quodque assolet esse duobus
Gratum et sufficiens, hoc praecumulaverat uni.
Namque ut septenis sapientia nixa columnis
Aptificare domum dilecto in pectore posset,
Ingenium vivax conamen iuvit ad omne;
Inque vices animo genitaliter exspatianti
Sedulitas praetendit opem studiosa magistri.
Utraque res moderante deo felicia coeptu
Tempora gliscentis iam tunc provexit ephoebi.
Plurima per steriles sparguntur semina sulcos
Proventu modico vel, ut multum, mediocri:
At quae fecundas ineunt frumenta novales,
Spe manant duplici cum glaebae tum sationis,
Plenaque conspicuo respondet copia cornu.

Quod Romae ius didicerit.

Cumque foret vehemens animique ad cuncta rapacis,
Nil intemptatum, nil denique liquid inhaustum.
Quicquid ab indigenis potuit manare magistris,
Cuncta brevi: nam paene puer citraque iuventam
Omnia combiberat. Furit intimus ossibus ardor
Ulteriora sequi et studiis, ni copia desit,
Otia conterere, studiis impendere sese
Inque mori studiis; perparva et vilia scitu,
Si qua patent ⟨usquam⟩; cara et praegrandia censet,
Si qua latent. Erat ingenuis tunc artibus usque
Certus honos studiisque addebat gloria calcar.

Scholia — 21 Breve ver vocatur pueritia, quod cito in adolescentiam transeat. 24 geminis] ingenio et studio duobus] sc. hominibus 26 septenis] i. e. septem artibus liberalibus 28 Ingenium vivax] naturalis capacitas conamen] studium 29 genitaliter exspatianti] naturaliter capacissimo 30 Sedulitas] assiduitas opem] exercitium 31 moderante] tribuente coeptu] incoatione 32 gliscentis] crescentis ephoebi] adolescentis 33 steriles] infructuosos sparguntur] immittuntur sulcos] rigas araturae (araturas *P*) 34 Proventu modico] i. e. habundantia parva ut multum mediocri] pro etiam valde infructuoso. Comparatio est vel metaphora a terra ad hominem, a seminibus ad artem. Quae comparatio eo pertinet, ut sciamus aliter proficere magistros in eis pueris, qui naturali fervent ingenio, et aliter in eis, quibus est hebes animus in discendo 35 fecundas] i. e. pingues ineunt] initiant frumenta] i. e. annone. — Speciem posuit pro genere 36 Spe manant] securitate adcrescunt glaebę] q. (?) terrae sationis] sementis 37 copia cornu] habundantia. Solet evenire, ut agricola iactis seminibus multiplicatos recipiat (— et *P*) fructus vel propter desiderium bonae terrae vel propter studium boni agricole. Cum uero in malam terram labor fuerit expensus, aut (haut *corr. P*) vix modicus aut (haut *corr. P*) certe nullus seminum apparebit proventus 38 vehemens] magni ingenii 39 intemptatum] ut non omnia adprobaret inhaustum] sc. quod non sciret 40 manare] fluere 41 brevi] sc. didicit citraque iuventam] in adolescentia[m] 42 combiberat] i. e. omnes artes velociter addidicit furit i.] ardet amore discendi ossibus] hoc est in interioribus sensibus mentis ardor] amor 46 Quia propter gloriam et laudem erant multi in exercitio liberalium artium. Sicut dicit Tullius in Tusculanis (*I 2. 4*): honos alit artes et accenduntur omnes ad studia gloria (*cfr. Lupi Epist. ad Einhard. I ap. Baluz. ed. Desdevises du Dezert pag. 44 et Heiricus in Miracul. Germ. prolog. I 4 ed. Duru l. c. II pag. 116*) 47 ingenuis] liberalibus 48 calcar] incitamentum

34 uel *e corr. P* 35 At quae] Atque *corr. 2 m. P* *ad* 38 roma eius *corr. P* 46 usquam *om. P*

39 *Cfr. Horat. Art. poet.* 285. 41 citraque iuventam *Met. X* 84. 45 *Hor. Epl. I* 7, 85 Immoritur studiis.

Incitus his animis talique cupidine vinctus,
Quo caput est orbis rerum permaxima Roma,
Tendit iter Latii nodos addiscere iuris:
Et didicit palmamque brevi tulit ille laboris.
Scire erat haud magnum, si non et posse subiret, *Quod advocationis ibidem officium gesserit.*
Et stulto sapiens minimum referre putatur,
Si non et possit: melius duo iuncta feruntur.
Quae si dispescas, perit alterum: ita alterius res
Altera poscit opem sociam et coniurat amice.
Ergo ut, quae tecto fuerat meditata cubili,
Post per marmoreas clamare sophia plateas
Posset et obliquis demum dare iura superbis,
Mox ad patricios iuvenis raptatur honores
Causarumque actor per publica vota creatus
Arcuit urbanas iuris frenamine lites.
Gratatur Latium tanto censore fruique *Quod eodem degens officio copulam uxoris susceperit.*
Hoc tantum praesente parum est: de posteritate
Cogitat, utque viro non desit gloria prolis
Utque viri non destituatur germine Roma,
In consorte tori spes est, qua rite carere
Haud patiuntur opes aetasque obnoxia carni,
Prolis amor, mentis probitas in coniuge pulchra
Et gazae et mores et casti insigne pudoris.
Qualis ubi visa est, digito patet, est quia nostris
Rara avis in terris corvoque ignotior albo.
Usibus innumeris Romanus calluit orbis *Quod primo usu togae ducatus regimen per provintias acceperit' et descriptio latior praetextae et togae.*
Olim: partem absumpsit edax ex asse vetustas,
Pars terit antiquis rerum vestigia libris.
Gens fuit illa sagax et cum bellare perita
Tum mores formare scia et componere cauta.
Neu tenera in pueris nevo intabesceret aetas —
Quandoquidem in vitium mens est haec cerea flecti

Scholia — 49 Incitus] provocatus cupidine] amore 52 I. e. ad perfectionem brevi tempore devenit 56 dispescas] dividas 57 coniurat] consentit 58 Scriptum est (*1 Tim. 2, 11*): 'Sapientia in silentio discitur.' Item (*Prov. 1, 20*): 'In platheis (plateis *corr. P*) dat vocem suam.' Prius ergo silentio sapientia discitur, ut posmodum (*sic*) doctus in platheis vociferetur tecto] cooperto cubili] silentio 60 obliquis] stultis 61 patricios] i. e. sublimes raptatur] i. e. sicut nobilis promovetur Raptim i. e. velociter 62 actor] i. e. advocatus p. p. vota c.] i. e. communi omnium voluntate factus — Causidicus effectus. Causidici dicuntur qui causas i. e. querimonias discutiunt et lites singulorum determinant 63] compescuit civiles legis moderamine causationes 64 Gratatur] gaudet Latium] Italia censore] iudice. Censores dicebantur qui de moribus iudicabant 72 Qualis] sc. coniux. — Salomon (*Eccle. 7, 29*): 'Virum de mille unum repperi, mulierem ex omnibus non inveni' 75 edax] consumptrix ex asse] ex toto 76 Qualiter mores in pueris formabantur 77 illa] sc. Romanorum sagax] studiosa perita] docta 78 formare] struere sciens] scia componere] stabilire cauta] prudens 79 tenera] fragilis nevo] macula intabesceret] i. e. pigra efficeretur et fierent desides pueri ad studium 80 cerea] proclivis

56 alterius res *Boschius*] alterius *a manu admodum rustica* res *addito P* 60 et *Boschius*] ut *P* 64 latius *corr. P* *ad* 74 ACC///EPERIT *P* 79 tener 2 *m. corr. P* impueris *P*

51 *Iuv.* 8, 50 *confert Barthius.* 73 *Cfr. Pers* 1, 46 *et Iuv.* 7, 202 (*Liebl*). 80 *Cfr. Hor. A. P.* 163 (*Liebl*).

Cumque iter ambivium ramosa ad compita vexit
Proposuitque viam Samio praecunte bicallem,
Dextra sequi cunctatur iners votoque maligno
Laeva tenet —, visa est ea tum via rectior illi:
Servabat teneros custodia pervigil annos
Et casti comites et opis rubrica magistrae
Adposita et curvos innormans regula mores
Et pressus ratione animus vincique laborans
Ac praeceptoris ducens sub pollice vultum.
Signabat trepidas et adhuc rationis egentes
Consiliique inopes praetexta aptissima mentes,
Dicta quod hanc Tyrio limbus praetexeret ostro
Et super hanc adficta toreumata, Graeculus usus —
A Grais traxere Itali —: index nobilitatis
Hic tum cultus erat. Transcensa puertia postquam
Vestibat teneras molli lanugine malas —
Id bis octonos erat attrectasse decembres —.
Cedebat praetexta togae patriisque coaevas
Aptabant laribus puerilia munera bullas.
Hic trepida optatum sortita infantia finem.
Hic fixit moetas. Exin bellique domique
Utilis et rebus quavis in parte gerendis
Quisque putabatur maturo commodus aevo.

Scholia — 81 ambivium] dubium vexit] sc. ipsos pueros. Competa dicuntur ubi viae competunt 82 Samio] Pitagora bicallem] i. e. duas vias habentem: dupliciter gradientem. — Pitagoras fuit quidam Samius philosofus, qui adinvenit Y litteram ad similitudinem humanae vitae. Quam inferius in modum stipitis erexit, superius vero quasi quodam bivio duobus ramis divisit ducens in dexteram vel sinistram partem. Et dextrum quidem ramum angustissimum duxit usque ad summum, in summo vero ampliavit: sinistrum autem amplissimum esse constituit, in summo vero strinesit ea de causa, quia in infantia vel pueritia, quicquid a nobis agitur, inpune conceditur, in adolescentia vero, cum ad intelligibiles annos pervenimus, aut malam aut bonam viam arripimus, et si quid facimus, sub iuditio estimatur. Et haec significat activam vel contemplativam vitam. Unde Persius (*3, 56 sqq.*): 'Et tibi que Samios deduxit littera ramos, Surgentem dextro monstravit limite callem' (*cfr. scholia ad Pers. 5, 34 et 3, 56. Isidor. Orig. I 3, 7; Manitius Philolog. XLVII pag. 713 adn. 3*) 83 cunctatur] respuit mens puerilis iners] nescius v.maligno] pravo desiderio 84 Laeva tenet] sinistram viam ambulat (— et *P*) 86 Rubrica fabrorum linea (*cfr. Schol. Persii ed. Iahn p. 263*) dicitur a rubro colore, ponitur autem pro diligentia magistrali (*Bosch.*, –arum *P*) sicut Persius (*1, 66*): 'Non secus ac si oculo rubricam derigat uno' 87 innormans] componens 88 animus] sc. puerorum 91 aptissima] aetati illi scilicet — Honestatem discens morum instantia magistrorum 92 limbus] finis vestimenti ostro] purpura. — Praetexta fuit apud Romanos vestis nobilium puerorum, dicta quod ei latior purpura praetexteretur (*cfr. ad. 95*) 93 hanc] sc. praetexta toreumata] bullae aureae Graeculus usus] i. e. consuetudo, graece (ḡ *P*) efexeiesis (Efexeic sis *P*) 94 index] inditium 95 cultus] ornatus. Tali ornatu sicut commemorat incedebant nobiles pueri Romanorum usque ad sextum decimum annum et inde togis vestiebantur (*cfr. app. critic. ad. 98 et Prudentii codicem ap. Dressel pag. 2*) 97 decembres] i. e. sedecim annos 98 Cedebat] locum dabat 100 Hic] in hac aetate

93 adficta *P* 95 transcendentia *corr. P* 97 Id *Boschius*] Id *superscr.* q. *P* 98 Praetexta genus erat togae, qua utebantur pueri adhuc sub disciplina usque ad decimum quintum annum, deinde togam virilem accipiebant, unde in Vita sancti Germanici (*sic*) legitur: Cessit praetexta togae. '*Cornuti expositio super toto libro Iuvenalis*' *ad Iuv. I 78 in Iahnii Persio p. CXXIV adn.* 2; *cfr. Liebl l. c. pag.* 37

81 *Pers.* 5, 34 Cumque iter ambiguum est et vitae nescius error Deducit trepidas ramosa in compita mentes; *cfr. Liebl. l. c.* 89 *Cfr. Iuv.* 7, 237. 96 *Cfr. Lucr. V* 889. 98 *sq. Cfr. Pers.* 5, 30.

Hauserat hoc aevi iuvenisque togatus agebat
Aetatis solidam cumulato robore partem,
Cum super addictas praesulque et dux regiones
Effertur terris, qua Gallicus incubat axis,
Cum vindex scelerum tum dispensator honorum.
Orbem tum totum victor Romanus agebat, *Descriptio amplissimae potestatis Romanorum.*
Qua mare, qua tellus, qua cardo invergit uterque.
Si quod in orbe fretum, si quis sinus abditus usquam,
Si quod clima foret Phoebeae lampadis expers,
Si qua fuit regio, fulvum quae gigneret aurum,
Nil nisi Romani vivebat nominis umbra.
Arbitrio sancti constabant cuncta senatus:
Sceptra, magistratus, tituli, praetoria, sellae,
Praetexta, trabeae, fasces, insigne tribunal,
Aedilis, quaestor, dictator iuridicusque
Et, rerum cui summa patet paretque, monarchos
Et conflandarum per gentes cautio legum
Et pax et bellum, lis et concordia rerum —
Omnia conscriptis servibant patribus olim,
Quos penes inmensi stabat custodia mundi;
Cumque forent clausi resides in parte sacelli,
Divinis quadrum fingebant legibus orbem.
Gestorum series aliquatenus intercepta
A deverticulo demum repetita placebit.
Crescebat meritis mactus successibus heros *Quod occulto iudicio divinitatis omni perfectionis genere pontificatui parabatur.*
Perfectique sequax primam tendebat ad arcem
Cursibus inpigris, ne non perfectus ab omni
Parte foret sacer et praesul iam iamque futurus,
Utque ad loetiferas aciem contendere pestes
Emersasque hereses undeunde extrudere posset.
Armabat doctam vivax facundia linguam:

Scholia — 109 agebat] disponebat 125 fingebant] componebant. — Virgilius (*Aen. VIII 634*): 'et corpora fingere lingua' 128 mactus] magis auctus 129 perfecti] perfectionis arcem] sapientiae et virtutis 130 inpigris] i. e. velocibus 133 undeunde extrudere] undecumque eliminare 134 Armabat] munibat vivax facundia] inmortalis eloquentia. — Parabatur eloquentia praedicationibus

105 Aetatis *P* *ad* 109 desscrip/tio *P* 109 habebat *(cfr. Petron. l. c.) Boschius* 126 intercoepta *et sic non raro* oe *pro* e *in compositis a* capere *derivatis P*

109—113 *Petron.* 119, 1—5 *(ed. Buecheler pag.* 152 *sq.)*

Orbem iam totum victor Romanus habebat.
Qua mare, qua terrae, qua sidus currit utrumque.
Nec satiatus erat. Gravidis freta pulsa carinis
Iam peragebantur; si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus, fulvum quae *(Scaligeranus Leidensis et Memmianus,* quae fulvum *e Buecheleri silentio Autissiodorensis)* mitteret aurum,
Hostis erat.

Contulit primus Pithoeus.

115 *Aen. I* 426 sanctumque senatum. 123 *Cfr. Fast. I* 119. 127 *Iuv.* 15, 72 A deverticulo repetatur fabula.

Iustitiae doctor, iuris quoque norma futurus
Iure dedit studium discendo ex tempore iuri;
Quique pudicitiae populis documenta daturus
Et casti cauturus erat decreta cubilis.
Ordine praecipuo legalis foedera lecti
Suscipit et casta vitam cum coniuge ducens
Iura voluptati permisit nulla nefandae
Gignendae tantum contentus vivere proli.
Cumque virum late parentis ad omnia terrae — *Quod territorio genitali speciali assiduitate praesidebat.*
Multa fatigaret privatim et publice cura,
Pronior in patrias animum defixerat oras
Affectus genitalis humi, quam mitibus usque
Temperat officiis et molli flectit habena
Praesens praesentem praesenti numine firmans.
Haec domus, haec requies, haec oblectatio vitae:
Vel quia fundorum non contempnenda facultas
Hic illi fuerat, iuris monumenta paterni,
Vel quia, terrigenis est quod non nulla voluptas,
Copia multarum iuveni permagna ferarum
Silvestres praebebat opes; venatibus ille
Deditus et levium meditans spectacula rerum
Lascivis animum studiis pascebat inertem.
Cumque foret sacri dilutus fonte liquoris,
Nudo se tantum gaudebat nomine dici
Christicolam, luteum sapiebant cetera saeclum.
Altoque et lato stabat gratissima quondam — *De pyro venationis eius gerula.*
Urbe pyrus media, populo spectabilis omni,
Non quia pendentum flavebat honore pyrorum
Nec quia perpetuae vernabat munere frondis,
Sed deprehensarum passim capita alta ferarum
Arboris obscenae patulis haerentia ramis
Praebebant vano plausum et spectacula vulgo.
Horrebant illic trepidi ramalia cervi
Et dirum frendentis apri fera spicula dentes
Acribus exitium meditantes forte molosis.
Tunc quoque sic variis arbos induta tropaeis
Fundebat rudibus lascivi semina risus.

Scholia — 135 Iuris: doctrina iustitiae 138 canturus] decreturus. Uxoris societas et testimonium castitatis 139 legalis] legitimi 143 terrae] provintiarum quibus praerat 146 usque] iugiter; Virgilius (*Ecl. 9, 64*): 'cantantes licet usque ⟨minus⟩ via laedet (*ut libri Karolini*, laedit *Verg.*) eamus' 149 Haec] sc. patria oblectatio] delectatio 150 fundorum] patrimoniorum n. contempnenda] aest⟨i⟩manda facultas] possibilitas 151 iuris] effex⟨ei⟩esis est 155 levium] sinistrum 157 dilutus] baptizatus 159 luteum] terrenum. P⟨ersius⟩ (*Horat. Epl. I 2, 26*): 'et amica (—o *P*) luto sus' 164 deprehensarum] a Germano scilicet passim] ubicumque 165 obscenae] turpis patulis] apertis 166 plausum] risum 167 ramalia] cornua 169 molosis] canibus. — Virgilius (*Georg III 405*): 'Acremque molosum pascere ⟨pasce sero *Virg.*) pingui'

152 nō//ulla *P*

139 foedera lecti *Amat. III* 593. 155 *Ge. IV* 3 levium spectacula rerum. 164 *Cfr. Aen. I* 189. 165 *Cfr. Met. VII* 622

Fixerat haec iuvenis laudis captator et aurae,
Qua faciles animi pascique capique suescunt.
Urbis amor nostrae sacrique refector ovilis
Praesul Amator erat, merito cognomine mactus,
Doctor magnificus, meritorum luce coruscus,
Signorum titulis longe lateque celebris.
Noverat hic rapidis moetam praefigere flammis,
Noverat adversas verbo detrudere pestes,
Auribus obstructis aditum praetendere vocis,
Officium vinctis praecepto reddere linguis,
Post funus functis usum concedere lucis:
Omnia qui poterat, sancto dedit omnia posse.
Sancte gregis tutor, qui iure vocaris Amator
Non auri aut mundi, verum trans omnia Christi,
Ne michi succense de te perpauca loquenti.
Gestorum michi dulce foret monumenta tuorum
Et vitae totum plectro percurrere textum,
Sed revocat sumpti series perlonga laboris
Nec sinit a coepto quoquam deflectere calle,
Et te grandiloquos vellem nutrisse poetas,
Qui tibi multicana possent garrire camena:
Vatibus ut careas, rectorum est culpa tuorum.
His aliud dabimus tempusque locumque querelis:
Tu tamen interea praesentibus utere, pastor,
Obsequiis et, si qua meo condigna relatu
Ad nostri poterunt praeconia currere patris,
Laudibus illa tuis accedere posse putato:
Tu pater, ille tuus per Christum denique natus.
Crede michi: magnae reputatur portio laudis,
Cum patris in faciem nati laudatur imago.
Narrandi coeptum repetat iam Musa tenorem.
Insanos ritus et noxia ludicra sancti
Aegre fert animus nec distulit ille superbos
Inceptus miti iam tum compescere fatu,
Talibus aggressus captato tempore verbis:
'Cum te frenandis Romana industria terris
Praetulit et patriae patremque ducemque tuendae,
Credidit esse virum nec res tum credita vero
Abstitit. Esse virum te denique multa coartant:
Cum titulus ⟨generis⟩, tum magni culmen honoris
Et, quod utrumque regit, divinis accumulatum
Ingeniis pectus mensque omnis conscia recti.
Sola virile decus levitas foedatque fugatque,
Sola, inquam, levitas. Insano proxima testis
Abstirpanda suis en cum radicibus arbos

Quod sanctus per id temporis florebat Amator.

Apostropha ad sanctum Amatorem.

Ut sanctus Amator Germanum levitatis arguerit.

Scholia — 180 zeuma ab inferioribus (*sic P; quo pertineat, nescio*) 197 patris] Germani scilicet 203 Insanos ritus] malas consuetudines noxia] nociva ludicra] ioca sancti] Amatoris. — Duo adiectiva 'noxia' et 'ludicra', sed unum accipitur pro fixo 212 utrumque] nobilitatem et potestatem

211 generis *Boschius*] *om. P*

Quam primum potis est: sectentur talia divi
Numinis expertes: aliud professio nostrae
Relligionis amat, cum, quid mage postulet usus,
Quaerenti sola occurrit meditatio mortis.
Multa suis gravitas meruit praeconia saeclis:
Eximium fecit levis inconstantia nullum.
Desine proclives lubricosque ad devia vulgi
Praecipitare animos. Res est incognita nulli:
Crimina, quae magnis auctoribus usa geruntur,
Corrumpunt citius multoque domestica peius
Extima quam serpunt, homines cum sponte sequaces
Praemonstrata ducum rapiunt exempla suorum.
Ergo age et omissis, quae ludicra cumque putantur,
O praestans animi, complectere seria tantum.
Ista repraesentant, quaerit res publica qualem,
Signa virum; satis ista decent in principe signa.'
Saepius ista viri praesul stillabat in aurem:
Ille levi ferre et coeptis instare superbis:
Irrita nam celeres rapiebant omnia venti.

Ut absente Germano arbor sit caesa.

Certa fuit iuveni visendi praedia quadam
Causa die; cuius tandem progressus ab urbe
Optulit optatam votis quoque praesulis horam.
Utque erat in domini solum defixus amore
Perque hoc humani contemptor iure timoris,
Adscito sacri quam primum milite cleri
Ridiculi gerulam capitumque inmane feracem
Arborem adit quantoque potest insistere iussu
Praecipit inflicto caesam procumbere ferro.
Caedentum tremuere manus pavidique verenda
Maiestate ducis, si robora cara ferirent,
In sua vertendas metuebant colla secures.
Caesores trepido sanctus torpore paventes
Ut vidit, raptam primus temptare bipennnem
Ausus et iniecto violanda in robora ferro
'Iam vestrum nemo dubitet succidere' dixit:
In capud hoc unum noxae reputetur origo:
Dicite me fecisse nefas.' Hoc inquid et omnis
Paruit imperiis licet insecura iubentis
Turba. Sonat crebris accisa bipennibus arbos
Ictaque dat gemitus et cum durissima ferro,
Pondere tum proprio victa occubuitque ruitque.
Tum primum admisit solari munere tacta
Subdita terra diem; rebus tum praebita vanis
Interit et meritos arbor conflatur in ignes.

Scholia — 220 Hoc enim obtimum esse difinierunt philosophi 224 res] a me dicenda 234 ferre] ferebat instare] instabat 237 progressus] progressio 246 ducis] Germani (—e *P*)

238 Obtulit *2 m. P* 244 caesim *e cod.* (?) *Barthius*

230 O praestans animi *Aen. XII* 19. 233 *Iuc.* 3, 122 facilem stillavit in aurem. 255 *Cfr. Aen. II* 627.

Quaeque adfixa diu fuerant oscilla ferarum,
Pontificis iussu tota pelluntur ab urbe.
Haec rure abducto fiebant principe cuncta.
Fama, quid in caelo rerum pelagoque geratur
Et tellure, videt totique est conscia mundo;
Quodque usquam est, ⟨toto⟩ quamquam sit ab orbe remotum,
Inspicit inque cavas penetrat male fida latebras.
Omnia cum didicit, mox omnibus omnia pandit.
Et quia dicentem sequitur non nulla venustas
Verborum crescitque novis facundia causis,
Multa fides illi vulgo praebetur ab omni.
Non ea rem clamore gerit, sed murmure vocis
Nescio quid raucum et grave cornicatur inepta.
Mille trahit secum rumores, mille susurros:
Mixtaque cum veris pariter quoque falsa feruntur.
Cumque novis vacuas implet sermonibus auras,
Succedunt comites: non numquam gaudia cassa,
Nunc timor, interdum rabies invisa furoris.
Advolat haec iuveni inflicti praenuntia dampni
Arboris occasu spretumque ducem laesumque tribunal
Et sublata sui queritur male iura timoris
Nec fore se posthac ullius in orbe vigoris,
Si non censori iam tum temerator honoris
Supplicium toti praesul dependeret urbi.
Occupat ira virum seseque ferocior ipso
Infremuitque minax traxitque per ora ruborem:
Ut fremit acer equus, cum Martius aere canoro
Signa movet tubicen, pugnaeque insumit amorem.
Non illum magni reverentia pontificatus,
Non sanctae cohibet respectus relligionis.
Absistunt oculis rectum pietasque pudorque:
Torva furit sanctoque necem meditatur iniquam
Dirus et 'O socii, lectissima pectora,' dixit
'Praecipitem hunc rapite et meritis sontissima poenis
Membra date Stigiaeque reum demittite morti:
Sentiat esse viros.' Sic fatus, et acrior ira,

Rem Germano fama delatam: et prolixior descriptio eiusdem famae.

Scholia — 261 oscilla] moventia. — Capita ferarum arbori adfixa hic oscilla vocantur, quod ora hominem cillerent i. e. ad risum moverent (*cfr. Serv. ad Ge. II 389 et Mythogr. Vatic. II 61*) 273 cornicatur] susurrat. — Cornicatur metaforice dictum est. Et est tractum a cornicibus et in Persio (*5, 12*) lectum est 283 censor[i]i] pro censorii; iudicis. — Sinizesis est ut (*Virg. Ecl. I 33*) 'nec cura perculi' pro 'peculii' 287 Martius] bellicosus. — Comp⟨aratio⟩ 290 cohibet] retinet 292 Torva] pro torve

266 toto *Boschius*] *om. P* 274 rumore *corr. m. 2 P* 275 geruntur *Boschius* 279 dam[n]i *P* 280 *heptametrum conservarunt P et Boschius* 283 censorii *P* 286 Intremuitque *corr. P*

264—278 *Cfr. Ovid. Met. XII* 39—63. 267 *Aen. II* 38 cavas . . latebras. 272 *sq. Pers.* 5, 11:

nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.

287 *sq. Met. III* 704 Ut fremit acer equus, cum bellicus aere canoro Signa dedit tubicen, pugnaeque assumit amorem.

Arma parent coeantque animis in proelia totis,
Edicit sociis; neu plebs obstare furenti
Posset et obductis aditum defendere portis,
Occupat ignaram congestis viribus urbem.

Comperta Germani indignatione sanctus Amator martyrii titulum laetus amplectitur.

Sanctus, ut accensi comperta est principis ira,
Martyr ut emeritam certamine sumere palmam
Utque sui posset perfundi fonte cruoris,
Optat et intrepido profundit talia vultu:
'Quod satis est supraque satis, huc viximus usque;
Nunc faciem penetrare cupit cum spiritus ardens,
Christe, tuam, taedetque viae taedetque laboris:
Qua breviora patent recti compendia callis,
Ire iuvat, via sit trepidis nimis ardua quanquam.
Sidereos propere dabitur contingere campos,
Sanguinis effusi si nos vestigia ducant.
Martyrii titulum tensis complectimur ulnis
Et sponte expetimus pulchram per vulnera mortem.
Tu modo nos dignare tuo pro nomine testes.'
Haec dicens animumque neci collumque parabat
Carnifici. Stat fixa viro sententia mortis
Intrepido; sed, Christe, tuis mundissima castris
Lilia cum rosis pariter candentia vernant
Nec te martyrii constantia sola meretur
Nec fuso quisquam tantum fit sanguine martyr:
Saepe etiam multis peperit pia vita coronam
Estque sacerdotum confessio munda tuorum
Grata tibi, quos iustitiae perfectio vestit.

Apostropha a⟨d⟩ principem.

Tuque adeo, quem mens atri plenissima fellis
In sanctum peccare monet, saevissime princeps,
Non tibi nil voto non succedente maligno
Collatum ducas: et tu quandoque futurus
Certe praesul eris toto notissimus orbe:
Arbiter aeternus iam dudum praesciit istud
Nec sinit insontis foedari sorde cruoris
Praescitas ad sacra manus, medicina salubris
Per quas innumeros fluxura putatur ad aegros.

Ut sanctus Amator Haeduam perrexerit.

Praesul ut emeritam multo certamine palmam
Sumeret assumptus divini in parte senatus,
Tempus erat licuitque viro praediscere tempus,
Quive foret sacri pos se successor honoris
Inspirante deo et plebis curante salutem.

Descriptio Eduorum.

Urbs antiqua fuit toto celeberrima mundo,
Aedua dicta prius. Primaria cum iacerentur

Scholia — 301 accensi] indignati 308 breviora] per martyrium scilicet compendia] lucra
310 Sidereos] caelestes propere] festinanter 329 praesciit] praeordinavit 333 emeritam] condignam

298 nec (?) *corr. P* 299 obductus (?) *corr. P* 303 possit *Boschius* 323 uestis *corr. P*
326 Nil tibi nil *Boschius* 336 post *2 m. P* 338 Urs *corr. 2 m. P*

338 *Cfr. Aen. I* 12.

Fundamenta solo, geminos fert fabula visos
Proelia lascivis agitantes lusibus aedos.
Auspiciis veteres assueti denique primis
Nomina condendis ponebant urbibus olim.
Hanc primum veniens Alpino a vertice Caesar,
Tunc cum barbarico feritaret Gallia ritu,
Adscivit sociam gentisque in foedera traxit
Romuleae sociosque novos fratresque vocavit
Inque capud regni primatum sumere iussit:
Celtica Roma dein voluit coepitque vocari.
Craevit amicitiae sensim per tempora robur;
Urbs quoque provectum meritisque et nomine sumpsit
'Augustidunum' demum concepta vocari,
'Augusti montem' transfert quod Celtica lingua.
Non fuit illa ferax frugum per saecula tellus
Nec opulenta satis — cingunt namque omnia silvae
Montibus horricomis sterilisque ad semina cespes
Vomeris inpatiens curvique inmunis aratri,
Et vexat duras caeli inclementia terras —:
Verum nulla viros tellus magis extulit armis
Praecipuos animique magis ad proelia lecti.
Ergo ubi vicinae praesensit tempora mortis
Sanctus et omnino semper memorandus Amator,
Urbis ad edictae non segnis moenia tendit.
Officii summam servabat Iulius illic,
Vir praestans et cum praefecti culmine clarus,
Tum fidei purus votoque et nomine cultor.
Antistes quoque sanctus erat Simplicius illic,
Magni vir meriti magnique minister honoris.
Iunctaque pontifici regalis iure potestas
Commissam paribus plebem frenabat habenis:
Hic tumidam rigida gentem dicione premebat,
Ille salutiferi formabat munere verbi.

Ut Simplicius episcopus cum Iulio ei occurrerit.

Adventare virum praesul praesesque beatum
Ut sensere, parant turmis hinc inde coactis
Et cleri et populi venienti occurrere sancto
Excipiuntque virum, dicta acceptaque salute
In gremium duxere suae sollempniter urbis.
Noctem laetitiae tribuere et laudibus illam.
Utque vigil nitido rutilans disclusit ab ortu
Purpureas Aurora fores stellisque fugatis

Scholia — 349 vocari] quae prius Hedua vocabatur 352 concepta] prolesis 353 Dunos Celtica lingua dicitur mons: hinc et Augustidunum dicitur Augusti mons 354 tellus] Heduorum 355 opulenta] habundans satis] seminibus. — Opulentus dicitur opibus plenus 356 horricomis] horrore plenis

348 caput *2 m. P* 363 ędictę *corr. P* 369 iurę *corr. P* potastas *corr. P* 370 plebebem *corr. P*

345 *sqq. Cfr. Caesar B. G. I* 33. 357 curvique inmunis aratri *Met. III* 11. 376 dicta acceptaque salute *Met. XIV* 11 *et* 271.

Lucifer exactae fecit discrimina noctis.
Praesidis ad celsum se pergere velle tribunal
Praesul ait properatque viam. Fert obvius illi
Ille gradum quantisque potest sanctum veneratur
Obsequiis humilique petit benedicier ore.
Tum voti compos praetoria ducit in alta;
Coram, quae vellet, cum facta est copia fandi,
Talibus aggreditur: 'Nolim, quod venimus,' inquid
'Eventu reris, vir praestantissime, factum.
Seria res tantumque viae tantumque laboris
Sumere nos monuit. Decessus tempora nostri
Conditor accelerat, gravium molemque laborum
Fine levat finisque diem praediscere donat:
Nec tam supremae sors et vicinia mortis,
Quam nos cura pii post nos percellit ovilis.
Et quia magnanimum non est permagna virorum
Copia, quis sanctae committi regmina plebis
Iure queant, at multa seges fortique bonoque
Indiget agricola, res est, quae maxime vestram
Poscit opem, quando iniussu non principis illam
Moliri potis est; tantum fert vestra decoris
Maiestas ipsoque suo fit pondere pluris.
Summa rei est: petimus — non aspernare petentem —
Germano liceat flavi decerpere crinis
Caesariem. Vas ille deo lectumque sacrumque
Usibus ecclesiae studiis conducet honestis.'
Diriguit novitate rei multumque retractans
'Quanquam' dixit 'erat regno gratissimus omni.
Divinis humana nefas praeferre putamus.
Quocirca, quod flante deo praenoscis agendum.
Accelera: officio non defraudabere nostro.'
Voto perfruitus notamque relatus ad urbem
Ampla per ecclesiae sollempniter atria plebem
Stare iubet cunctam coetuque ex more coacto
Inque unum cunctis aciem tendentibus infit:
'Fratres et fili, sudoris praemia nostri,
Sumite rem, modicis liceat quam promere verbis.
Post infinitos inmani mole labores,
Rebus in angustis quos huc toleravimus usque,
Post inconstantis permensa volumina vitae,
Post gravis exilii non mitia pondera fesso
Optato patriam donatur cernere veram.

Scholia — 397 quis] pro quibus 400 quando] siquidem 401 Moliri] conari 406 conducet] proderit 407 Diriguit stupefactus est praefectus retractans] recogitans 409 nefas] peccatum 411 Accelera] fac officio] permissu 412 perfruitus] adeptus voti relatus] reversus 416 fil[i]i] sinizesis sudoris] laboris

388 inquit *2 m. P* 395 p̃cellit *corr. 2 m. P* 397 qui *corr. 2 m. P* 398 ac *Boschius* 401 tert *corr. P* 403 re[illegible]i *P* 405 lectumque *Boschius*] lectum *P* 409 praeferre *in l. r. P* 410 Quocirca flante *corr. P* 413 sollēniter *P* plebē//// *P* 416 fili *Boschius*] filii *P*

Et quanquam carnis gratamur compede solvi,
Spiritus ut Christo mereatur iure coesse,
Anxia cura tamen nostri nos angit ovilis.
Ergo agite et tanti inspectantes milia coetus
Ecclesiae dignum post me signate magistrum,
Omnibus eque viris unum praeponite cunctis,
Fruge salutiferi certo qui tempore verbi
Sufficiat vestris propensa diaria mensis.'
Obticuere omnes; rem tantum pectore versant.
Ille, rei melius cui finis et ordo patebat,
Limina ad ecclesiae gressum flectitque citatque.
Prosequitur plebs tota virum templique parabant
Cum sancto penetrare fores, instantibus ille
Restitit ac placido cunctos affamine mulcens:
'Officii est' dixit 'votique in saecula nostri
Divinam curare domum pacisque ministros
Ordine pacato divis admittere tectis,
At quos caedis amor bellique iusana cupido
Instimulat, totis quam primum arcere sacellis,
Obtentu quoniam facta est domus ista precandi,
Non ut vesani praestet spectacula Martis.
Ergo ut magnificis interfore sacramentis
Copia cuique fiat, telis ferroque maligno
Exonerate manus.' Dixit nec dicere tempus
Plura tulit; posito nam cuncti pondere ferri
Ense latus iaculoque manus solvuntque levantque:
Collisu armorum tellus subiecta retinnit.
Sic praecedentem templi in penetralia sanctum
Plebs est nisa sequi posita iam fronte minaci.
Nescius ingenii, provisae nescius artis
Dux aderat primusque subit: sic postulat ordo.
Praesul sepositis Germanum ut conspicit armis,
Fortibus artari templi iubet ostia claustris:
Fit dicto citius, mandarat quod faciendum.
Quis tibi, magne leo, cernenti talia vultus? *Apostrofa ad ducem.*
Quae tibi tum capto primum sententia venit
Plurima volventi?: casso conabere cuncta.
Si saevire voles, armorum spicula desunt,
Sive fuga labi, patet hic non exitus usquam.
Mansuescas potius — magis haec sententia praestat —,
Disce patique manum, humanos nec effuge tactus:
Mitibus includi pudeat non denique caulis.
Res haec multorum quondam celebrabitur ore.
Si contingat oves inter recubare leonem.

Scholia — 430 Sufficiat] subministret (—at *P*). — Diarium est certa diurni uirtus, largitio (lartio *corr. al. m. P*) 444 Spondiazon versus 445 Ex affectu (afectet *P*) utentis malignum (ma/ligium *P*) ferrum dicitur 453 Dux] Germanus

423 gratamur *Boschius*] gratamen *P* 439 divis *Boschius*] diuinis *P* diuorum *Pesseliaerus* 444 magnifices *corr. P* 445 taelis /// *P* 455 hostia *corr. P* 463 effuge /// tactus *P*

Antistes sacri circumfuso agmine cleri *Ut comam deposuerit.*
Vique manuque virum primus pervadit inermem
Magno ausum praebente deo, cuiusque vocato
Nomine sublimi crinem de vertice carpens
Mutatumque animo mutans discrimine vestis
Promotum iubet esse gradus in honore secundi,
Sollicitum satis esse monens pignusque receptum
Illaesa servare fide, quod protinus ipsum
Sciret in ecclesiae pos se fore regmine primum
Haeredemque loci successoremque magistri.
Discite doctores decretorumque datores *Allocutio pastoribus.*
Pastoresque gregis — sed multi nomine tantum —,
Mystica qui rudibus committi posse negatis
Sacramenta dei — verum nec ⟨id⟩ esse negamus —;
Discite spiritui sed vos submittere sancto,
Cuius opus lex est et dispensatio norma.
Atque, ubi vult, spirat, quoniam natoque patrique
Maiestate pari communicat inque docendo
Non eget ille mora, quoniam tetigisse docere est
Et voluisse agere; et mutat, cum denique lustrat.
Longa via est, iter arduum, id ut acceleretur; *Epilogus allegor(icus).*
Infirmis tardamur equis, quique impete primo
Acriter inceptum peragunt vix denique cursum,
Velle bonum quoniam retinent, sed posse pusillum.
Consule, care comes, quocirca illisque tibique
Digressusque domo moetas hic figito primas.
Incepisse aliquid iam pars est quantula facti.

EXPLICIT LIBER I.

PRAEFATIO SECVNDI LIBRI
ΤΡΙΚΟΛΩ ΤΕΤΡΑΣΤΡΟΦΩ EDITA.

Priscos ingenui cura poematis
Vates cum raperet — quippe facetius
Purum molle canorum
Olim scribere laus erat —,

Scholia — 472 secundi] presbiteri 474 quod] eo quod protinus] i. e. continuo 475 regmine] gubernatione 488 quique] sc. equi impete] pro impetu 491 illisque] equis 492 moetas] terminum figito] i. e. pone ‖ I. e. triplice genere metri a quarto facta (quarta fit ita *P*) replicatione. Nam primi duo versus Asclepidatei (asslepidatei *corr. P*) sunt, tertius Ferecratius, quartus Glychonius

468 primus *Boschius*] primum *P* inermen *P* 475 post se 2 *m. P* 480 verum nec id esse *Boschius*] uerum uerumque 2 *m. P*) nec esse *P* uerum id non esse *Pesseliaerus* 487 accederetur *P*; *an** ⟨coeptum⟩ acceleretur? ‖ EDICTA *corr. P* 1 p̧̊matis *P*

477 *Cfr. Prud. Apoth.* 101.

Phoebeis laribus vota potentia
Indebant solitis relligionibus
Musas vela futuro
Credentes dare carmini.

Centum vocibus hic ora crepantia,
Hic linguas totidem, pectus aeneum,
Oris ferrea plectra
Excibat studiosius.

Me robusta fides, mens bene credula
Diversum petere et sane decentius,
Ne dicam officiosum,
Importunius excitat. —

O lux terrigenum mentibus addita,
O mirande nimis spiritus artifex,
O largitor honorum,
O facundia fertilis,

Olim formifluos qui latices super
Portabare fovens, formificans quoque —
Cuncta informia namque
Extant te sine, conditor —:

Inceptis placido flamine cursibus
Aspira et faciles suggere dactilos
Spondeosque morosos;
Namque haec copula gratior.

At non sufficiunt verba fluentia,
Ni sit materies splendida carminis:
Utrumque approbat usus
Et nos utraque poscimus.

Quanquam tanta sit haec tamque perefflua,
Ut sensus merito mensque perhorreat
Tantae scrupea molis
Atque intacta cacumina,

Nonnullas operas postulat attamen
In litus fluvium cogere turgidum,
Campos cum per apertos
Sese latius explicat.

Scholia — 5 laribus] templis 9 hic] alius crepantia] sonantia expetebat. — Persius (5, 1: Pirsius *P*): 'Vatibus hic mos est centum sibi poscere linguas (lingues *P*; voces *Persius*, linguas *cod. noricius apud Iahn*) 14 I. e. efficax vel possibile; nam ferreum os habere inpossibile est 17 Hinc oratio 21 I. e. qui super informem (informæ *P*) matheriam (materiem *corr. P*) ferebaris, quae formiflua dicitur quod ex ea rerum omnium formae fluxerunt 27 Hae sunt expensae heroici carminis 31 Utrumque] matheriam cum verbis 33 haec] sc. matheries 35 scrupea] asperitatem molis] gravedinis 37 Allegor⟨iee⟩ 38 cogere] coadun⟨a⟩re turgidum] inflatum 39 apertos] i. e. planos. — Summi, inquid, laboris est inmensam matheriam breviloquio coartare

5 Poebis *P* laboribus *corr. P* 8 carmini *Boschius*] crimini *P* 16 Importunius *Boschius*] Importunus *P* 22 formicans *corr. 2 m. P* 24 Extant te] extante *corr. 2 m. P* 36 cacu'mina *P*

O nostri validae pontificis cruces,
Quis non sufficiunt verba, manus quoque,
Nedum cuique ferendas
Ullo foedere dixerim.

His figam calamum te tamen auspice.
Pro quo cuncta quidem pertulit aspera
Nec bis nec semel ille,
Sed quam vita morosior.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Excessus sancti Amatoris et electio Germani in episcopatum.

Moribus et meritis spectatus Amator opimis,
Vivere cui Christus fuit et sors ultima lucrum,
Virtutum plenus titulis plenusque dierum
Ceperat emeritam sudorum praemia palmam
Candentis specie transfusus in astra columbae.
Tum vero populos in consona vota ruentes
Aspiceres spirante deo; namque agmina cleri
Nobilibus conserta ruunt; plebs rustica plebi
Concinit urbanae: par est sententia cunctis,
Vox eadem studiisque ardent communibus omnes
Germano titulum decernere pontificatus.
Hunc claris meritis, hunc nobilitate legendum,
Dogmate praecipuum, generoso pectore primum,
Principibus notum et non nulla parte verendum,
Cautum consiliis divo de fonte petitis.
Multa viri castam cumulant praeconia laudem:
Materiem merita alta dabant perque ora volentum
Libera sponte fluunt sermonis famina veri.
Cuique aliud non est nec praestat copia fandi,
Germanum ingeminat, Germanum ad sidera iactat,
Quaque feras oculos quaque aurem ducere temptes,
Omnia Germanum: tanta est concordia vocum.

Quod bellum civile indicitur potestati.

Multa renitenti sequie abiurare paranti
Civile instituunt primati inferre duellum,
Statque animis incepta sequi nec ducere quoquam
Proposita de sorte pedem. Quid victa potestas,
Quid contra niti populorum milia possit,
Quin moremque gerat superaque ab sede profectam
Instantis norit causam prodisse negoti?

Scholia — 41 validae] durae cruces] angustiae, quas pro deo sibi ingerebat 42 quis] quibus 43 Quae dici non possunt, quanto magis ferri 45 His his crucibus || 8 conserta] permixta 17 Materiem] laudis 22 Germanum] resonant 28 moremque gerat] obtemperet

46 aspe ra *P* || EXPLICIT *P* 14 nulla non *Barthius* 29 negotii *P*

|| 2 *Philipp.* 1, 21.

Si quos praeterea pro se fortasse pararat
Patronos obices, rerum mox cardine verso
Sensit in adversas animum deponere partes:
Expertus, qua velle dei est, huc cetera flecti.
Quod ab his etiam, quo pro se paraverat, vinceretur.

Sumptus honos, non sponte licet, factusque sacerdos:
Si quid erat luteum, prudens convertit in aurum,
Augmentoque gradus virtutum copia fluxit.
Labentis lincuntur opes et munia regni
Lucraque cum pompis et, quicquid labile, lapsum
Lapsurumve putes, mens est ea pendere flocci:
Quin et paupertas opibus praelata caducis.
Quicquid ad humanos licito contraxerat usus,
Spe meliore aridis large transfundit egenis
Instanti contempta die nec crastina curans.
Uxor ad amplexus tantum fidelissima castos
Hac subiecta tenus sortem est in versa sororis,
Caelestem caelebs sancto cum coniuge vitam
In relicum ductura diem. Mutatio celsi
Haec fuit illa dei, confectum est munere cuius,
Si quando levam sana quis mente perosus
Pronior in dextram valido conamine fertur.
Quod suscepto sacerdotio mutatur ex omnibus.

Ardua currenti moles in carmine surgit
Pondere torva suo, quod non est tempore visa,
Non audita rudi perque hoc incognita cunctis:
Credita non cunctis, temptata est denique paucis.
Spiritus alme, veni, quaque id virtute dedisti,
Quo posset fieri, da nunc quoque posse profari.
Factus apostolici compos et compar honoris
Duxit apostolicam factis et nomine vitam
Indixitque suae mox ardua proelia carni
Aeternasque cruces, animi commenta ferocis.
De inenarrabilibus cruciibus eius.

Ex qua namque die dici concoepit et esse
Forte sacer, tanta carnem impietate subegit,
Os ut ab omnimodis exin secluserit escis,
Quis avidum adfectant humana inventa saporem.
Non usum Cereris, non usum denique Bachi
Iam tum vel labiis passus contingere summis,
Non oleum, non ille cibis insumpsit acetum.
Quo sine nulla placent, extant lautissima quanquam:
Praesiccis dapibus salis adiumenta negavit.
De abnegatione cibi.

Festa dies ferias si quando indixerat orbi
Induto carnem nitida de virgine verbo
De qualitate poculi.

Scholia — 31 obices] obsistentes 34 Sumptus] sc. est 35 luteum] mundanum 36 copia] habundantia 37 Labentis] decidentis lincuntur] respuuntur opes] divitiae munia] ornamenta. — Saeculi pompa calcatur 38 Lucraque cum pompis] i. e. ambitio, iactantia (iactantus *P*) cum pompis 39 flocci] nichili deputare 40 Paupertas ambitur 44 Uxor in sororem mutatur ex coniuge 45 Temesis est 52 quod] eo quod 61 concoepit] prothesis 71 l. e. nativitate Christi

37 l^{in}cuntur *P* 43 contenta *Boschius* 44 fidissima *Boschius* 47 reliqum *2 m. P* 52 Pondera *corr. P*

Vel cum Tartareo victor redivivus ab Orco
Extulit humanae secum vexilla salutis:
Singula sollemnis pro relligione diei
Indulsisse ferunt expensis pocula parcis:
Vina sed irriguis undantius obruta lymphis
Nativum abnuerant — nec iam modo vina — saporem.
Corpus inane cibo substentaturus inerti *Qualitas cibi et hora.*
Davidis memor ille boni, cui carmina curae,
Libavit primo cineres. sic hordea sumpsit.
Is modo panis erat: factum sumpsisse reatus
Alterius manibus, si non hunc impiger ipse
Excuteret moleretque suis, referre peritus,
Externo an proprio victum sudore pararet
Quodque foret manuum felix probitate suarum.
Temperius sumpsisse cibum fortasse voluptas
Qualemcumque foret: praeceps cum linqueret arva
Phoebus in Hesperias occasu pronior undas,
Persiccis dapibus certam praescripserat horam.
Ad medium ebdomadis quoties duravit inanis?:
Saepius in septem traxit ieiunia noctes.
Qua tulit aestivos anni pro parte calores, *De vilitate vestimenti.*
Hac tulit et rigidas ipsa cum veste pruinas.
Vestis erat tenui tunicam supplesse cuculla
Ciliciumque interne latens: hoc horrida menbra,
Dura cutis, nullo molles in tempore somni.
Sumpta semel iugi nunquam concessit ab usu,
Tradita pauperibus nisi cum successit in usum
Aut attrita nimis nullos decessit ad usus.
Ac velut hostiles in planum fundere turres
Quisque ruens valida premit obsidione rebelles
Nec cessat machinis nec fictis arte latebris
Cumque foris gladio pugnat, terroribus intus,
Non prius absistens, teneat quam moenia victor:
Hisdem animis corpus vexans acerrimus hostis
Exosusque sibi nunc his, nunc impetit illis
Mortificare modis: ieiunis afficit intus,
Asperitate foris domitoque immane leoni
Aspera proponens tum deteriora minatur.
O nova perdomitae nimium constantia carnis,
Naturae cui iura datum est superare potentis

Scholia — 72 I. e. sancto pascha vel die dominica 77 abnuerant] denegaverant 81 modo] tantum modo. — Ordo verborum: factum alterius manibus sumpsisse reatus erat 83 suis] manibus referre] distare peritus] doctus 84 Externo] alieno sudore] labore 92 Nam neque hieme accessit adiectio (abiectio *P*) vestimentorum neque aestate levamen admissum est 105 vexans] macerans hostis] Germanus 106 Exosusque] i. e. contra se indignatus 110 constantia] perseverantia. — Admiratio poetica

76 undantius *Boschius*] undatius *P* 85 Quodque] *eras.* d *P* fe|lix *P* 88 Phoe|bus *P* *ad* 92 Vilitas *Boschius* 96 mollens *corr. P* 107 ieiuniis *P*

79 *Psalm.* 101, 10. 88 *Cfr. Fast. II* 73 103 *2 Corinth.* 7, 5. 108 *Aen. VII* 666 immane leonis.

Ingenitumque homini pedibus substernere *ΠΑΘΟΣ*.

De austeritate lecti eius.

Lectus erat quadri gracilis complexio ligni
Flammarum exuviis cinerisque aspergine duri
Margine plena tenus, confectus iamque iacentis
Duruerat de mole cinis rigidique ferebat
Terga soli; durae dederant stratoria saetae
Pertenui subiecta sago; qua plurima cervix
Verticis excelsi superam consurgit ad arcem,
Nulla viri supposta caput res extulit unquam.
Damnarat sic menbra solo: quid noctibus ille
Quod non detraxit fesso de corpore vestem?
Rara pedum tegmenta tulit, sic cingula raro;
Sanctorum sancto non dempsit pignora collo;
Non pectus gemitu, non os inmune precatu.
Haec inter cui non somnum tormenta negarent? —
'I carmen, procede liber' mens anxia dixit,
'Ulteriora vocant.' Alio mox numine tacta
'Stemus' item dixit; revocant primaria cursum,
Nec semel his haesisse sat est; refricata placebunt
Illa magis: spectanda viri conversio sancti,
Virque viro veteri novus aequa lance ferendus:
Quid fuerit, quid sit factus, quis prodiit ex quo.
Pransuro quondam regali prandia luxu
Orbibus antiquis dapium diversa ferebant.
Nec modus inpensae nec edendi copia simplex;
Vilia nata domi, non magna domestica quaeque:
Arte petita magis duroque labore sequentum
Empta placent quodque est ima tellure ferarum,
Quod caelo volucrum pelagique per abdita nantum,
Principis infrenes conducebantur ad usus
Non mandante fame, at varium latura saporem.
Has epulas, haec fallacis lactamina mundi
Hausta prius iuveni — rerum commertia mira —:
Post compensarunt ter binis hordea lustris,
Libati cineres, ieiunia longa dierum.
Quae veniunt patriis et prima et plurima terris
Vina, ministrabant gemmae pretiosa capaces,
Ut diversorum taceam commenta liquorum:

112 Ingenitum] Innatum *ΠΑΘΟΣ*] passionem 118 qua] i. e. in quam partem 123 Rara — Raro *P* —] pro raro vel rare 134 Pransuro] Germano. — Collatio veteris et novi hominis 135 Orbibus antiquis] discis nobilibus 137 Vilia] sc. erant 138 Arte] venationis 141 infrenes] inmoderatos. — Non ut famem tollerent, sed ut voluptatem commutarent (cumularent *e 'nota cod. Lugd.' Boschius*) 143 lactamina] i. e. delectamina 144 commertia] commutationes. — Exclamatio poetica 145 ter binis] i. e. triginta annis 146 Libati] praegustati 147 veniunt] crescunt prima] praecipua 148 gemmae] i. e. pocula gemmea 149 commenta liquorum] i. e. compositiones potuum. — Ut diversas taceam potiones, quae ei antea diverso modo apparabantur sicut et ciborum diversa species

114 cineresque *corr. P* 122 de/traxit *P* 123 Rara *Boschius*] Raro *P Pesseliaerus* 127 In *Boschius* 134 praedia *corr. P* 142 aut *corr. P*

134 *Aen. I* 637 regali splendida luxu.

Extulit haec palmis interdum fonte petita
Limpha cavis, culpamque putes nisi sumere parce.
Quid memorem Phrigio perscriptas pectine vestes
Nec semel in Tyrios cocta indumenta rubores,
Crassius his aurum super insutasque zmaragdos,
Tum byssos niveas, holoserica plumea, torques,
Multa duci quae larga dabat fortuna superbo,
Singula discretis alium factura diebus?
Artubus his olidi induxit saetalia capri:
Interulis quondam solitus sudare *ΤΡΙΧΑΠΤΙΣ*.
Quid quod et officiis expletum rite diurnis —
Tum ludos tractabat enim, tum seria passim —
A turba ad placidi cedentem tuta cubilis
Mollior exceptum somnos haurire salubres
Culcita suadebat rutilo lautissima cocco?:
Haec eadem rigido tellus asperrima tergo
Membra tulit niveas iam dediscentia plumas.
Nec somnis operam dedit, at plangoribus ille
Inque suo stratu domini memor omnipotentis
Ac veteris iam tum recolens vestigia vitae
Deluit internas fletu medicante latebras.
Hostia viva placens, rationis acumine fulta:
Sic se virtutum casta mactavit in ara,
Post Christum portare crucem seseque negato
Gnarus ad astrigeri contendere culmina caeli,
Confixus cui mundus erat, qui denique mundo.
Prudentes assunto viri sensuque coacto — *Quod longum inter tot cruces martyrium trax(erit).*
Expendant huius causas et sensa negoti
Consultisque animis, tulerit quod maxime dignum
Quisque, ferant: michi certe eadem sententia perstat
Inque dies animo est magis illapsura tenaci
Germanum, quantis hac vixit sorte diebus,
Nobile martyrium totidem traxisse diebus.
Nemo molestus eat, ferat ista superflua nemo:
Germanus michi martyr erit nec ducar ineptus,
'Pro nobis ora, magne' cum dixero 'martyr.'
Quodque est his potius, quanquam vocer improbus, ausim, — *Quod etiam apostolis merito coaequetur.*
Magna quibus toto seges exspatiavit in orbe,
Fidus apostolicis Germanum inscribere granis.

Scholia — 152 perscriptas] intextas. — Color rethoricus est, cum dicit 'quid memorem', cum semper memoretur. — Frigiones dicuntur, qui vestes auro intertexunt; creditur autem huiusmodi intertextura a Frigibus esse reperta (*cfr. Serv. ad Aen. III* 484) 154 insutasque] implicitas —. Silēsis (*sic P, voluit σύλληψις*) 158 olidi] putidi saetalia] i. e. cilicium 159 Interulis] camisiis. — Interulas dicimus interiores tunicas, trizaptus (*voluit τρίχαπτα*) autem [id est] capillaris subtilitatis (*cfr. Hieronym. in Ezech. IV 16, 10 Vall. V pag. 154*): ΘΡΙΧΙ enim Graece capilli dicuntur 161 Parent(hesis) 166 dediscentia] obliviscentia 176 assunto] pro assint

164 cocto *corr. P* 174 strigeri *corr. 2 m. P* *ad* 176 q. i. t. c. longum m. sustinuerit *Bosch.* 177 sensu *corr. 2 m. P* negotii *P* 179 ferat *Bosch.* 181 forte *P* 184 ne *2 m. P*

153 *Cfr. Ge. III* 307.

Etsi non numero, numeri quem finiit auctor,
At merito. Meritis ipsi concurrere Petro
Haud vetitum; meritis Petrus non invidet aequis;
Vitam et virtutes a nostro praesule gestas
Et documenta lege: si non et apostolus esse
Et dici valeat, ⟨vel dic⟩ vel dicere fallax.
Pontificum cathedras quantis splendoribus ornet,
Quod satis emineat, non est hinc dicere multa.
Inferior nullo, multis praestantior extans,
Id sibi privatum Christi fert munere munus,
Dogmate quod rutilus signisque frequentibus ingens
Et verbo et claris confecerit omnia gestis.

Quod et virginibus merito societur.

Cur non et, liciti pepigit quia foedera lecti,
Virgineo quisquam temptet subducere serto?:
Incorrupta fides, voti mens conscia recti
Non umquam est nivei labem perpessa pudoris.
Estque parum intactae carnis gessisse nitelas,
Intimus obsceno si non homo purus ab actu
Integritate sui studeat constare decoris.
Ergo age et adductis ⟨coram⟩ rationibus omnes
Ordine per sanctos animum rape: congrua nostro
In cunctis sunt multa patri, cumque agmine magno
Mundus censoris cogetur ad ora futuri
Cumque et apostolicus consederit ille senatus,
Germanus rutilo subnixus et ipse sedili
De magno decreta ratus censoria iudex
Orbe feret. Tum, martyribus cum fortia sacris
Praemia pendentur, roseam feret ille coronam,
Quam peperere cruces addicto in corpore longae.
Cumque sacerdotes cauti pro merce talenti,
Pro carne edomita, facti pro foenore lucri,
Ordine pro meriti intrarint penetralia regni,
Germano in partem palma victrice locata
'Optime,' dicetur 'pro parvis maxima, serve,
Excipe, quod fueris pleno de corde fidelis.'

Quod cum coniugatis continentibus et virginibus remuneretur.

Terra ferax trimoda beat ubertate colonum —
Sic sator edocuit, verbi dum semina mittit —,
Cumque alii referent nitidos super astra maniplos,
Praemia quisque sui repetens pro parte laboris,
Germanum ternis cernes radiare coronis,
Quique a ter denis in sexagena profectus

Scholia — 195 Quid ad confessores 198 privatum] peculiare 205 nitelas] munditiam 206 obsceno] turpi 208 adductis] collatis. — Quod sicut omnibus particeps est, ita et corona 214 censoria] *TA KPIMATA*, iudicia 229 a ter denis] a coniungio (*cfr.* '*Melitonis*' *Clav. ed Pitra Spicileg. Solesm. III 287*) in sexagena] in viduitatem (*ib. pag. 288*)

194 vel dic *Boschius*] *om. P;* valeat videor non dicere *Pesseliaerus* 208 coram *Boschius*] *om. P* 217 pepere *P* 227 repetes *corr. 2 m. P*

212 *Cfr. Fort. C. X* 7, 17. 222 *Matth.* 25, 21—23.

A leva in dextram semper vestigia duxit,
Virgineo plane pollebit stemmate felix,
Virginibus datus ille comes agnumque sequetur,
Qua gressum tulerit; quodque est natale pudicis,
Concinet aetheria resonum dulcedine carmen.
Tantus ut is fieret, tua sunt haec munia, Christe,
Quo sine nil rectum, cum quo sunt omnia recta.

De bono hospitalitatis.

Qua duo caelicolis quondam virtute receptis
Complacuere patres, fuit haec vernacula sancto,
Edictique memor toties humana monentis:
Cui bene mox facias, quemquam non esse legendum
Quodque viatori patuerunt ostia iusti,
Omnibus hospitii praelargum praebuit usum.
Nemo est exceptus, perpessus nemo repulsam:
Collegit cunctos, struxit convivia cunctis,
Intulit ipse dapes; cunctisque undeunde refectis
Esuriit solus. Quantum his dependere curae
Dilectusve fuit, caperet tanquam omnia Christus
Officia et membris tum praesentissimus esset.
Ille pedum sordes manibus depellere castis
Osculaque extersis instanter figere plantis:
Id fecisse deum et fieri iussisse peritus.
Invalidos mira semper pietate refecit:
Desperata diu nec iam medicalia multis
Ulcera dum fovit, quoties a morte resumpsit.
Hic caecis oculus, pes idem denique claudis
Pauperibusque pater: sic omnibus omnia factus
Offecit nullis, certavit profore cunctis.

Quod in saeculi frequentia heremum servaverit.

Cumque ipso tantum videas hoc tempore multos
Secretos a plebe loco nulloque pudore
Adfectare animis itidem popularia laxis:
Hic vice conversa, raro quod contigit ulli,
In populis nitidam secreti munere vitam
Obtinuit, quodque est mirum, mundalia tractans
Fallacis minime traxit contagia mundi.
O mirum: piceas quemquam contingere sordes
Nec pice foedari; mirum, quod conditus imis
Ignis eat sinibus vestesque ferantur inustae.

De monasterio a se constructo.

Curarum permagna fuit conducere semper
Ecclesiae, cui rector erat quamque ordine miro
Augmentis sanctae componens relligionis

Scholia — 230 Centenarius numerus a leva translatus in dextram virginitatis symbolum est (*ib. pag.* 289) 237 duo] sc. Abraham et Loht 238 haec] virtus vernacula] domestica 239 Edictique] praecepti 245 dapes] convivium undeunde] undecumque 247 Dilectusve] diligentiae 249 depellere] depellebat 250 figere] figebat 259 Secretos] separatos 260 Adfectare] concupiscere 262 secreti] solitudinis 265 Exclamatio poetica cum admiratione 268 conducere] prodesse

235 ut his *corr. P* 239 Edicti memor hic toties *Bosch.* 241 hostia *corr. P* 242 perlargum *Bosch.* 246 quantus *corr. P* 263 est *om. Bosch.* mundialia *corr. P*

Instituit duplici regna ad caelestia quosque
Ire via. Sunt perfectae feliciter ambae,
Ad caelum tendunt aequis processibus ambae:
Laxius una vehens — haec esse canonica fertur —
ΠΡΑΚΤΙΚΗΝ assueto iam dudum more frequentat;
Altera limitibus arta est hinc inde coactis
Nec per plana vehit, molitur ad ardua semper;
Haec et apostolica est eademque ΘΕΩΡΙΚΑ tantum
Secessu gaudens, secreto laeta perenni.
Hanc ingressuris tum moenia pulchra locavit
Urbis ab aspectu, tumido qua prominet amni
Surgentem ad Phoebum, fluvio tamen interiecto:
Icaunam dixit nomen largita vetustas.
Hoc distincta modo sors ecclesiastica crevit,
Crevit in inmensum studiisque rapacibus omnes
Ad sanctam certo migrabant ordine vitam
Felices pastore bono, quem praevia virtus
Fecerat egregium proponebatque sequendum.
Quis non civiles tali cum praesule mores
Conciperet, quanquam modo barbarus ille venisset?
Quis fidei posset purus non fervere cultor,
Etsi in centenum iuratus sacra deorum?
Quis ferus usque adeo, quem non mitescere sancti
Gratia compulerit? Numquam sermonibus ille
Rem gessit tantum: poterat sic denique sperni,
Si non et faceret, contempnendusque putatur
Doctor in eloquiis, nisi fert suffragia factis.
Quave, quod est Christo carum, subducere vili
Arte queat luteos exhalans quisque vapores
Osque dei dici, non est efferre facultas.
Tertius ut capiat signis exordia liber, *Epilogus.*
Morales operas poscit finire secundus,
Indigna quanquam cogi brevitate queratur.

(EXPLICIT LIBER II.)

Scholia — 274 una] sc. via 275 *ΠΡΑΚΤΙΚΗΝ*] Activam vitam 276 limitibus] i. e. finibus arta] stricta 278 *ΘΕΩΡΙΚΑ*] contemplativa 279 secreto] ali⟨as⟩ solitudine 280 ingressuris] monachis scilicet 296 Gregorius (*Hom. in euangel. I 12 ed. Migne LXXVI col. 1119*): 'Cuius vita despicitur, restat ut praedicatio con[p]tempnatur' 298 Deus per Esaiam (*Ierem. 15, 19*): 'Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.' Vilis hic est mundus deo (e. d. h. m. *ex 'not. mss.' Boschius*); pretiosum anima ad imaginem sui creata

274 Laxis *corr. P* 276 li/mitibus *P* 296 contemnendusque 2 *m. P*

293 *Cfr. Horat. Epl. I* 1, 39.

PRAEFATIO LIBRI TERTII
ΜΟΝΟΚΟΛΩ EXPLICATA.

Giranti cuneos Christicolum, quos humus extulit,
Occurrit ratio cum vehemens, tum moderatior,
Lector, pace tua quam liceat prodere purius:
Nulli deterit haec officii magnificentiam.

Inspectes alium muneribus dogmatis inclyti
Praepollere, alium pro meritis scandere sidera;
Hunc signis celebrem clarificat fama beatior:
Vix unum invenias, cui simul haec omnia confluant.

Vulgant Hilarium septifidis artibus inclytum;
Martinus titulis signipotens astra reverberat;
Palmam sanctifici propositi Antonius tulit:
Clarus quisque sua laude nitet tempore perpeti.

Sic donis homines munificus spiritus imbuit;
Qui cum simpliciter simplificus substet et unicus,
Ob fecunda tamen multiplici dote carismata
Caelestis potius septifluum pagina concrepat.

O terque atque quater magnificum et denique milies,
Uni qui meruit forte bono participarier,
Ut de illo sileam, qui siquidem plurima rettulit:
Hic Germanus, hic est, cui melico carmine plaudimus.

Hunc ornat *ΣΟΦΙΑΣ ΚΑΘΟΛΙΚΗΣ* summa peritia;
Hic claris meritis inferior nemine fulserit:
Hunc per signa tamen magnificis confer apostolis,
Si non assimili iure potens hic quoque splendeat.

Testis proluvie Pelagii exempta Britannia;
Testis, qua rigidas ille cruces cellula pertulit;
Testis, qua facilem cumque pedem vel semel intulit,
Stantes ecclesiae et vivifici symbola nominis.

Excursis igitur principio moribus optimis
Ultro signa vocant quadrifido orbe micantia:
Huc nos auspiciis ire bonis, inclyte luminum
Fons idemque pater, qui merito diceris, annue.

Scholia — Uno genere metri: habet enim versum coriambicum, qui constat ex spondeo, tribus coriambis et pyrrichio 2 vehemens] velox moderatior] i. e. mensurabilis 4 deterit] de(t)rait 21 *ΣΟΦΙΑΣ ΚΑΘΟΛΙΚΗΣ*] sapientiae universalis 28 symbola] signa 30 Ultro] sponte quadrifido] quadripertito micantia] splendentia 31 auspiciis] proventibus inclyte] gloriose

4 magnificentia 2 *m. P* 19 retulit *corr. 2 m. P* 25 britaṉia *P*

INCIPIT LIBER TERTIVS.

Ut ad miracula ventum sit.

Creverunt miri meritis crescentibus actus
Famosumque viro per signa potentia nomen
Elicuere cruces, quarum quo durior usus,
Hoc in patrandis melior praestantia miris.
Principium tulit his non experientia iuris
Vana sui nec, qua quondam capiuntur inertes,
Exautoratae levis inconstantia mentis,
Verum nota bonis fessi compassio fratris,
Cui non ferre manum pars est indigna reatus.

De pecunia comperta per energuminum.

Extulit illa virum studiis frugalibus aetas
Officiis habilem primis: Ianuarius olli
Cognomen gentile fuit, sub praeside princeps
Delectus pensis gentem multare tributis.
Ponderis exacti congestam tempore summam
Forte ferebat eo, plenis ut lata cruminis
Adderet exoticis aeraria publica gazis.
Is quod erat sancti devotus verna timoris,
Visere pontificem vestigia torsit in urbem
Indignum pietate ratus, cum comminus esset,
Praeteriisse virum; tulit hinc ad moenia gressum.
Mox vectigalis passus dispendia sacci
Iam reus est et adhuc capitis discrimina nescit.
Amissos rapuit pervasus daemone quidam
Cum sacco nummos, cumque aforet arbiter omnis,
Condidit in latebras. Dampnis addictus amaris —
A quo nam repetat, quod non commiserit ulli? —
Anxius incertis opplet conquestibus urbem.
Itque reditque viam, qua nunc vestigia pressit,
Nequiquam relegens, quod res incognita perstat.
Collapsis spebus sola haec sententia mansit:
In sanctum transferre virum reparamina dampni,
Hunc precibus, hunc et lacrimis incessere veris
Haud aliter, quam depositis obnoxius esset.
Praesul lugentis sortem miseratus iniquam
Posse reformari spondet dispendia fisci:
Femineis animum velit exonerare querelis.
Praesulis edictum tota mox urbe pependit
Quaerendaeque rei tridui dilatio fertur.

Scholia — 1 miri] mirabiles 3 Elicuere] Expressere (Explessere *P*) 5 his] sc. virtutibus 15 cruminis] sacculis 16 exoticis] peregrinis 17 Is] Ianuarius 19 comminus] prope 20 Praeteriisse] pro p(r)eterisse —. 'Nos [h]abiisse rati' (*Aen. II 25 cfr. Serv.*) 24 aforet] abesset 25 Condidit] reposuit in latebras] in occultis addictus] constrictus 29 relegens] recircumi[g]ens quod] eo quod 33 depositis] commendatis 36 Femineis] diversis (?)

11 Efficjis *P* 25 damnis 2 *m. P* 29 Nequidquam *Boschius*

24 *Cfr. Met. II* 458.

Hoc miser expenso votoque elusus inani
Inpatiens ruit ac sancti vestigia stringens
'Publica ni fuerit comperta pecunia,' dixit
'Iam laqueo elisam flebis discedere vitam.'
Quid pietas ageret? Iubet e patientibus unum
Acciri; casu sceleris deducitur auctor.
Imperat, edicat pacti contagia furti.
Ille fovet latebram, produci in plebe negantem
Mox iubet; hinc sacris sese sollempniter aptat.
Elatis manibus plebem de more salutans
Sternitur et terram porrecto corpore pressans
Ingemit; orantis hauserunt sydera vocem.
Nec mora: tum volucres agitur captivus in auras
Suppliciis saltem veri documenta daturus.
Ecclesiam clamor, populum trepidatio complet.
Extulit illa dies miris spectacula rebus,
Quod reus et iudex acri certamine causam
Expendere suam. Iacet hic, attollitur ille;
Iste solum precibus, ventos premit ille querelis;
Contigit hic terram, fugit hic contingere terram.
Stare loco infelix modicum non ausus eodem
Ac velud ingenti circumvallatus ab igne
Germanum inclamat crimenque ex ordine fassus
Digerit. Antistes artus e pulvere tollens
Concivit miserum coramque assistere iussit
Inque aures populi seriem percurrere furti,
Quod superest, notis soldos efferre latebris.
Elatus populi percellit sydera clamor
Germani meritum Christique insignia testans.
Dicitur auspiciis haec experientia primis
Applausisse viro, res est quod publice gesta;
Saepe tamen flatus extruserat ille superbos,
Secreti cupidus voluit sed prodere nulli.
De pestilentia per daemones illata.
Cum sancto partes infessa lite sinistrae
Certavere viro, quodam sed tempore bellum
Acrius incubuit; multaque hunc arte petitum
Ut videre suis patulum non cedere telis,
Conceptum sub corde nefas in dampna tulere
Plebis: in hanc atras tandem exeruere pharetras.
Continuo latis clades incanduit arvis
Diraque per vastum reptant contagia vulgus.
Spiritus obsessis angens praecordia claustris
Aegraque per tumidas adigens suspiria fauces
Compulit infesto populum subcumbere loeto.

Scholia — 43 patientibus] demoniacis, energuminis 55 iudex] Germanus 63 Concivit] evocavit 68 Hoc primum miraculum publice operatus est 69 Applausisse] favisse viro] Germano 72 infessa] infatigabili 77 hanc] plebem 80 Spiritus] Anhelitus

46 implebe *P* 50 auserunt *corr. P* 65 solidos *Bosch.* 71 se *2 m. P* 76 damna *2 m. P*

51 volucris ... in auras *Aen. XI* 795. 79 *Cfr. Ge. III* 469.

Sic inimica lues ternis vix tracta diebus
Mergebat miseros indigno funere cives:
Conclamata salus, vitae fiducia cessit
Inque dies saevi crudescunt *ΣΠΕΡΜΑΤΑ* morbi.
Ferre manum nemo: fatis occurrere nemo.
Agnovit veteris pius argumenta chelidri
Praesul et indoluit. Sacri tum scemate signi
Imbuit allatum verbisque potentibus unguen:
Hoc depulsa lues, hoc vitae reddita plebes.
Halitus atque cybus tactu reparata liquoris
Perniciem pepulere; salus festina recurrit:
Purgavit medicus, quodcumque infecerat ydrus.
Daemonicos flatus talem sevisse ruinam
Post patuit; namque a misero dum pellitur uno
Spiritus, id retulit sanctoque manus ad sidera dante
Turbine verborum turpem excepisse repulsam.

De adventu eius ad monasterium.

Aemula virtutum proponens praemia cunctis
Nunc monachos, nunc ille citabat ad ardua clerum,
Seque his praesentem vicibus dum redderet aequis,
Quadam forte die rogitatus visere fratres
Abnuit alterius distentus pondere causae.
Ecce sed exemptus cura nexuque negoti
Post modicum ignaros fratres egressus adibat.
Obsessorum unus patiens ad limina fratrum
Plusque furens solito vocem per inania tollit
Adfore Germanum vicini ad fluminis oras
Nec sine praemissa pelagus transcendere cumba.
Fallere fallacem fallaci pectore vatem
Asseruere diu; clamor sed pressius instans
Certius id sciri nec rem differre monebat:
Missus ad haec frater certos de praesule reddit.
Cumba volat gratumque vehit fidissima pondus.
Excipitur solito fratrum fervore sacerdos;
Incumbit precibus, sequitur quem contio tota.
Extemplo validis artatum nexibus hostis
Captivum sublime rapit, dumque iste moratur
In precibus, furit hic et questibus aera complet
Seque ferox miseri trudendum pectore frendens,
Laedere corporeos saltem sineretur ut artus,
Inplorat; sed et hoc sibi non succedere certus
Exiit obscenam compulsus rumpere partem:
Condignus sequitur furis vestigia foetor.
Claruit ergo locus meritis et honore magistri
Et succedentum moderamine discipulorum
Ille diu; calamum brevitas a talibus arcet.

Scholia — 85 Conclamata] desperata. — Terentius (*Eun. II 3, 57*): 'Conclamatum est 86 *ΣΠΕΡΜΑΤΑ*] semina 95 sevisse] seminasse 101 his] clericis et monachis 120 frendens] indignans

87 fatis *Boschius*] factis *P* 95 Demonicos] s *in l. r. P* flatus] s *in l. r. P* talē / *P* 97 *sic P et Boschius* 104 negotii *P* 126 succedentium *corr. P*

De conversione Mamertini.

Mamertinus erat Phoebique Iovisque sacerdos,
Tum quoque cunctorum cultor pro posse deorum.
Hic post exactos aliquot his cultibus annos
Unius officio miser expoliatur ocelli,
Arentis pariter referens dispendia dextrae.
Pulsatisque diu, dudum quas rexerat, aris
Expertus surdos nequiquam in vota vocari
Indice Christicola, inciderat quem forte, Sabino
Formantem exemplis decreta monastica pulchris
Germanum expetiit. Rerum (iam) cognitor illi
Signarat causamque viri votumque modumque.
Iam fere contigerat sacri pia limina tecti,
Obvius antistes et se tum forte ferebat.
Ille solo sanctum supplex adfusus adorat;
Erectum praesul miro dignamine mulcens
Ingreditur gratisque hominem sermonibus afflat.
Itur ad ecclesiam: credens perfunditur undis;
Exutus veteris tandem squalore parentis
Induitur niveam mutata mente figuram.
Quin et corporeos sensit concedere morbos
Cumque manu lumen sese meruisse gavisus
Aetatis reliquum sancti sub numine duxit.

De domicilio purgato.

Veridico sermone deus haud profore dixit
Intima sub modii tectam torpere lucernam.
Noverat id noster praecelso dogmate pastor
Nec patiebatur latebris consistere caecis.
Bruma pruinosis increverat horrida terris:
Ille iter insistens admota nocte monetur
Hospitio fessis tenebras defendere membris.
Id solum; nam coepta viro ieiunia perstant.
Forte procul parent veteris vestigia villae
Putribus annosa iamiam solitudine tectis;
Alta veternosas cohibent arbusta ruinas.
Saeva loci facies, tum conversatio saeva.
Praestabat rigido noctem subducere caelo
Quam capud horrori dubium committere tanto,
Quod fere nocturnis infesta pericula larvis
Rite loco nullam paterentur adesse quietem.
Comperit ista senum praesul sermone duorum
Metatusque locum 'Tectis succedite' dixit
'Ambiguis, socii; patet hic spes ampla triumphi.'
Hic inter multas vix una est mansio visa:
Instar habens veteris fuerat quandoque tuguri.
Hanc petit, huc comites, iteris huc fribola transfert.

Scholia — 137 illi] sc. Germano 147 concedere] discedere 162 Praestabat] melius erat rigido] duro 163 horrori] frigori 167 Metatusque] eligens locum 171 fribola] superlectilem (*cfr. schol. ad Iuv. l. c.*)

134 nequidquam *Bosch.* 135 Indice *Bosch.* 137 iam *Bosch.*] *om. P* 170 tugurii *P*

150 *sq. Matth.* 5, 15. 171 *Iuv.* 3. 198 iam frivola transfert (*Liebl.*).

Cena brevis alios, sanctum psalmodia pavit.
Nox erat et plenum carpebant cuncta soporem.
Lector divinis admovit acumina libris —
Mos erat iste viro —; cesserunt fessa sopori
Membra tamen vicitque animum substantia fortem.
Interea ante oculos infelix umbra legentis
Adstitit ac non magna quidem mox acta superne
Crescere in inmensum. Premit imber saxeus aedem:
Missilibus labat acta domus, tremit excita tellus.
Frigidus invadit trepidi praecordia terror;
Verba abeunt; vox obductis in faucibus haeret.
Nutanti spes una fuit subducere somno
Pontificem. Vidit magnique in nomine Christi,
Quis sit quidve petat, coram iubet ille fateri.
Terrificam pressit submissa voce figuram
Se sociumque ferens scelerum contagia plura
Admisisse suum; poenas pendisse feroces:
Munera defunctos non promeruisse sepulcri,
Quodque quies miseris umquam non ulla daretur,
Infestare homines. Orat, sint viscera si qua,
Si qua viro pietas, efflagitet omnipotentem
Pro se proque suo — tanta est ea cura — sodali,
Sedibus exceptos post tot iam tempora certis
Tranquillam miseris sinat inventare quietem.
Indolet eque imo suspiria pectore volvens,
Quo iaceant monstrare iubet. Dux luminis umbra
Praeviat et veteres inter convulsa ruinas
Torva subit: locus est obnoxius ille duobus.
Utque color rebus nitido sub sidere fulsit,
Invitat rigidos operis praeceptor agrestes
Hortaturque viros rastris hinc inde coactis
Expurgare locum. Longo sint tempore quanquam
Congestae sordes, citus at labor omnia vicit.
Cernuntur passim duo fusa cadavera tandem
Mole diu compressa rudi; vix lurida sivit
Agnosci, quod erant humana cadavera, tabes.
Cernitur exesum scabra rubigine ferrum,
Vincula iam siccis haerentia tunc quoque membris.
Ingemit humanam sancti clementia sortem,
Quamque potest miseris, affert compassio curam:
Commoda funeribus sinuatur fossa duobus:
Mollia detractis succedunt lintea vinclis;
Pulveris aggestu facies obducta sepulcri
Signaturque locus venturo notior aevo.

---

173 carpebat *corr. P* 186 submissam *corr. P* 192 uero *corr. P* 196 volvens *Boschius*] uolens *P* 202 castris *Boschius* 213 uiclis *corr. P*

173 *Cfr. Aen. IV* 522. 180 tremit excita tellus *Aen. XII* 445. 191 *Philipp.* 2, 1 si qua consolatio in Christo, si quod solacium caritatis, . . . si quid viscera et miserationes. 198 *Aen. III* 414 vasta convulsa ruina. 204 labor omnia vicit *Ge. I* 145.

Tum pia pro miseris patris intercessio fertur
Defunctis requiem, vivis latura quietem.
Inpavidi posthaec fundum tenuere coloni
Secura⟨mque⟩ mali implevit generatio villam.
Post soles aliquot casu compulsus eodem *De gallorum vocibus absolutis.*
Hospitio fessus successit pauperiorum
More suo; nam ventosum vitare tumorem
Arte volens tali latebram sic saepe fovebat.
Nox ea divinis accessit tota negotis,
Et iam flammipedum cursu provectus equorum
Sparserat ingenuum Phoebus per cuncta ruborem:
Gallorum nullis lucem praecentibus ortam
Antistes stupuit, quanquam non nulla volucrum
Copia tum domibus conspectaretur in illis.
Quaesiti priscis haec se coepisse sub annis
Damna pati replicant. Votis ambita virorum
Succurrit pietas benedicti munere farris:
Hoc pastae volucres vitiosa silentia noctis
Deponunt segnemque diem concentibus urgent.
Paenituit tacuisse diu; nam fauce soluta
Insomnes fecere homines. Sic cardine verso
Non tantum mutae quam displicuere canentes.
Rebus ⟨in⟩ exiguis ingentia gaudia praestans
Hospitium tali propensum foenore liquit.
Extima telluris limbo cinxisse perenni *Britannia heresi polluta et descriptio eius.*
Oceanum perhibent patrum instrumenta priorum.
Is certe finem quadrato fecerat orbi,
Gallica qua rapidi perstringunt litora fluctus.
Insula ni vasto terrarum plurima ductu
Alterius paene nomen conduceret orbis,
Edicto veterum vocitata Britannia, brutis
Barbara quod feritet gens ultro moribus omnis.
Insula cunctarum constat medioxima, quarum
Maxima vel prima: spatiis nam tensa peramplis
Ter fere trigenis productim milibus illa
Longa patet, transversa tuens fit lata trecentis
Interque occasum et septem porrecta triones
Invidiosa suis exercet semina glaebis,
Quamque ferax frugum, tam fertilis illa virorum.

Scholia — 219 Secura⟨mque⟩ mali] contempnen[p]tem malum. — Virgilius (*Aen. I 350*): 'Securus amorum.' 239 propensum] remuneratum 242 Solinus (*22, 1 ed. Mommsen pag. 112, 7, sed Heiricus excerpsit ex Anonymo de situ orb. pag. 36, 23 cfr. eiusdem Heirici Miracula Germ. I 8 ed. Duru II pag. 155* ut fert auctoritas: finis erat *etc.*): Finis erat orbis [h]ora Gallici littoris (litteris *P*), nisi Brittannia insula nomen pene orbis alterius mereretur 246 Iuvencus (*IV 220*): 'Adveniunt brut⟨a⟩e sero post tempore segnes.' 248 medioxima] i. e. media

219 Secura⟨mque⟩ *Boschius*] Secura *P* 224 negotiis *P* 225 cursum *corr. P* 238 in *Boschius*] *om. P* 239 foenore *ex sil. P*] munere *Boschius* 250 fere *Xc* trigenis *P*

240 *sq. Anon. de situ orbis I pag.* 2, 13 *ed. Manitius, qui idem hunc locum apte subscripsit:* Oceanum extima telluris mirabiliter cingentem. 250 *sqq. Cfr. ibid.* 36, 13 *e Mart. Cap. excerpta.*

Polluit hanc error praefato tempore dirus.
Quod satis ad propriam posset conferre salutem
Arbitra libertas, etiam si gratia desit.
Pelagius quidam vana de gente *MONAZOΣ*
Livida Tartarei spirans atramina fellis
Talibus infecit mortalia corda venenis
Pectore perversus, foedo perversior ore.
Praesulibus Gallis pandit legatio fida — *Germanus B⟨r⟩itanniam perrecturus eligitur.*
Discrimen fidei partes lapsantis in illas,
Quamque potest primum, populis succurrere lapsis.
Relligiosorum pepulit compassio mentem
Expositos diro fratres efferre periclo.
Hinc synodus numerosa coit; communibus illic
Causa subest lacrimis: contundunt pectora quisque,
Quodque negat sermo, peragunt suspiria voto.
Flent pestem cuncti: nequeunt succurrere cuncti;
Quaeritur e cunctis, relevet qui vulnere cunctos:
Et sanctum meritis et acuto dogmate cautum
Et signis facilem poscit lis tanta patronum.
Te, pater, haec spectant, tu rebus natus agendis
His quoque succedes repetita sorte periclis.
Ne trepida: pariunt aeternam talia laurum:
Magnos magna petunt, concedunt vilia parvis.
Has in Germano reputant consistere dotes;
Comminus hunc acri concurrere posse duello;
Cum lingua et manibus tum nobilitate potentem
Laturum facile pulchros ex hoste triumphos.
Omnibus id cordi; tenet haec sen⟨ten⟩tia cunctos.
Ambitur precibus, cessit dilectio tandem
Coniurata mori fratrum pro laude suorum.
Praecepti memores socium metantur ituro: — *Ut sanctus Lupus ei collega delectus sit.*
Namque duo melius sortem legantur ad unam
Et lapso comiti certatim subvenit alter.
Sic duo nocturnum capiunt in pace soporem:
Invadens unum premitur virtute duorum.
Id qui suppleret, Lupus est ex nomine lectus.
Nobilis Augustae quondam qui forte Tricorum
Praesul erat, signis et opimo nomine summus.
Iunxit apostolicos moderatrix gratia vates
Terram corporibus, caelum virtute colentes;
Quoque labor pluris et res edura putatur —
Omnia nam magno, quae sunt pergrandia, constant —
Hoc se pernices ad fortia cuncta tulere
Cursibus inpigris stadium percurrere docti.

Scholia — 258 *MONAZOΣ*] monachus 263 Discrimen] periculum 274 APOSTROFE (AP'TI *P*) 285 metantur] eligunt (—ant *P*) 296 *ΠAPENT⟨ΕΣΙΣ⟩* 297 Horatius (*Epod. 2, 42*): 'pernicis uxor Apuli.' Virgilius (*Aen. XI 718*): 'Haec fatur virgo et pernicibus ignea plantis'

282 sentia *P* 291 Tricorum *Boschius*] cricorum *P* Trecarum *Pesseliaerus* 292 opinio *ex Boschii testimonio cod. Lugdun.* opino *P corr. Boschius*

Ut Genovefam Christo consecrarit.

In Parisiacas itiner convertitur oras:
Metodorus fessis tribuit compendia noctis.
Turba loci complexa diem, testata probatos
Adventare viros rapto fert agmine gressum
Obviaque exceptis impertit debita sanctis:
Funditur in cunctam praesens benedictio plebem.
Inde rudes animos monitis caelestibus aptans
Spargere nectareas arvis arentibus undas
Germanus sacer aggreditur plenoque fluentem
Vultibus inmotis attentant fonte sophiam.
Eminus in medio divam constare puellam
Porr(ect)o praesul cernit super agmina vultu
Ac velut aethereum quid commentatus in illa
Comminus admotam praeblando famine mulcet.
Sic cui venales fundit licitatio gemmas,
Dum cunctis inhiat, pretiosam conspicit unam:
Hanc rapit, hanc multis optat sibi stare talentis
Semotamque aliis gremio dat ferre tenaci.
Inmensum stupuere viri. Caput ille paventis
Ore fovens sacro, quibus orta parentibus esset
Quodve sibi nomen, fatu perquirit amico.
Virginis in medium monstrantur adesse parentes.
Rite quod et patrio nomen Genovefa tulisset.
Mox sacer implevit divini pectora vatis
Spiritus et rutilo sic intonat ore sacerdos:
'O lepidum certe caput, o praecordia digna,
O semper meritos tali de prole parentes,
Cuius in exortu superos ingentia cives
Gaudia perflarunt. Vero si credere curae est,
Intima secretis haec quondam admota supernis
Constabit percara deo, persplendida mundo
Atque ipsis imitanda viris.' Sic fatus et ultro
Complectens pueram: 'Fare, o sanctissima,' dixit
'Neu percontanti malis subducere patri,
An delecteris magni cognomine sponsi.
Cuius in amplexus, nisi, non, siet integra, transit.'
Illa rapit verbum plenoque audentior ore:
'Huius amore feror dudum quam fervida' dixit:
'Amplector titulum cognatae virginitatis.
Innuba sidereo possim quo nubere sponso.
Id, si dignaris, per te roborarier opto
Et manibus submitto capud: fer vota precanti.'
Praesul ovat spolio castisque amplexibus urgens
Magnanimem perstare iubet. Mox limina laetus
Ecclesiae penetrat fixaque in vertice dextra

Scholia — 313 licitatio] venditio 315 stare] constare (321 Rite] pro ritu *'not. mss' Boschius*) 331 siet] pro sit. — Ordo verborum: cuius in amplexus non transit nisi integra

310 Porrecto *Boschius*] Porro *P* 311 commentatur *Boschius* 336 fereor *corr. P*

313 *sqq. Cfr. Matth.* 13, 45 *sq.* 341 *Aen. X* 500 . . Turnus ovat spolio.

Sollempnes ex more preces et vota peregit
Spiritui sancto vas aptans immaculatum.
Confectis rebus relevant mortalia victu.
Tum fido pignus deponens iure parenti
Ad lucem remeare iubet: sic denique factum.
'Num memor hesterni persistis, filia, voti?'
Praesul ait. Certe memorem se virgo fatetur.
Eius at optentu, nimium foret indiga cuius,
Conservaturam pactis sponsalia taedis.
Successit res mira loco: favisse videres
Amborum votis collato munere Christum.
Prona solo praesul mox pendula lumina fixit:
Aereus emicuit supremo in pulvere nummus
Insculptus cruce; sublatum tellure sacerdos
Munus adoptivae collo devovit alumnae
'Hoc' dicens 'dotis nostrae gestamen habeto,
Hoc discedentem ante oculos persaepe vocato;
Cetera mundano pompam referentia cultu
A collo digitisque tuis arcere memento.
Extera carnalem subigant insignia sponsam:
Nupta deo gemmis animum compone pudicis.
Nunc longum, pretiosa, vale.' Genitoribus illam
Servandam posthaec fidis commisit; at ipse
Continuavit iter noto moderamine coeptum.

De tempestate per demones concitata.

Hinc mare conscendunt, usi sed praeduce Christo
Fidentesque sibi cessura pericula cuncta.
Qui tuitus proprios inter discrimina servos
Gaudia post tenebras cessit potiora probatis.
Lenibus ac primum facta est progressio flabris
Aequoris ad medium, subductis cum procul arvis
Sola maris facies caelo complexa pateret.
Gloria spiritibus quanquam detracta malignis
Fecerit esse reos, manet his substantia prisca,
Natalis levitas vento penetralior omni,
Livida mens semper studiis obnixa piorum;
Quodque dei castis cernunt accedere lucris,
Id lugent periisse sibi. Properare beatos
Ingemuere viros captae succurrere plebi;
Occurrunt totoque agitant discrimina ponto.
Incumbunt venti raptim de sede ruentes
Quisque sua pulsosque ferunt ad sydera fluctus.
Nox ruit et densae caelum obduxere tenebrae;
Aridus insonuit tremulis compagibus axis;
Fulmina mixta volant. Iam confudisse putantur

Scholia — 344 Sollum dicebant antiqui totum vel valde. Inde componitur sollemnis. Sive etiam solemne dicitur per unum l eo quod singulis soleat celebrari computatis festo diebus (*cfr. Pauli epit. Festi 298 M. et Bernheim Deutsche Forschungen XIV 144*) 347 pignus] i. e. puella parenti] patri et matri 375 *sq.* Sensus est: quamvis demones dignitatem perdiderint, naturam non perdiderunt

349 aesterni *P* 368 produce *Boschius*

Concordes elementa vices mundique ruina
In priscum reditura chaos. Vix vela ferebant
Ventorum rabiem; praeceps a faucibus imis
Pontus hiat iamque infernas ostentat harenas;
Inclemens tremulam diverberat unda carinam
Ictibus alternis. Cedit prudentia nautae;
Cesserunt vires; permittunt omnia ventis.
Una salus fessis magni praesentia patris.
Hunc labor oppressum duri cunctamine somni
Obruerat. Sensit rabies invisa procellae
Intepuisse virum ac nullo velud obice pulsa
Ingeminatque necem rapuitque ad sydera molem.
Spes omnis erepta viris vitaeque fugaeque
Iamque mori cupiunt, careant formidine mortis.
Incumbens decimus posthaec — miserabile — fluctus
Involvit trepidam loetali turbine puppim.
Iamque superfusis latus inclinaverat undis —
Horrendum —, collega Lupus nautaeque paventes
Excutiunt torpore virum: spes omnibus una
Obiectare senem placandis fluctibus unum.
Surgit et evalidis inmota fronte procellis
Nomine praemisso mundi rectoris Iesu
Increpat audacem praestanti pectore pontum.
Hinc sacro tumidos inrorans chrismate fluctus
Fundit more preces. Orantem gratia praesens
Prosequitur: cedunt detectis artibus hostes.
Nox mutata die: compensant gaudia luctus.
Unda favet votis ventoque inpulsa feruntur
Vela suo fluctuque volat famulante carina.

Ut appulsos exceperint.

Aequoris inmensos optato flamine tractus
Explicuere brevi solvuntque in litore vota.
Partibus e variis properans sine nomine plebes
Excepere viros, vates quos forte sinister
Olim venturos trepido praedixerat ore.
Ingressos operum comitatur gloria felix,
Daemonas inque feros fertur sententia primum.
Namque hi pervasa dum proturbantur ab aede,
Pontica se sanctis struxisse pericula pandunt
Molitos magno caelique marisque tumultu
Caelitus emissam populis arcere salutem
Seque sacerdotum meritis et numine victos
Concessisse mari. Mirantur talia cuncti.

Ut errore pulso fidem restaurarint.

Fama celer vastae penetrans regionis in oras
Dispergit venisse viros, vestigia quorum
Prosequitur manifesta salus. Communibus omnes

424 hi *Boschius*] his *P* 431 uiros uiros *P*

388 *Lucan* V 634 *sqq.* Extimuit natura chaos: rupisse videntur Concordes elementa moras rursusque redire Nox manes mixtura deis, spes una salutis, Quod tanta mundi nondum periere ruina; *cfr. totum locum.* 402 *Cfr. Trist. I* 2, 49. 418 *Cfr. Aen. III* 404. 419 *Cfr. ib. IX* 341.

Exultant animis; implevit pectora summus
Ethereis ducibus se passim dedere fervor.
Funditur in cunctas sermonis gratia partes:
Urbes ecclesiae conventus compita rura:
Omnia caelestis spirant meditamina legis,
Insula divinis impletur tota tropaeis.
Si quibus atrocem pestis defixerat unguem,
Vulnera dum pandunt, vitae medicamina sumunt.
Firmatur fidei cunctorum mentibus ardor:
Cuncta fidem redolent, fidei stant foedere cuncta.
Instar apostolicum patribus pollebat in illis:
Officii gravitas, innati gratia vultus
Antiquusque nitor, tum praecellentia quaedam
Intemerata viris semper mens conscia recti.
Artibus egregiis instructa peritia quorum
Verteret hostiles sermonis acumine turmas.
Gallia causidicos — gratare Britannia — tales
Ius tibi dicturos supero pro munere mittit.

Ut in eorum sententiam universi transierint.

Compulit ad sanam verax assertio mentem
Nutantes populos; tenebris cedentibus ardet
Prodigiis animata fides; latet abdita pestis
Auctoresque latent trepidi tetrisque cavernis
Condita pernicies dampnis illacrimat atque
More gemit zabuli populos evadere loetum.

Ut hereticis congressi sint.

Dira per ancipites sed abit trepidatio mentes:
Congressi metuunt rationis pondere sterni,
Sive loco cedant, se dampnavisse silentes.
Hinc metus, inde pudor capiti praeiudicat: aeque
Corda pudor subigit vulgo succedere liti,
Quam non congressos se condempnasse timori.
Iamque dies aderat pulchro discrimine rebus
Indictura fidem: procedunt eminus hostes
Pluribus obsequiis assentatuque suorum,
Divitiis rutili, pompa praeeunte feroces.
Distinguit Tyrias auri substantia vestes,
Quaeque deest meritis, cedit reverentia gazis.
Signifer hinc fidei Germanus, gloria saecli,
Fulmineo flagrans clypeo et caelestibus armis
Progreditur iuxtaque subit collega benignus.
Fama ciet populos; regio coit omnis in unum
Spectatura diem. Tandem processibus aequis
Comminus adstatur, verum non viribus aequis:
Hinc sincera fides, hinc pugnat perfidus error;
Hinc auctor Christus, illinc Pelagius auctor;
Hinc pietas, hinc pestiferae meditatio fraudis.
Hostibus ac primum dicendi copia cessit:

449 brittania *P* *ad* 451 universi *P*] omnes *Boschius* 470 flaglans *corr. P; cfr. supra pag.* 48 *ad v.* 82 et *postea add. P* 477 fraudis *ex sil. P* mortis *Bochio teste cod. Lugd.*

449 *Cfr. Iuv.* 15, 111.

Constitit haec nudis solum vanissima verbis
Nec contenta modo tempusque auresque fatigans:
Garrula torva procax infertilis improba mendax;
Par flammae, cui materies demit indiga vires,
Informis vel dum coquitur ceu massa camino
Follibus egestas capiens fabrilibus auras,
Horrendum stridet. Postquam iustissima verbis
In longum ductis posuerunt taedia finem,
Inde sacerdotes haustu spirante super(no)
Ignea caelestis vibrantes spicula linguae
Ingentes tonitrus, ingentia fulmina fundunt
Mixtaque apostolicis vernacula verba loquelis;
Concina sermonem testatur lectio castum.
Erubuere truces obstipo lumine partes;
Perfidus intepuit foedis torporibus error.
Terga fugae nudant seseque ad singula victos,
Dum contra nequeunt, incesta fronte fatentur.
Arbiter at populus vix tandem vindice ferro
Continuere manus: licuit quod denique solum,
Condempnant clamore reos. Ita contio fervet
Quam venerata pios, tam detestata profanos.

De puella illuminata.

Proruit in medium quidam cum coniuge princeps.
Unica cui geminis iam dudum filia lustris
Natales tenebras ignota luce trahebat.
Ingerit hanc sanctis. Victis hanc hostibus illi
Censent offerri; semel at praesumptio pulsa
Virtutem temptare fugit iunctisque parenti
Exorant precibus miseram de clade levari:
Flectitur his pietas miseros miserata parentes.
Fundunt more precem; pater hinc Germanus amicum
Rite vocans numen sanctorum pignora collo
Abducit manibus frontique admota puellae:
Dampnatas nota refovet virtute lucernas.
Prosiluit medicina potens pulsisque tenebris
Implevit vacuas ignoto sole fenestras.
Nec iam ferre valent laeti sua vota parentes;
Quin etiam populis crevit formido salubris.
Hinc succensa fides illo percanduit usque,
Erroris quoad ulla forent vestigia nusquam:
Sic aliena salus aliis fit causa salutis.

Epilogus.

Vix medium quanquam trepidi confecimus aequor
Nec datur adgressos adhuc exire Britannos,
Sistendum postrema monent. Nunc pondere paulum
Materiae confectus, iners, subcumbe, poeta:
Quod restat, forsan reparato pectore curres.

(EXPLICIT LIBER III.)

---

486 finem *Boschius*] fidem *P* 487 sup. *P* *ad* 500 PVELLA// *P*

483 *sq. Pers.* 5, 10 *et Horat. Serm. I* 4, 19 (*Liebl*). 492 *Cfr. Pers.* 3, 80. 494 *Cfr. Aen. V* 586 (*ubi* fugae *praebent codices aliquot Karolini, volgo legitur* fuga). 519 *Cfr. Ge. II* 541.

PRAEFATIO LIBRI QVARTI
ΤΕΤΡΑΚΟΛΩ ΤΕΤΡΑΣΤΡΟΦΩ DESCRIPTA.

Scandere puppim
Transque meare salum
Coetum discipulorum
Quondam Christus iusserat.

Cedere vulgus
In sua quemque iubet;
Hinc montis subit alta,
Sic numen patris invocat.

Nocte sopora
Omnia torpuerant
Sulcabatque minaces
Puppis cerula gurgites.

Flamine laevo
Aequora ferbuerant;
Spes absumpta salutis
Tanta mortis imagine.

Aethera iamque
Lucifer impulerat,
Cum quartam stationem
Pernox miles inordinat.

Christus amico
Fluctibus in liquidis
Fert vestigia gressu
Seque horrentibus intulit.

Mox tremor artus
Occupat egelidos;
Clamor sydera pulsat;
Terror pectora verberat.

'En ego' Christus
Ut sacer intonuit,
Simon robore sumpto
Haec in famina prosilit:

'Si tua vere
Nos adiit pietas,
Noto me quoque iussu
Tecum pergere praecipe.

Scholia — I. e. quatuor metri generibus a quarto (—a *P*) facta replicatione; habet enim primum versum Adonium, secundum Archilochium, tertium Ferecratium, quartum Glyconium (Gyconium *corr. P*)

20 Per mox *corr. P*

Nam neque summo
Res gravis ulla deo,
Me siccosque videbis
Gressus ferre per aequora.'

Mox miseratus
Annuit his dominus:
Fidens numine Petrus
Puppim desilit ocius.

Pendula ponto
Membra senex agitat
Innixusque marinis
Dat vestigia fluctibus.

Res nova mentem
Perculerat tremulam,
Tum discrimina pontus
Intentat fera fervidus,

Quaeque fidelem
Aequora sustulerant,
1) *Bibliographiam habes apud F. Ueberweg Grundriss d. Geschichte d. Philosophie*[7] *II § 20 et Christlieb in Real-Encyklopaedie f. protestant. Theologie*[2] *XIII 788 s. v. Scotus. — Quod ad nomen attinet, ipsum se Iohannem Scottum nominasse Flossius in Mignii Patrolog. Lat. CXXII pag. XIX recte collegit ex operum inscriptionibus; adici potest Flossii exemplis titulus Martiani Capellae a Iohanne explanati* (Iohannis Scotti expositio Martiani: *de quo opere praeter Bartholomaei Hauréau dissertationem vide Henricum Narducci Intorno a vari comenti al satyricon di Marziano Capella Romae 1883 [= estratto dal bullettino di bibliografia e di storia d. scienze matematiche tom. XV] et Valentinum Rose Die lat. Meerman-Handschriften des Sir Th. Phillipps i. d. kgl. Bibliothek zu Berlin ibid. 1892 pag. 396) et inscriptio Boethii vitae ab eo enarratae* (Iohannis Scotti verba: *cf. Boeth. ed. Peiper pag. XXX et Scherrer Verzeichniss d. Hss. d. Stiftsbibliothek v. St. Gallen pag. 104); contra Macrobii libro de differentiis ab eo excerpto nude subscribitur in codice Parisino 7186* explicuit defloratio de libro ambrosii macrobii theodosii quam iohannes carpserat ad discendas grecorum verborum regulas *(cf. Grammatic. Lat. ed. Keil V 595). Aequales ut appareat quo nomine eum appellaverint, haec congero exempla:* Iohannem Scottum *dixerunt Nicolaus I (Jaffé 2833), Prudentius episcopus Trecensis (Migne Patrol. lat. 115, 1011), Pardulus episcopus Laudunensis (Migne 121, 1052), is qui anno 853 librum de tribus epistulis Lugduni edidit (Migne 121, 1054 cf. Schroers Hinkmar pag. 122), Adrevaldus monachus Floriacensis (Migne 124, 947: perierunt codicis Aurelianensis 191 folia ea, e quibus Adrevaldi scriptum ediderat Acherius, fortasse a Guilelmo Libri librorum furc surrepta), Heiricus Autissiodorensis (SS. XIII 399), Remigius Autissiodorensis (Narducci l. c. pag. 24), librarius codicis Parisini 12949 fol. 23bis (cf. apparatum ad carm. II VIII 1) et fol. 42r* (Frater iohannis scotti aldelmus fecit istam paginam), *Martinus Hiberniensis (cf. infra pag. 523), is qui epistulam scripsit a Duemmlero editam N. A. XIII 353, Iso qui dicitur Prudentii commentator (Migne 60, 529 ad v. 1131, cf. N. A. XVIII 97 adn. 2);* Iohannes Scottigena *vocatur ab Hincmaro episcopo Remensi (Migne 125, 296) et Anastasio bibliothecario (Migne 122, 1027) et postea a Gautberto (cf. supra pag. 422 adn. 2); nudum* Iohannis *nomen invenitur in codicibus Bernensi 363 (Traube Abhandlungen d. bayer. Ak. XIX 2 pag. 351), Reginensi 215 olim Laudunensi (Gueterbock Zeitschr. f. vergl. Sprachf. N. F. XIII 103), Abrincensi 235 fol. 51* (psilotrum . . . noxium humorum impetum reprimit. quo et frequenter Pardulus utebatur episcopus *[Laudunensis]* et Fregus *[an Fergus amicus Sedulii Scotti?]* grammaticus, qui et dicebat: quicumque hoc tertio usus fuerit in Martio, non opus ei febrium molestiam timere in anno illo. Graeci quoque sapientes, ut audivi a Iohanne, hoc maxime utuntur medicamine *cf. Raraisson Rapports sur les bibliothèques des dép. de l'ouest Parisiis 1841 pag. 131, Floss l. c. pag. XXIII, 8°-Catalogue général des manuscrits dép. X 113).* Iohannes Erigena *vel etium perrersius* Iohannes Scottus Erigena *quod nunc vulgo audit, id inde explicatur, quod cum Dionysio a se Latine reddito praescripsisset* sancti Dionisi Ariopagitae libri quatuor quos Iohannes Eriugena transtulit de Graeco in Latinum domno gloriosissimo regi Karolo Hludovici imperatoris filio, *nomen inauditum a librariis non recte describebatur;*

circa medium saeculum nonum[1] Hibernia transmisit Galliae[2]. Nullius ecclesiasticae dignitatis gradibus insignitus[3] *versabatur ibi in comitatu Karoli Calvi*[4] *docebatque pueros palatinos*[5]. *Scriptis gloriam immortalem adeptus est: edidit a. 851 librum de divina*

---

significat autem Eriugena, quam formam retinebant familiae Francogallicae codices — in codicibus Italicis et Germanicis legitur Ierugena, *aliae formae extant in aliis codicibus: cf. Floss pag. XIX — significat igitur Eriugena eum, qui in Hibernia natus est (cf. Traube Abhandlungen l. c. pag. 360). — Verba ea, quae leguntur in codice Parisino 12949 (cf. supra)* frater Iohannis Scotti Aldelmus, *quomodo accipienda sint, latet: nam neque Hiberno convenit nomen Anglicum habere neque* frater *spirituali sensu dictum esse potest in homine laico (quamquam Wulfadum abbatem vel adeo episcopum ipse Iohannes* fratrem in Christo *appellat Migne 122, 1022); sed quae secuntur verba* Litteram tene anno domini . . . | DCCCXCVI°. Sequenti anno tenebrae *(cf. V. Cousin Ouvrages inédits d'Abélard Parisiis 1836 pag. 622, Floss l. c. pag. XXIV, mihi locum descripsit K. Krumbacher), ab iis omnino separanda sunt. Nec recte fecit Pitra Spicileg. Solesm. III 425—427 (cf. ibid. pag. XXVI), cum ad eundem Aldelmum rettulit* philosophi Aldelmi *mentionem, quam fecisset Thomas Cantipratanus (cf. Delisle in Histoire littéraire de la France XXX 366, Goldstaub et Wendriner Ein tosco-venezian. Bestiarius Halis 1892 pag. 295): ea enim, quae sub Aldelmi nomine affert Thomas, partim in libro monstrorum leguntur (ed. Haupt Opuscul. II 221), partim in Aldhelmi episcopi Schireburnensis aenigmatibus, unde auctoris nomen acceperunt.*

1) *Cf. adn. 4.* 2) Te solum omnium acutissimum Galliae transmisit Hibernia, ut quae nullus absque te scire poterat tuis eruditionibus obtineret. *Iohannem acerbe irridens dicit Prudentius (Migne 115, 1194). In Hibernia qua usus sit disciplina, non traditur; Theodulfi episcopi Aurelianensis discipulus esse a Gautberto (cf. pag. 518 adn. 1) per imaginem dicitur, proinde quasi eius scholam continuaverit.* 3) Quis enim te barbarum et nullis ecclesiasticae dignitatis gradibus insignitum nec unquam a catholicis insigniendum adversus apostolicae sedis antistitem Gregorium et beatum Isidorum episcopum audiat oblatrantem *Prudentius de praedestinatione III (Migne 115, 1043) a. 851.* 4) Sed quia haec inter se valde dissentiebant, Scotum illum, qui est in palatio regis, Iohannem nomine scribere coegimus *Pardulus (Migne 121, 1052) a. 852 (cf. Schroers Hinkmar pag. 121 adn. 40) de Praedestinationis libro a. 851 a Iohanne composito. In regis palatio amicitiam colebat Prudentii (Migne 115, 1012: is circa regem erat ante a. 843|846, quo anno Trecassinae civitatis episcopus est factus, cf. Formul. Meror. et Karol. ed. Zeumer pag. 336, 20 et Gall. Christian. XII 489) et Wulfadi (Migne 122, 1022: Wulfadus, abbas Dervensis a. 856, abbas S. Medardi Suessionensis a. 858, abbas Resbacensis c. a. 861, episcopus Bituricensis ab a. 866, per totum id tempus in regis capella episcopis et abbatibus adhaerebat, cf. Schroers l. c. pag. 273); cum Hincmaro episcopo Laudunensi consuetudo ei erat fortasse in ipsa civitate Laudunensi (cf. Traube Abhandlungen l. c. pag. 362 et 363), ubi plus semel commoratus esse videtur aut cum rege aut ut frequentaret populares (cf. N. A. XVIII 104: Scottis Laudunensibus addendus est Fergus amicus Sedulii, v. pag. 518 adn. 1). Regalis* mensae et cubiculi individuus comes *appellatur a Wilhelmo Malmesbiriensi (Gesta pontific. V 240 pag. 392 ed. Hamilton, cf. nos pag. 522, 1); sed Wilhelmus et haec et Iohannis coram rege facete dictorum exempla quae profert duo, quorum prius conferendum est cum Theodulfi versu 63 (tom. I pag. 492), audisse* (erat Iohannes multae *ut ait* facetiae ingenuique leporis, quorum exempla hodieque constant, ut sunt ista) *quam legisse videtur.* 5) *Hic idoneus est locus, quo proferatur Nicolai I epistula ad Karolum Calvum de Iohanne Dionysii interprete missa (Jaffé 2833), dupliciter illa quidem tradita, sc. excerpta ab Ivone Carnotensi (decret. IV 104) his verbis:* relatum est apostolatui nostro, quod opus beati Dionysii Areopagitae, quod de divinis nominibus vel caelestibus ordinibus Graeco descripsit eloquio, quidam vir Iohannes genere Scottus nuper in Latinum transtulerit. quod iuxta morem nobis mitti et nostro debuit iudicio approbari, praesertim cum idem Iohannes, licet multae scientiae esse praedicetur, olim non sane sapere in quibusdam *(sc. a. 851 de praedestinatione)* frequenti rumore diceretur. itaque quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat et nobis praefatum opus sine ulla cunctatione mittat, quatenus, dum a nostri apostolatus iudicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur, *tota autem a Bulaeo (in Historia univers. Paris. I 184) e Gabrielis Naudé,*

praedestinatione adversus Gottescalcum[1], *post Ian. 859 et ante Oct. 869 carmina ad regem missa*[2], *intra spatium ab a. 858 ad a. 860 Dionysium Areopagitam a se Latine redditum*[3],

---

Mazarini bibliothecarii, collectaneis in bibliotheca Oxoniensi asservatis sic relata: [Nicolaus S. S. D. dilecto filio Carolo glorioso Francorum regi. sane plurimum nos laetificat, quod in imperio et regno vestro et specialiter Parisius bonarum artium studia praedecessorum vestrorum cura stabilita repullulent, quarum seminibus ecclesia dei fructificat et animi vegetantur ad illius defensionem. sed nuper doluimus, ut] relatum est apostolatui nostro, quod opus Dionysii Areopagitae, quod de divinis nominibus et caelestibus ordinibus Graeco descripsit eloquio, quidam vir Iohannes natione Scotus nuper transtulit in Latinum. quod iuxta morem ecclesiae nobis mitti et nostro iudicio debuit approbari, praesertim cum idem Iohannes multae scientiae esse praedicetur olim, sed non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. [hinc est, quod dilectioni vestrae vehementer rogantes mandamus, quatenus apostolatui nostro praedictum Iohannem repraesentari faciatis aut certe Parisius in studio, cuius capital iam olim fuisse perhibetur, morari non sinatis, ne cum tritico sacri eloquii grana zizaniae et lolii miscere dignoscatur et panem quaerentibus venenum porrigat. datum an. III]. *Atque primo obtutu apparet (et dudum perspectum est, cf. Staudenmaier Iohannes Scotus Erigena I 159 adn. 5) ea, quae in Bulaei textu uncinis cinxi, aut a Bulaeo aut a Naudaeo esse ficta — nam neque per se fidem merentur et aperte repugnant veritati non fucatae, quam servavit Ivo, et cursus rhythmusque orationis in iis vitiosus est —; quamquam hodieque sunt, qui stolido Bulaei commento utantur tamquam documento genuino. Erat igitur Karoli Calvi temporibus nec 'studium' Parisiis nec eius 'capital' Iohannes Scottus; tamen ut alii viri docti, qui tum in regis aula versabantur, ita et Iohannes litteras docebat iuvenes aulicos. Atque duo eius discipuli commemorantur: Wicbaldus postea episcopus Autissiodorensis* (*SS. XIII 399* hic vir .. Iohannis Scotti, qui ea tempestate per Gallias sapientiae diffundebat radios, factus pedisequus; cuius discipulatui longo inhaerens tempore, divina simul et humana prospicere, prospera aeque et sinistra aequali lance didicit ponderare. dehinc iuventutis solidum robur adeptus ad aulam introductus est regiam) *et Helias postea episcopus Engolismensis (cf. supra pag. 422 adn. 2); Martinus Hiberniensis (cf. pag. 523) et Liudo (cf. ad carm. Scottorum XII 111) num magistro usi sint Iohanne, incertum est.*

1) *Cf. Schroers Hinkmar pag. 115 adn. 24. Oppugnarunt Iohannis librum a. 851 Prudentius Trecensis episcopus (Migne 115, 1009 cf. Schroers pag. 117), scriptor Lugdunensis nescio quis (Migne 119, 101 cf. Schroers l. c.), ante ver anni 853 alter scriptor Lugdunensis (Migne 121, 985 cf. Schroers pag. 122); damnarunt eundem concilia duo, Valentinum Ian. 855 (cf. Schroers pag. 134) et Lingonense Mai. 859 (cf. Schroers pag. 140). Hincmarus Remensis episcopus, qui una cum Pardulo episcopo Laudunensi Iohannem ad edendum librum impulerat (Migne 121, 1052; 1054; 122, 355), tacet de eo a. 856, cum scribit de praedestinatione et ipse (Migne 125, 51); a. 859 in 'posteriore dissertatione de praedestinatione' (Migne 125, 296) nec laudat Iohannem nec vituperat, sed* de XIX capitulis *(Iohannis opus significat, quod XIX capita complectitur)* nunc ad alia occupationibus devocatus scribere supersedet, *Prudentii autem opere item obiter indicato pergit ita:* quorum auctores vel potius sibi compugnatores et in quibusdam veritatis impugnatores iactitantur a multis Prudentius episcopus et Iohannes Scottigena: sed nos nec credere nec confirmare volumus, quod documentis certioribus demonstrare non possumus. interim tamen illorum contentionibus nos immiscere noluimus, usque dum liquidius cognoscamus, ad quem finem contentionem suam quicumque sint illi perduxerint. *Talibus ambagibus usus episcopus litem declinabat (cf. Schroers pag. 137 adn. 30) nec dissuebat amicitiam, quae videtur ei aliquamdiu fuisse cum philosopho; nam in eodem scripto (Migne 125, 225 et 313, cf. Schroers pag. 173) saepius laudat Dionysium Areopagitam tum a Iohanne translatum, sed nondum, opinor, divulgatum.* 2) *Cf. infra pag. 527.* 3) *Anni sic definiuntur: Nicolaus I, papa ab 858 ad 867 (quo anno epistulam miserit nescimus), Karolo Calvo scripsit (Jaffé 2833, cf. supra pag. 519, 5): mitteret a Iohanne Scotto nuper translatu Dionysii opera, quae sui apostolatus iudicio approbaret; misit ea Karolus remisitque a. 860 Nicolaus suo iudicio approbata et per Anastasium sanctae suae sedis bibliothecarium correcta, id quod apparet ex Anastasii epistula in multis codicibus (cf. pag. 525) Dionysio a Iohanne translato praeposita eaque secundum optimos inter eos codices* data X Kal. April.

paulo post Maximi confessoris Ambigua item e Graeco in Latinum translata[1], *libros denique quinque περὶ φύσεων omnium celeberrimos*[2]. *Quo anno ubi sit mortuus*[3], *in incerto relinquo, cum intellexerim et ipse*[4], *quaecumque narrantur de Iohanne e Francia arcessito ab Alfredo Angliae rege et in monasterio Malmesbiriensi a discipulis graphiis*

---

indict. VIII; *anno 859 860 (cf. Schroers Hinkmar pag. 142 adn.) scripti sui de praedestinatione quatuor locis (cf. supra pag. 520 adn. 1) attulit Hincmarus Dionysii verba Latine, quae cum modo consentiant cum Iohannis quem nunc legimus textu, modo discrepent, videntur repraesentare Iohannis textum aut extrema manu nondum perpolitum aut, quod veri similius est, ab Anastasio nondum emendatum. Quod quo facilius diiudicetur, iuxta pono eundem locum Dionysii (de caelesti hierarchia 15)*

Graeci (Migne gr. 3, 329)	*Latini secundum Hincmarum (Migne lat. 125, 313)*	*Latini secundum Iohannem (Migne lat. 122, 1065)*
τὸ γὰρ αἰσθητὸν πῦρ ἔστι μὲν ὡς εἰπεῖν ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων ἀμιγῶς φοιτᾷ καὶ ἐξήρηται πάντων καὶ παμφαὲς ὄν, ἅμα καὶ ὡς κρύφιον· ἄγνωστον αὐτὸ καθ' αὑτὸ μὴ προκειμένης ὕλης εἰς ἣν ἀναφαίνοι τὴν οἰκείαν ἐνέργειαν· ἀσχετόν τε καὶ ἀθεώρητον, αὐτοκρατητικὸν ἁπάντων καὶ τὰ ἐν οἷς ἂν ἐγγένηται πρὸς τὴν οἰκείαν ἄγον ἐνέργειαν· ἀλλοιωτικόν, μεταδοτικὸν ἑαυτοῦ πᾶσι τοῖς ὁπωσοῦν πλησιάζουσιν.	de sensuali enim igne est dicere, in omnes et per omnes immiste venit et praecellit omnibus et omnibus lucens cum sit, simul est et sicut occultus; ignotus ipse a se non in porro iacenti materie ostendens propriam operationem; innumerabilis et invisibilis neque tenibilis et omnes in quibus fit ad suam operationem mutans; tradalis (?) sui ipsius omnibus sibi approximantibus.	ignis enim sensibilis est quidem, sic dicendum in omnibus et per omnia clare venit et removetur omnibus et lucidus est simul et quasi occultus; incognitus ipse per se ipsum non accumbente materia, in quam propriam manifestet actionem; inmensurabilisque et invisibilis per se ipsum, potens simul omnium et quaecunque in eis sunt fiunt ad actionem propriam; mobilis, tradens se ipsum omnibus quoquo modo proximantibus.

Patet Hincmarum vel potius Iohannem interpretari καὶ τὰ (pro τῶν?) ἐν οἷς ἂν ἐγγένηται πρὸς τὴν οἰκείαν ἐνέργειαν ἀλλοιωτικόν, quae lectio in codicibus aliquot Dionysii invenitur; Iohannem vel potius Anastasium apud Dionysium id legisse, quod ceteri codices tradunt: κ. τ. ε. ο. α. ε. πρὸς τὴν οἰκείαν ἄγον ἐνέργειαν· ἀλλοιωτικόν. Adhibebat Anastasius Dionysii codicem scholiis instructum, qualis est Florentinus saec. IX photolithographice expressus in Collezione fiorentina di facsimili paleografici II 17; Iohannis exemplum scholiis carebat velut caret codex Parisinus gr. 437 saec. IX (cf. Omont Inventaire sommaire des ms. grecs I 47 et Fac-similés des plus anciens ms. grecs en onciale tab. XIV 1); nec Graecum librum secum ex Hibernia asportaverat, sed utebatur Dionysii codice Francogallico aut eo, quem Paulus I papa Pippino miserat a. 758 763 (cf. Cod. Carolin. 24 Mon. Germ. Epp. III 529, ubi corrumpuntur verba rectius olim a Iaffé edita et explicata a Prantl Geschichte d. Logik [3] II 3 adn. 6) aut eo, quem a. 827 Michael imperator monasterio S. Dionysii per legatos tradiderat (cf. Hilduin epistul. ad Ludovicum Pium Migne 106, 16 et Simson Jahrbuecher d. Fraenk. Reichs unter Ludwig d. Frommen I 278).

1) *Se Maximum absoluto Dionysio transtulisse ipse Iohannes narrat in epistula ante Maximum (Migne 122, 1195).* 2) *De naturae divisione quod vulgo nominatur opus Iohannem post a. 867 scripsisse nescio an suo iure dixerit Iohannes Huber (Iohannes Scotus Erigena Monachii 1861 pag. 108); certe scriptum est Maximo iam translato (cf. Anecdota Graeca ed. F. Oehler Halis 1857 I pag. VI) et Heirici poemate de S. Germano nondum edito (cf. supra pag. 433 sequentes).* 3) *Usque ad Iohannis VIII. papae aetatem (872—882) eius vitam protraxerunt permulti Mabilionis sententiam secuti; sed de codicis Laudunensis carmine ea, ex quo id statuerint, aliter est iudicandum, cf. infra ad Scottorum carmen XII III 1.* 4) *Optime de hac re iudicavit Pauli Koenig Aelfred Berolini 1851 pag. 195; pessime J. B. Weiss Geschichte Alfreds d. Grossen Schaffhausen 1852 pag. 353, Christlieb l. c. (vide pag. 518 adn. 1), Traube Abhandlungen l. c. pag. 67 (nondum enim perspexeram Hincmari epitaphium [infra carm. X] factum esse a Iohanne, dum ille inter vivos esset).*

confosso, meras esse fabulas vel, ut verius dicam, esse aut a posteris aperte conficta aut non referenda ad Iohannem Scottum, sed ad presbyterum quendam Iohannem, natione Saxona [1].

2. Librum de praedestinatione [2] *unus codex Corbeiensis, qui nunc est inter Parisinos bibliothecae nationalis Lat. 13386, a fol. 103 ad 159 servavit eaque parte scriptus saeculo nono exeunte; antecedunt per tredecim quaterniones a fol. 1 ad 102 octavo saeculo scripta* tractatus Peregrini contra haereticos *et quaedam alia, secuntur a fol. 160 ad 207* PRISCIANI PHILOSOPHI SOLVTIONES EORV̄ DE QVIBVS DVBITAVIT CHOSROES PERSARVM REX *scriptae saeculo nono* [3] *et a fol. 208 ad 219* LIBELLVLVS

---

1) *Sola mihi res est cum Willelmo Malmesbiriensi, nam qui ante eum scripsit Asserius (SS. XIII 121; 122; Mon. hist. Brit. I 493—495) disertis verbis de Iohanne, monacho et presbytero Saxonico, loquitur (venisse eum in Angliam Alfredo rege invitante, factum esse abbatem monasterii Aethelingaeg, vulnus grave excepisse per latrunculos duos duorum monachorum iussu ipsum adgressos); Iohannem Scottum pro Iohanne Saxone qui ponunt scriptores rerum Anglicarum permulti (item Helinandus et Albricus monachus Trium fontium), unum Willelmum secuntur. Is autem, quibus locis agit de Iohanne Scoto (Gest. reg. II § 122 tom. I pag. 130 ed. Stubbs, Gest. pontif. V § 240 pag. 392 ed. Hamilton, Epist. ad Petrum fratrem ed. Gale in editione Iohannis Scoti de divisione naturae Oxonii 1681 fol. §§ cf. Hamilton l. c. pag. 531 s. v. John Scottus), tres miscens Iohannes ab aequalibus sapientissimos iudicatos (unde error Willelmi ortus est) sc. Scottum, Saxona, Malmesbiriensem (de Iohanne Malmesbiriensi vide Stubbs ad Gesta reg. pag. 131 adn. 1), haec narrat: Iohannem Scottum patria bellorum sede relicta in Franciam transrectum et a Karolo Calvo in summo honore habitum eius rogatu Dionysii opera transtulisse sed nimis ad verbum expressa; edito libro* perifision *(sic scriptum legitur in Gestis pontificum et Epistula,* ΠΗΡΙΦΙCΙΟΝ ΜΗΡΙΜΝΟΙ *in Gestis regum) a Nicolao papa infamatum et Alfredi munificentia allectum in Angliam venisse; ibi in monasterio Malmesbiriensi a discipulis graphiis occisum post mortem edidisse miracula. Quas res Willelmus hauriebat e sex fontibus: 1. ex Asserii historia (referens ad Scottum quod de Saxone ille narraverat, cf. supra) 2. ex Alfredi regis praefatione, quae est ante Gregorii Curam pastoralem ab eo Anglice redditam (qua in praefatione mentio fit Iohannis sc. Saxonis, cf. e. g. Wright Biographia Brit. I 400) 3. ex Anastasii epistula praefixa Dionysio a Iohanne Scotto translato 4. ex Ivonis Carnotensis sylloge (cf. pag. 519 adn. 5) 5. e narratiunculis quibusdam de Iohannis Scotti facete dictis factis, quae tunc in ore atque sermone erant hominum doctorum (cf. ibid. adn. 4) 6. ex epitaphio Iohannis Malmesbiriensis in maiore ecclesia Malmesbiriensi (sunt autem versus hi*

Conditur [Clauditur *Reg.*] hoc [in *Reg.*] tumulo sanctus sophista Iohannes,
Qui ditatus erat iam vivens [vivens iam *Ep.*] dogmate miro.
Martyrio tandem Christi [M. t. meruit *Ep.*] conscendere regnum [caelum *Ep.*],
Quo, meruit [Quo semper *Ep.*], regnant cuncti [cuncti regnant *Ep.*, regnant sancti *Reg.*] per saecula sancti [cuncti *Reg.*]

a Willelmo in gestis Pontificum, gestis Reg[um], Ep[istula ad fratrem] allati, cf. N. A. XVI 176). Haec omnia dum Willelmus, ut dixi, permiscet, quaedam etiam de suo videtur addidisse: veluti quod graphiis perforatum esse Iohannem Scottum narrat, id ne de Malmesbiriensi quidem Iohanne legerat, sed commentus esse videtur ad rem a Seneca (de clementia 15 ed. Gertz pag. 172, 23 cf. Isidor. origg. VI 9 in Reifferscheidii Suetonio pag. 131, 1) memoriae traditam. 2) *De Iohannis carminum codicibus cf. Duemmler N. A. IV 531—534.* 3) *Cf. Prisciani Lydi quae extant ed. Bywater Berolini 1886 pag. IX. Interpretem Prisciani esse Iohannem Scottum affirmat Iulius Quicherat (Bibliothèque de l'école d. chartes III ser. tom. IV a. 1853 pag. 248); assentiri id ei videntur Usener (Rheinisches Museum 25, 607) et Diels (Doxograph. pag. 77) neque ipse nego Karolinum aevum redolere translationem. Contra certum mihi id videtur duos locos ἐκ τοῦ πέπλου Θεοφράστου, alterum in codice Laudunensi 444 serratum, alterum in Remigii scholiis in Martianum Capellam (hunc e codicibus Bernensibus protraxit Usener l. c., de utroque disputarunt M. Kremmer De catalogis heurematum Lipsiae 1890 pag. 107 et Wendling De peplo Aristotelico Argento-*

SACERDOTALIS QVEM LIOS MONOCVS HEROICO VERSV COMPOSVIT *scriptus nono vel decimo saeculo*[1]*: quae scripta quamquam codice continentur nunc eodem, olim inter se non cohaerebant. Iohannis librum primus edidit Gilbertus Mauguin inter Veterum auctorum qui IX. saeculo de praedestinatione et gratia scripserunt opera et fragmenta tom. I pag. 103*[2] *Parisiis 1650, tum nostra aetate H. I. Floss in Mignii Patrologiae Lat. 122, 355. Carmen in eo post praefationem positum (infra I) quod nunc edo correctius, acceptum id refero insigni benivolentiae Leopoldi Delisle, qui mea gratia codicem inspexit.*

3. Carmina, quae apud me sub numeris II III IV V collocantur, aut iam ipse Iohannes edidit collecta aut amici eius collegerunt. Ea omnia qui contineat, codex superest nullus: sed apparet, qualis fuerit sylloge, e duobus opusculis Martini, viri Iohanni aequalis[3]*. Martinus enim in codice Laudunensi 444 ab se partim scripto, partim scribi iusso, dum a fol. 294*[v] *ad 296*[v] GRECA *(i. singula verba Graeca)* quae sunt in versibus iohannis scotti *componit et a fol. 297 ad 298 singulos versus Graecos e Iohannis carminibus exscribit, in universum sequitur sylloges ordinem non mutatum*[4]*, relinquit eum uno loco propter causam in propatulo positam*[5]*. Quas excerptiones si adhibuerimus, recte iudicabimus de Iohannis carminibus iis, quae singulis quaternionibus, qui nescio an olim fuerint eiusdem libri Floriacensis postea discissi, duo nunc complectuntur codices, scilicet codex Christinae reginae inter Vaticanos 1587 et codex Christinae nunc Vaticanus 1709, uterque Floriacensis. Ac perspicimus quidem exordium sylloges praeberi a priore (= carm. II), partem paenultimam ab altero (= IV); intercidisse non pauca*[6]*, e quibus aut verba singula aut singulos versus servaverit Martinus (= III et V)*[7]*. Restat, ut quorum librorum utilitas est demonstrata, eorum addatur descriptio. Reginensis 1587*[8] *quattuor partibus*

---

rati 1891 pag. 7) ad Iohannis Scotti doctrinam a Martino Laudunensi et Remigio Heirici discipulo similiter compilatam referendos esse: unde nolim concludas ipsum Theophrasti librum lectum esse a Iohanne.

1) LIOS MONOCVS (Helias monachus *Cangius in indice auctorum ad Glossarium proposuit) quis sit, ignoro; eius carmen quamvis corruptum extet in codice, dignum videtur esse, quod edatur. Mihi primos et ultimos versus descripsit Delisle.* 2) *Carmen inde repetivit Maius Classicorum auctorum V 450.* 3) *Annales Laudun. (SS. XV 1294 cf. Rose Die lat. Meerman-Hss. i. d. Kgl. Bibliothek zu Berlin pag. 288) ad. a. 819* (Martinu)s Hiberniensis nascitur post futurus exu(l et ma)gister Laudunensis; *ad a. 875* (Mar)tinus Hiberniensis in Christo dormivit. *Martini carmina ex eodem codice Laudunensi 444 deprompta inter Scottorum carmina edentur infra. Cf. Traube Abhandlungen l. c. pag. 362.* 4) *Id quod versa vice elucet Martino cum codicibus Reginensibus comparato.* 5) *Cf. infra ad carm. II* VIII 27: *attraxit glossa* ZWH uita *similem* ZWHN uitam *easque, quae ad idem cum ea carmen pertinerent (cf. Miller in Notices et extraits XXIX 2 pag. 196); quod carmen quem locum in sylloge obtinuerit, ex glossarum reliquiis apparet post glossam ad V* X *19 referendam a Martino positis (cf. Miller l. c. pag. 198). Minus perspicuum est, qua ratione idem usus totos versus Graecos excerpserit. Profectus e singularum quae praecedunt glossarum ordine eos sic dispertiri, ut qui in codice in vicem se exciperent (cf. Labbaei Glossariorum praefat. fol. ê* II *seq.), secundum meam editionem disponerentur ita: II* II *67—68, V 49—50, tit.* VII, *tit.* VIII, VIII *20—22, V* I II *1—2, II* VIII *34—35, III* I, II, III *1—3,* VIII, X *1—3,* XII, *III V 1—2,* VI *1—4,* X *1—3; videtur igitur Martinus munere suo functus esse per triplicem lectionem.* 6) *Inter Iohannis carmina Reginensi 1587 et Reginensi 1709 tradita tres quaterniones perisse videntur, quos tamen nequaquam constat nihil continuisse nisi Iohannis versus.* 7) *Periit, ut videtur, Iohannis carminum codex Tullensis, de quo vide infra ad carm. II III 71. Atrebatensis liber, qui in catalogo antiquo (apud Becker 125, 139 pag. 256) ita significatur:* Iohannes ad imperatricem, *non Scotti carmina continebat, sed Iohannis abbatis scriptum ad imperatricem Agnetem, Henrici III uxorem, de contemplatione animae (cf. Wattenbach G. Q.*[6] *II 3 adn. 2), quod intellexi, cum similem titulum catalogi S. Nicolai Passaviensis (cf. Gottlieb Ueber mittelalterliche Bibliotheken pag. 73) in clm. 16053 fol. 76*[v] *scriptum inveni hunc* liber iohannis abbatis ad imperatricem agnetem. 8) *Cf. Bethmann Arch. XII 323, Duemmler N. A. IV 128 et 531.*

constat originis diversae; paenultima parte[1], *quae est a fol. 57 ad 64 cognosciturque e signo* I *fol. 64*^{v} *apposito codicis alicuius fuisse primus quaternio, continet Iohannis carmina ea, quae edidi sub numero II. Reginensis 1709*[2], *qui et ipse in unum cogit plurium codicum partes dissipatas, huec praebet scripta a fol. 16 ad 23, quae folia quartum olim quaternionem effecisse signum* IIII *sub fol. 23*^{v} *indicat: fragmentum alicuius epistulae a verbis* si homicida *(sic)* . in egestate inquit eram . indigebam cibo . tegumen corporis non habebam . ideo alienum sanguinem fudi . ne ipse fame et frigore morerer *ad verba* nec est medicinae culpa sed vulneris . cum crudelitate elementi non parcit ut medicus parcit . sevit ut misereatur . finit thomae *(?)* manus[3], *Iohannis carmina apud me sub n. IV edita, Odulrici*[4] *excerpta ex Augustini operibus*[5]. *Quaterniones illi duo, qui Iohannis carmina exhibent, qua aetate sint scripti, non satis constat, cum eos, qui viderunt, alii saeculo nono, alii decimo, alii undecimo scriptos esse dixerint; utriusque scripturam alterius esse persimilem Iohannes Tschiedel me docuit. Codicem Laudunensem 444*[6] *scripserunt Martinus eiusque discipuli*[7] *ante a. 875*[8], *quo anno mortuus est Martinus*[9]; *dono dederunt ecclesiae cathedrali Laudunensi Adelelmus et Bernardus, presbyteri Laudunenses, ante a. 903, quo anno Bernardus mortuus est*[10]. *Ediderunt Iohannis carmina e codicibus Reginensibus Angelus Maius Classicorum auctorum tom. V pag. 426—448 et Flossius l. c. pag. 1221—1234, versus Graecos e codice Laudunensi Carolus Labbaeus in praefatione ad Cyrilli, Philoxeni aliorumque veterum glossaria fol. ê II—ê III Parisiis 1679 et Flossius l. c. pag. 1237—1240, verba Graeca a Martino collecta Millerus in Notices et extraits d. ms. de la bibliothèque nat. XXIX 2 pag. 194—198. Huic editioni denuo contulerunt codices Reginenses Bethmann, Duemmler, Tschiedel; codice Laudunensi ipse usus sum per ectypa photographica meo iussu facta, praeterquam quod in foliis 297*^{v} *et 298 excutiendis Albi palaeographici tabulas*[11] *adhibui.*

4. Carmen Graecum (apud me VI) codici Bruxellensi 10078—10084, olim Gemblacensi, saeculo undecimo vel duodecimo a viro indocto, qui Latinis litteris est usus, in

---

1) *Antecedit pars I = fol. 1—50 et pars II = fol. 51—56, sequitur pars IV = fol. 66—80 (vacuum est fol. 65).* 2) *Cf. Bethmann Arch. XII 324 et Reifferscheid Bibl. patr. Ital. I 414.* 3) *Totum fragmentum mihi descripsit Tschiedel. Tria ultima verba* (finit Thomae manus) *notis Tironianis scripta quid significarent, docuit W. Schmitz V. C; dubitabat tamen, num mediam vocem recte explicasset, et ille et F. Ruess V. C.* 4) *Num is sit, qui ab 1025 ad 1040 S. Martialis Lemovicensis abbas fuerit, dubito, cum Floriacensi disciplina cum usum esse, id quod multi statuunt, mihi non compertum sit. Sed Augustinum forsitan excerpserit idem Odolricus, cuius carmen ad Hubertum per scripturam secretam missum (incipit* rfghs hpdplrkcp *i. regis Hodolrico) extat in Reginensi 2024 (cf. Archiv XII 328).* 5) *Incipit Odulrici glossarium (Graeca vocabula videtur operam dedisse ut colligeret):*

Messuit hos flores magni de fonte magistri
Odulricus Athis plectro filamina texens,

prima glossa est Persona dicitur a personando, *ultima* Trapezites collibistes · nummularius. 6) *Eum accuratissime descripserunt Miller Notices et extraits XXIX 2 pag. 1—230, Goetz Corporis glossariorum II pag. XXVI sqq. (addita est folii 5 imago phototypica), Omont in Album paléographique avec les notices explicatives par la société de l'école d. chartes Paris 1887 ad tabulam 23 (cf. Traube Abhandlungen l. c. pag. 362 et 392).* 7) *Martinus in ea codicis parte, quae a me editur, i. fol. 294*^{v}*—298, ipse scripsit fol. 294*^{v}*—295*^{v} *(i.* Greca ad uersus *[v. infra Scottorum carmina XII 1] et* Greca quę sunt in uersibus iohannis scotti *usque ad glossam* CΔPKIKΔ carnales, *quae respicit Iohannis carmen II VIII 49), in fol. 296*^{v} *glossas eas, quae apud me sunt inter Iohannis carmina V III, et subscriptionem a me inter Scottorum carmina editam sub n. XII 11, in fol. denique 297*^{v} *solam inscriptionem carminis inter Scottica XII V; reliqua omnia eius discipulus exaravit; neuter scriptura Scottica est usus.* 8) *Et post 858, quo anno Hincmarus factus est episcopus Laudunensis, cf. Abhandlungen l. c. pag. 362.* 9) *Cf. pag. 523 adn. 3.* 10) *Cf. Abhandlungen l. c. pag. 362.* 11) *Cf. adn. 6.*

folio additicio adscriptum[1] *primus Flossius contendit a Iohanne esse compositum; neque immerito, cum versus in Dionysii laude versentur et facti sint ad leges, quas Iohannes exerceret*[2]. *Quod autem extra syllogen traditum ad nos pervenit nec verba ex eo in Martini glossarium adscita sunt, restat scrupulus*[3]. *Flossii editionem ad Bockii apographon institutam l. c. pag. 1240 excipit mea, in qua Bursiani et Bethmanni exempla sequor.*

5. Dionysii operum a Iohanne in Latinum translatorum codices extant permulti: quorum tres distinguo quasi familias: Francogallicam, Italicam, Germanicam. Francogallicae auctor est Anastasius bibliothecarius, qui Nicolai papae iussu a. 860 Iohannis translationem correxit, scholia ad margines apposuit, epistulam ad Karolum Calvum praemisit[4]. *Auctor Italicae*[5] *videtur esse Iohannes dux Campaniae, qui saeculo decimo cum Dionysium transscribi iussit*[6], *adhibitum est primae familiae exemplum*[7]. *Tertia familia habet auctorem Othlonum, monachum S. Emmerami: is enim saeculo undecimo Dionysii cultu Ratisponae gliscente eam ex exemplo aliquo Italico propagavit*[8]. *Differunt autem, si indicia extrinsecus collegeris, inter se eo, quod Italica et Germanica Anastasii additamentis carent, eaedem in inscriptione, quae est* Dionisi libri quatuor quos Iohannes Eriugena transtulit, *pro Eriugenae nomine a Francogallica recte servato male Ierugenam ponunt*[9], *Germanica Dionysio subiungit versus contra avaritiam Romanam*[10]. *Prima editio typographica*[11], *quae prodiit Argentorati 1503, sequitur codicem Francogallicum cumque neglegentissime scriptum; eadem saepius repetita*[12] *Flossius inprimis Othlonianorum codicum praestantia confisus Dionysii opera emisit l. c. pag. 1023—1194; interim sola carmina ediderant Usserius in Veterum epistolarum Hibernicarum sylloge pag. 40—44 Parisiis 1665 et Maius l. c. pag. 448—450, ille codice Cantabrigiensi stirpis Francogallicae usus*[12], *hic codicibus noviciis et interpolatis. Ipse in carminibus recensendis (eduntur sub n. VII) e familia Francogallica, quos duces sequerer, selegi codicem Bituricensem nunc inter Phillippicos Berolinenses 46 saec. X*[13] *et Florentinum in bibliothecae Laurentianae plut. LXXXIX sup. 15 saec. XI exeuntis*[14], *ex Italica Bambergensem B IV 8 saec. XI XII*[15], *e Germanica Monacensem olim Ratisponensem 14137 ab ipso Othlono*

---

1) *Cf. Catalogue des ms. de la bibliothèque r. des ducs de Bourgogne I pag. 202 et Floss l. c. pag. XVIII.* 2) *Cf. indicem nostrum.* 3) *Cf. ad carmen I 1.* 4) *Cf. V. Rose Die lat. Meerman-Hss. pag. 67 seq. et supra pag. 520 adn. 3. Huius familiae aut scio aut coniecto esse codicem Bituricensem (nunc Berolinensem cf. infra 13), Florentinum (cf. adn. 14), Bernensem 19 saec. X—XI (librum Petri Danielis, cf. Catalog. ed. Hagen pag. 12), Abrincensem saec. XII (cf. 8°-Catalogue X 23), Darmstadtiensem saec. XII (olim Coloniensem cf. Floss pag. XIX et 1023). Eiusdem stirpis codice utitur et Hugo de S. Victore explicans Dionysium (extant Hugonis commentarii in Parisino 1619, Tolosano 150, Cantabrigiensi collegii corporis Christi 314) et Iohannes Saracenus eum denuo a se translatum edens (cf. Rose l. c. pag. 68, praeter Rosii codices nori Carnotensem 131 et Tolosanum 151).* 5) *Nitor docta coniectura Ottonis Hartwig (cf. Centralblatt f. Bibliothekswesen III a. 1886 pag. 165 et Leitschuh Fuehrer durch d. kgl. Bibliothek zu Bamberg ² pag. 39).* 6) *Cf. Leonis vita Alexandri M. edita a Landgraf pag. 28, 7. Assentior Hartwigio, quia codex Bambergensis B IV 8, quem ille ex exemplo Italico descriptum esse putat, congruere et cohaerere videtur cum Cassinate 221 saec. XI, qui quin sit originis Italicae, non potest dubitari (cf. de eo Bibliotheca Cassinensis IV 205). Ex Bambergensi B IV 8 alter Bambergensis B IV 7 descriptus esse dicitur; praeter Bambergensem et Cassinatem Italicae familiae codicem novi nullum.* 8) *Cf. Wattenbach G. Q. ⁶ II 67. De codicibus Othlonianis vide infra in appendice ad Iohannem.* 9) *Cf. pag. 518 adn. 1.* 10) *Vide appendicem ad Iohannem.* 11) *Cf. Strauss Opera rariora pag. 77 et Graesse Trésor des livres rares II 399. Primum Argentinensis volumen, quo continetur Iohannis translatio descripta ad librum similem Tolosano 151 (cf. supra adn. 4), coeptum est imprimi XI Kal. Iul. 1502, finitum VIII Kal. Febr. 1503.* 12) *Idem est, quem supra nominavi adn. 4.* 13) *Cf. Rose l. c. pag. 66.* 14) *Cf. Bandinii Catalog. III 259.* 15) *Cf. Iaeck I 65.*

scriptum et duo Vindobonenses 754 saec. XII et 971 saec. XIII[1]*; praeterea quosdam interpolatos adhibui. Contulimus Bituricensem F. Liebermann, Florentinum Ducmmler, Bambergensem Joh. Fischer, Vindobonenses Gottlieb, Monacensem ego.*

6. Dionysio absoluto Iohannes Latino sermone interpretatus est Maximi confessoris Ambigua in Gregorium Nazianzenum (ἄπορα εἰς Γρηγόριον) Graecum codicem nactus in bibliotheca Francogallica nescio qua[2]*. Eius operis codices supersunt duo, liber olim S. Martini a Campis prope Parisios nunc Armamentarii Parisini 237*[3] *et liber olim Gorziensis nunc Parisiis in Mazarini bibliotheca 561*[4]*, uterque scriptus saeculo nono exeunte; tertius erat is, e quo Mabilio Maximum Thomae Galeo descripsit*[5]*. Is carmina ut Dionysio ita et Maximo a Iohanne praescripta, cum ea aut in Mabilionis apographo non invenisset aut quae ederentur indigna esse censuisset, in principe Maximi Latini, quam Oxonii 1681 paravit, editione non edidit; edidit Felix Ravaisson in Rapports sur les bibliothèques des dép. de l'ouest Parisiis 1841 ex Armamentarii codice repetiitque e Ravaissonii libro Flossius l. c. pag. 1235—1236. Eadem carmina apud me prodeunt (sub n. VIII) codice Armamentarii collato ab Alfredo Schoene, Mazarini codice ab Augusto Molinier.*

7. Iohannis carmen de quadam S. Mariae ecclesia[6] *a Karolo Calvo aucta et ornata (apud nos IX) extat in uno codice olim S. Bertini Sithiensis, qui nunc est Cantabrigiae in bibliotheca Collegii corporis Christi 223, Prudentii carminibus saeculo nono scriptis saeculo decimo adiectum*[7]*. Id quamquam a Theodoro Ochler, viro b. m., descriptum habemus, ad cuius apographon ultimos 24 versus edidit Flossius l. c. pag. 1235—1238, cum Ochlerum in describendis codicibus Latinis non satis accurate versatum esse non nescirem, malui ad cctypa photographica recensere, quae Franciscus Jenkinson et Johannes P. Postgate a me rogati Cantabrigia miserunt*[8]*.*

---

1) *Cf. in appendice ad Iohannem.* 2) *Patet ex epistula ad Karolum Calvum missa (Migne 122, 1195) Maximum tum demum Iohanni innotuisse, cum Dionysium emisisset. Itaque non magis illum quam hunc ex Hibernia asportaverat.* 3) *Cf. Catalogue des ms. de la bibliothèque de l'Arsenal I 128.* 4) *Cf. Catalogue des ms. de la bibliothèque Mazarine I 226.* 5) *Cf. Galei editionem fol. §§ 3ᵛ.* 6) *Erat S. Mariae ecclesia Compendii, Lauduni, Suessionibus, Tornaci, aliis locis; a Iohanne quae significetur, non liquet.* 7) *Cf. Nasmith Catalog. librorum quos collegio corp. Christi in academia Cantabrigiensi legavit Parker Cantabrigiae 1777 pag. 297—299 et N. A. IV 533. Donarit codicem collegio illi Daniel Rogerius, v. Catalog. libror. manuscr. in bibliotheca collegii corp. Christi in Cantabrigia Londini 1722 pag. 110. Folio 2 saeculo nono adscriptus est versus hic recurrens:*

Esse sitas olli sedes illo satis esse;

post Iohannis carmen, quod tamen integrum esse videtur, binio excisus est. 8) *De Hincmari epitaphio (apud nos X) quae necessaria sunt afferentur in apparatu. Restat, ut de Iohannis quae vocantur Integumentis (disticha sunt 249, quibus Ovidii Metamorphoses allegorice explicantur; incipiunt* parvus maiori paret veloxque viator*) breviter dicam, quid sentiam. A Iohanne Scotto ea composita esse licet existimaverit Gasto Paris, vir etiam harum rerum peritissimus (cf. Histoire littéraire de la France XXIX 504, 512, 516, L. Sudre Ovidii Metamorphoseon libros quomodo nostrates medii aevi poetae imitati sint Parisiis 1893 pag. 108, Ehwald in Berl. Philolog. Wochenschrift 1893 pag. 1169), mihi tamen saeculo decimo tertio non videntur antiquiora. Codicibus a Gastone Paris commemoratis addendus est Leidensis Vossian. oct. 46 saec. XIV scriptus (cf. N. A. IV 249), Cantabrigiensis S. Petri 12 (Bernard Catalog. libror. Angliae et Hiberniae I 3 pag. 147, cf. Tannerus Biblioth. Britannico-Hibern. pag. 434), Digbeianus 104 saec. XIII in. (Catalog. codd. Bodleian. IX 122:* integumenta secundum magistrum Ioh. Anglicum*), Canonicianus 9 fol. 152 saec. XIV (Catalog. codd. Bodl. III 114); integumentorum editionem a Tannero et Thoma Warton laudatam (Parisiis 1509 vel 1599 prodisse dicitur) non vidi.*

I.

Caesare sub Karolo Francorum gloria pollet,
Litora ceu pelagi piscibus atque salo:
Secta diabolici damnatur dogmatis atque
Pastorum cura splendet amoena fides.

II.

1.

Hellinas Troasque suos cantarat Homerus,
Romuleam prolem finxerat ipse Maro;
At nos caeligenum regis pia facta canamus,
Continuo cursu quem canit orbis ovans.
Illis Iliacas flammas subitasque ruinas
Eroumque ΜΑΧΑC dicere ludus erat;
Ast nobis Christum devicto principe mundi
Sanguine perfusum psallere dulce sonat.
Illi composito falso sub imagine veri
Fallere condocti versibus Arcadicis;
Nobis virtutem patris veramque sophiam
Ymnizare licet laudibus eximiis.
Moysarum cantus, ludos satyrasque loquaces
Ipsis usus erat plaudere per populos;
Dicta prophetarum nobis modulamine pulchro
Consona procedunt cordibus ore fide.

Glossae — [II.] 6 pugnas RL^1

[I.] *P(arisinus 13386) fol.* 104 2 Litora ceu *sic P* 3 do/matis *P*

[II.] [1—VIII.] *R(eginensis inter Vaticanos 1587) fol.* 57—64^r, *qui* liber uersuum plurimorum *inscripsit et* UERSUS IOHANNIS SAPIENTISSIMI AD KAROLUM CALUUM FILIUM LUDOUICI PII CUIUS AUUS FUIT KARLUS MAGNUS *in marg. dextra posuit; accedunt singula verba Graeca cum interpretamentis Latinis in glossario Martini per codicem L(audunensem 444) inde a fol.* 294^v *cum hac inscriptione tradita* GRECA quae sunt in versibus iohannis scotti (= L^1) *et toti versus Graeci in eodem codice positi a fol.* 297^r (= L^{II}) 1 Hellinas *sic R* 6 ΜΑΧΑC *(item reliqua verba Graeca vel Graecanica vel a glossarii auctore pro Graecis habita, quae ubi adsunt infra carminum textum exhibentur interpretamenta Latina iis addita, Graece scribuntur omnia)* L^1 machas *(item reliqua verba Graeca Latinis litteris in codice exarata sunt, nisi aliud subnotatur, cf. ad* VIII 40) *R*

[I.] *Versus, quos dubito an librarius aliquis addiderit de suo (nam Karolus Calvus qui tum rex erat appellatur* Caesar *praeter consuetudinem, nisi quod αὐτοκράτωρ audit in carmine* VI 1 *infra edito, sed quod a Iohanne fortasse alienum sit et ipsum), in unico qui superest codice sequuntur epistulam a Iohanne ad Hincmarum et Pardulum episcopos scriptam et praefixam operi de praedestinatione ab eo adversus Gottescalcum edito a.* 851.

[II—V.] *Fragmenta sylloges, quae continebat carmina a Iohanne inter a.* 859 *et* 869 *scripta.* [I.] *Iohannes gratulatur Karolo Calvo victoriam reportatam a Ludovico Germaniae rege a. d. XVIII Id. Febr.* 859 *e pago Laudunensi fugato (cf. Muehlbacher* 1395 *e).* 1 Hellinas *i. e.* Ἕλληνας *(cf.* Ellinas *pag.* 1031 *ed. Floss) Graece enuntiatum; similia apud Iohannem sunt in carminibus* Magdaline II 51 aggelus archagelus II 11 moysarum I 13 bimata IX 69 sciptra IX 78 *et* 100. 7 *Ioh.* 12, 31; 14, 30.

Nunc igitur Christi videamus summa tropea
Ac nostrae mentis sidera perspicua.
Ecce crucis lignum quadratum continet orbem,
In quo pendebat sponte sua dominus
Et verbum patris dignatum sumere carnem
In quo pro nobis hostia grata fuit.
Aspice confossas palmas humerosque pedesque,
Spinarum serto tempora cincta fero.
In medio lateris reserato fonte salutis
V(ital)es haustus, sanguis et unda, fluunt.
Unda lavat totum veteri peccamine mundum,
Sanguis mortales nos facit esse deos.
Binos adde reos pendentes arbore bina:
Par fuerat meritum, gratia dispar erit.
Unus cum Christo paradisi limina vidit,
Alter sulphureae mersus in ima stygis.
Eclypsis solis, lunae redeuntis Eoo
Insolito cursu sideris umbra fuit;
Commoto centro tremulantia saxa dehiscunt;
Rupta cortina sancta patent populis.
Interea laetus solus subit infera Christus
Committens tumulo membra sepulta novo.
ΟΠΛΙCΤΗC fortis reseravit claustra profundi;
Hostem percutiens vasa recepta tulit
Humanumque genus nolens in morte perire
Eripuit totum faucibus ex Erebi.
Te Christum colimus caeli terraeque potentem:
Namque tibi soli flectitur omne genu.
Qui tantum, largire, vides quod rite rogaris
Et quod non recte rite negare soles:
Da nostro regi Karolo sua regna tenere,
Quae tu donasti patribus almigenis.
Fonte tuo manant ditantia regna per orbem:
Quod tu non dederis, quid habet ulla caro?
Invidiam miseram fratrum saevumque furorem
Digneris pacto mollificare pio.
At ne disturbent luctantia fraude maligna,
Aufer de vita semina nequitiae.
Hostiles animos paganaque rostra repellens
Da pacem populo, qui tua iura colit.
Nunc reditum Karoli celebramus carmine grato:
Post multos gemitus gaudia nostra nitent.

Glossae — 32 st. (CTYΞ CTYKIC genetivus L^1)] palus inferni RL^1: *cf. Serv. ad Aen. VI* 134 33 defectus L^1 39 armatus RL^1

22 *qua *R* 24 Spinarum sorte *R corr. Maius* 26 Vitales *Maius*, V....es *membrana perforata R* 32 stygis (*cf. glossas*)] fagis *R* 39 ΟΠΛΙCΤЄC L^1R (*infra ad c.* II 67 *pag.* 531) oplistes *R* (*in hoc verbo*) 52 pio *sic R* 57 celebramus *sic R*

40 *Matth.* 12, 29; *Marc.* 3, 27. 55 *Cf. infra* IV II 2.

Qui laeti fuerant quaerentes extera regna,
Alas arripiunt, quas dedit ipsa fuga.
Atque pavor validus titubantia pectora turbans
Compellit Karolo territa dorsa dare.
Heheu quam turpis confundit corda cupido
Expulso Christo sedibus ex propriis.
O utinam, Hluduwice, tuis pax esset in oris,
Quas tibi distribuit qui regit omne simul.
Quid superare velis fratrem? quid pellere regno?
Numquid non simili stemmate progeniti?
Cur sic conaris divinas solvere leges?
Ingratusque tuis cur aliena petis?
Quid tibi baptismus, quid sancta sollempnia missae
Occultis semper nutibus insinuant?
Numquid non praecepta simul fraterna tenere,
Viribus ac totis vivere corde pio?
Ausculta pavidus, quid clamat summa sophia,
Quae nullum fallit dogmata vera docens:
'Si tibi molestum nolis aliunde venire,
Nullum praesumas laedere parte tua.'
Christe, tuis famulis caelestis praemia vitae
Praesta; versificos tute tuere tuos.
Poscenti domino servus sua debita solvit,
Mercedem servi sed videat dominus.

II.

Aspice praeclarum radiis solaribus orbem,
Quos crux salviflua spargit ab arce sua.
Terram Neptunumque tenet flatusque polosque
Et siquid supra creditur esse procul.
Dum revocat miseros humanae gentis ab imo,
Cuspide Tartaream percutit ipsa stygin.
O crux alma, nites ultra seraphynque cerybque:
Est ⟨quod⟩, quod non est, te colit omne super.
Te domini rerum, virtutes atque potestas,
Ordo colit medium iure tenendo locum;
Aggelus, archagelus, princeps totusque supremus
Caelestis numerus te colit alta petens.
Te ΠΝΥΖ nostra dehinc iusto modulamine laudat:
Per te, Christifera, namque redempta fuit.

Glossae — [II.] 3 N.] oceanum *R* 6 st.] paludem inferni (p. i. *R*, tristitiam L^1): CTYZ (styx *R*) tristitia inferni RL^1: *cf. supra* I 32 13 ecclesia RL^1

59 querentes (*et saepius* e *pro* ae) *R* 67 *fratres *R* 69 si *R corr. Maius* 73 Numquidnam *R corr. Maius* [II.] 3 flatusque *sic R* 7 seraphymque *corr. R* 8 *Est quod non est *R* 13 ΠΝΥΖ *R*] ΤΠΝΥΖ (*ortum ex* Te Π.) L^1 14 christiferam *Maius*

59 *Aen. IV* 350 fas extera quaerere regna. 60 *cfr. Aen. VIII* 224. 76 *Matth.* 7, 12; *Luc.* 6, 31. [II.] 7—11 *Enumerat hierarchias secundum Dionysii Areopagitae ordinem (caelest. hierarch. translat. a Ioh. ed. Floss pag.* 1050*): primam seraphim cherubim thronorum, mediam dominationum virtutum potestatum, ultimam principum archangelorum angelorum; cf. infra* VII II 16.

Tene manu Moyses magnus gestaverat olim,
Dux dum divini factus erat populi?
Te Pharao stupidat vestitam pelle draconis,
Dum sorbes alios, quos dedit arte magus.
O mons virtutis, descendens carnis ad ima
Figeris in ligno, septa subis Erebi.
Morte tua simpla nostram consumere duplam
Ausus eras, totum dum renovas hominem.
O crux Erythreas tu scindis marmoris undas,
Victrix praecedis dasque viam populo.
Te sequitur virtus omnis, te vita salusque;
Te fugiunt fluctus: crimina dico mea.
Tu das arenosis currentia flumina saxis:
Ebibat hunc fontem, vivere quisquis amat.
In sapidos fluctus populo convertis amaros:
Lex depulsa gravis, gratia sola manet.
Est quoque non dispar sensus praefatibus actis,
Si quis CYMBOΛIKAC discit amare notas.
Mysticus est Moyses Christus, rex atque sacerdos,
Qui nos Aegypto liberat edomita.
Ipse subit mortem primus mortemque resolvens
Prosilit in vitam: virga recepta regit.
Quid, Pharao, sequeris populum? fuge mersus in ima
Carceris aeterni, te tegat atra palus.
Nos virtutis iter medium dum carpimus, altae
Instant phantasiae nequitiaeque toli.
Quas vincens animus laeta potitur arena
Et peccata procul mersa subacta videt.
Tunc ΑΛΑΛΑΓΜΑ canit gaudens multumque triumphans,
Laudibus amplificat tunc ΠΑΡΑΔΟΞΑ dei.
Litora virtutum lustrans tunc intrat heremum,
Mundi contempti qua silet omnis amor,
Spiritus inmundus nullam reperire quietem
Qua numquam potuit, sed redit unde venit.
ΧΑΛΚΕΥC ex alto pendens ibi sibilat anguis:
Extinctum virus, liber erit populus. —
Magdaline, quaeris dominum quid maesta sepultum?
Funere devicto respice laeta deum.
Desine ΚΑΙΠΑΡΙΟΥC meditari cernere vultus:
Vivus adest dominus; quem gemis, ipsa vide.

Glossae — 20 septa] claustra *R* 23 E.] rubeas RL^1 (*cf. infra* III 33 *pag.* 532) Eritryum mare i. rubrum mare *in marg. R* 32 significativas RL^1 40 toli] testudines *R* 43 hymnus victoriae RL^1 44 miracula RL^1 49 aeneus RL^1 53 ortulanus (ortolanos 2. *man.* *R*) RL^1, caepos ortus *R*

16 Dux dum *sic R* 17 farao (*et sic saepius*) *R* uestita *R corr. Maius* 23 erytreas *R* ΕΡΥΤΡΕΑC L^1 27 *post* arenosis *delevit* moneis *R* 32 CY(I^1)MBOΛIKAC RL^1 33 misticus (*item* simbola, cipris, *similia*) *R* 39 *alte *R* 53 ΚΑΙΠΑΡΙΟΥC L^1] caeparios *R*

15—50 *cf. Isidor. Quaest. in Exod.* 12—21 (*Migne* 83, 292) *et Allegor.* 59 (*ibid.* 109). 49 ΧΑΛΚΕΥC *cum terminatione Latina* (YC = us) *pro χαλκοῦς.* 53 ΚΑΙΠΑΡΙΟΥC *pro κηπουρικούς; cf. ev. Ioh.* 20, 15, *ubi codex Sangallensis a Scotto scriptus cum ceteris consentiens* ΚΗΠΟΥΡΟC *exhibet.*

Tersa pios vultus cursim solabere fratres:
Euaggelistes prima beata, vale.
Christe, dei verbum, virtus, sapientia patris,
Sanguinis unda tui, qua madet ara crucis,
Nos purgat redimit solvit vitamque reducit
Electisque tuis praestitit esse deos.
Da nostro Karolo pacem, qui sceptra dedisti,
Atque suus pereat hostis ubique ferox.
Utque tibi placeat cunctis, quis vixerit, annis,
Semina virtutum sparge tuo famulo.
Quarum perspicue vis surgat, crescat in actus,
Ut merito tecum semper ubique regat
ΟΡΘΩΔΟΞΟC ΑΝΑΞ ЄΥCΗΒΗC ЄΝΚΛΥΤΟC
CΟΒΡΟΝ ΧΡΙCΤΟΦΟΡΟC ΚΙΡΡΙΟC Ω ΚΑΡΟΛΟC.

Hos versus cecini sex denos bisque quaternos
Iohannes vester servulus indiguus.
ΜЄΛΠΩ dum, laetus regi mea debita solvo:
Solvere curarim, si sibi grata forent.

III.

Auribus Aebraicis notum si dixero pascha,
Usibus Ausoniae transitus est habilis.
Primum naturae si vis cognoscere pascha,
Quaerito, quis primus fulsit in orbe dies,
Quo machinae mundi cumulatim dicitur esse
In species proprias transitus ex nihilo,
Conditor et causas, quas secum semper habebat,
Prodidit in formas lumine conspicuas.
Sperica tunc tellus artatur limine certo
Vestiturque suis frondibus et ΛΑΧΑΝΙC.
Cincxit litorius Neptuni ΝΗΡЄΑ limbus,
Quem superare nequit cerula crine tumens.
Aerium spatium tangebant cornua lunae,
Quod validis pennis osana colla secant.

Glossae — 67 recte credens rex (rex recte credens L^1) pius gloriosus RL^1 II 68 temperans Christum ferens dominus ipse Karolus (K. *om. R*) RL^1 II 71 canto L^1 [III.] 10 herbis RL^1 11 ΝΗΡЄΑ] beluas (*de monstris Nerinis cogitat*) RL^1 limbus] orbis RL^1 12 cerula] unda RL^1 14 osana] aves RL^1

60 praestitet *corr. R* 67. 68 *continet etiam Laudunensis 444 fol.* 297^r *hinc incipiens seriem integrorum versuum e Iohanne transcriptorum* (= L^{II}) 67 Δ. Ο. L^1 ЄΥCΙΒΗC ЄΝΚΛΙΤΟC L^1 *post* 68 *in ima pagina* ΟΠΛΙCΤЄC armatus (*cf. supra* I 39) ΟΦΙC serpens (*infra* III 24) ΙCΙΔΑ egyptus (*ibid.* 26) ΔΥΓΗ claritas fulgur tonitruum *2. manu add. R* 71 ΜЄΛΠΟ L^1] Melpo *R* [III.] 11 ΝЄΡЄΑ L^1] nerea *R* ΛΙΜΒΟΥC L^1 12 ΚЄΡΥΛΑ L^1 13 spacium (*et sic saepius*) *R* 14 ΟCΑΝΑ L^1 oscina *Maius Spicileg. Rom. IX 45*

67 *Voluit haec fere: Ὀρθόδοξος ἄναξ. εὐσεβής. ἔγκλυτος (= inclitus, cf. infra* V IV 10*) ἀρχός (suppl. Flossius),* | *σώφρων Χριστοφόρος κύριος ὢν Κάρολος.* [III.] 10 *λαχάνοις.* 11 *Νηρέα.* 12 caerulea *sc. Nereis.*

Aetherios cyclos ambibat stelliger orbis
Mundum circuiens motibus assiduis.
Processu vario ferebatur consona turma
Errantum, dulces edidit ipsa tonos
Sex numero septem spatiis modulantibus octo:
Caelestis sperae condidit armonia.
Posthac extremus rex mundi dicitur aulam
Possessurus eam, ni sua facta forent.
Eheu sed miserum decepit femina coniunx.
Quam prius incautam perdidit astus ΟΦΙC.
Moyses dux populi celebravit pascha secundum
Bis quina plaga percutiens ICIΔΔM.
Transivit dominus signatos sanguine postes,
Dum primogenitos planxerat ipsa suos.
Israhelites festinus vescitur agnum:
Ossibus illaesis mystica cena fuit.
It populus gaudens, Aegyptus perfida luget:
Insanit rabie; quem timet, insequitur.
Anxius Erythreas tunc Moyses aspicit undas:
Inscia virtutis territa pleps dubitat.
Nubibus obscuris Pharaonis turma retenta,
Ne praedam caperet, fervida saeva stupet.
Tum dux intrepidus Neptunia dissicat arva:
Praestitit ignoti marmoris unda viam,
Ventus et exurens ΔMMΩNIΔ litora siccat
Et muro similis cerula prona tumet.
Ingreditur populus limpharum gurgite tutus,
Laetus et egrediens actea grata videt.
Obruitur pelagi cumulis Pharaonicus hostis;
Armata dispersim Tethidis ima tegunt.
Haec quondam fuerant venturi ΙΔΔΛMΔTΔ Christi,
In quo conlucent, quae latuere diu.
Qui solus victor prostrato principe mundi
Transacto triduo prosilit ex Erebo.
Ac primus calcans mortem transivit in alta:
Solus nam liber numine Tartareo.
Sanguinis et proprii fundens libamina pura
Mundo salvato pascha novum dedicat.
Sponte sua dominus se mactat ipse sacerdos,
Quae patri placens hostia sola fuit,
Hostia quae totum purgavit crimine mundum,
Mundum quem potuit perdere primus homo.

Glossae — 24 serpens *RL*¹ 26 Aegyptum *RL*¹ 33 rubeas *R*: *cf. supra* II 23 39 arenosa *RL*¹: *cf. Mythogr. Vatican. III* 3, 9 45 imagines *RL*¹

20 **an* constitit? 24 *cf. supra pag.* 531 *ad v.* 68 26 *cf. supra pag.* 531: *an* *Isida? 33 erithreas *R* 35 turma *sic R* 37 dissicat *sic R* 38 uiam marmoris unda *R corr. Maius* 39 ΔMMONIΔ *L*¹ ammonia *R* 43 pharaonicus *sic R* 45 ΔΔΛMΔTΔ *L*¹ 49 primum *R corr. Maius*

19 *Cfr. Ioh. Scott. divis. nat. III* 33; *Huber, Ioh. Scotus pag.* 302. 25 *Cfr. Isidor. Quaest. in Exod. XV (Migne* 83, 294*).* 27 *Exod.* 12, 13. 30 *Ioh.* 19, 36. 44 ἄρματα. 45 ἐνδάλματα.

Ex uno veniens mors est expulsa per unum;
Morte bona vitae mors mala victa perit.
Primitiae Christus reseravit septa sepulchri
Nostrae naturae perdita restituens.
Harum nunc rerum celebrantur symbola sacra,
Dum parent oculis mentibus nota prius,
Dum corpus Christi, dum sacri sanguinis undam
Et pretium mundi mens pia corde sapit,
Dum memores cenam domini revocamus in annos,
Dum plures odas consonat ipse chorus.
Aeternis epulis, quas mystica signa figurant,
Digneris Karolum pascere, Christe, tuum
Devotum famulum, qui te veneratur honorat
Aedibus constructis aurea vasa parans,
Cortinis patulis longa per atria tentis,
Vestito clero murice purpureo;
Presbyteri sancti reboant altaria circum:
Perpetuis templis sic erit ipse tuus.

IV.

Haec nostram dominam Yrmindrudis nomine claram
Exornant meritis laudibus apta suis:
Forma, genus, species, morum pulcherrima fama,
Regis conubium, docta loquela decens,
Praeclarae sobolis donum notaque propago
Obsequiumque bonis omnibus egregium,
Ingens ingenium perfecta Palládis arte
Auro subtili serica fila parans —
Actibus eximiis conlucent pepla mariti,
Gemmarum series contegit indusias:
Miratur fugitans numquamque propinquat arachnos,
Quamvis Palladios aequiperat digitos —,
Inclita consilio castum servare cubile,
Cypris ne valeat commaculare thoros.
Pauperibus multis Christi iustissima cura
Illam sollicitat rite ministra fore.
Prudentum matrum, quas laudant dogmata sacra,
Virtutis consors enitet assidua,
Orans ac legitans libros manibusque laborans:
Et nullum vitiis tempus inane vacat.

Glossae — [IV.] 10 i.] indumenta RL^1 — 11 a.] aranea *R*

61 nec *R corr. Maius* 62 mentibu', *ut infra v.* 70 aedibu' *et* IV 46 omnibu', *videtur admisisse Iohannes* 65 caena *R corr. Maius* 71 *versus etiam in exemplo Tullensi corruptus (nam poetam Ecbasis captivi v.* 603 *ita scribentem* cortinis croceis per longa palatia tensis *Iohannis locum imitari scite subnotavit Voigt pag.* 106*) quomodo emendandus sit non patet;* et longa *Maius* [IV.] 10 *serie detegit *R* INΔYCIΔC L^1

59 1 *Corinth.* 15, 20; 23. 61 *Cfr. Huber l. c. pag.* 103. 71 *Aen. II* 483 atria longa. [IV.] *Irmintrud, uxor Karoli Calvi ab a.* 842, *mortua a.* 869, *in lunificii arte excellebat, cf. Duemmler Gesch. d. ostfr. Reiches*[2] *III* 672 *et apud nos infra pag.* 687. 15 *cfr. Aen. IV* 379.

Quid causas regni dicam, quas ipsa perita
Disponit vigilans pectore praecipuo?
Si sinerent apices, quos scripserat ipse Salomon,
Dixissem forsan, quod perhibere volunt:
Haec nam, haec merito censetur femina fortis,
Quam Karolus reperit fortis et almus anax.
Quem solum celebrat Francorum gloria regem
Dignum Christicolis plebibus atque choris;
Cui gestare licet regnorum plurima sceptra,
Quae magni patres sustinuere sui;
Cui soli regum sapientia praevia pollet;
Quem purae mentis nobilitat studium;
Quem scriptura docet divinis plena figuris,
Ne recto Christi tramite debilitet;
Qui sanctas aedes dedicans ornatibus amplis
Caelestis patriae symbola sacra videt.
Hos ambo, regem dico dominamque potentes,
Christe, tuere tui numinis auxilio.
Sis fidus custos, sis murus tutus in aevum,
Ut tibi perpetuo placita vota ferant.
Devotis animis semper te laudet uterque,
Vocibus armonicis, actibus atque bonis.
Illorum tumidos inimicos sterne rebelles
Aut his conversos subdere colla mone.
Da pacem populo, ⟨modo⟩ qui tibi servit ubique;
Omnibus Christigenis floreat alma quies.
Paganos pyratas vastantes regna per orbem
Consumptos gladio gurgite merge maris:
In Syrtes varias spargantur flatibus austri,
Illic ut pereant aestibus Oceani.
Nos vero laetos puro te corde colentes
Ducas aetherios sidera supra choros.

v.

Mystica sanctorum panduntur dogmata patrum,
Pneumate sanctifico quae cecinere deo,
Aeterno patris verbo, quo cuncta creantur
Occultis sinibus ordine quaeque suis,
Fabrica quo mundi formis simul omnibus una
Surrexit, fuerat ut ratione sua.
Quae sine praecessit non Christo tempore facta,
Dum semper natus cuncta creata videt.
Quam super effertur sanctus ratione regentis
Spiritus, ut sacras vivificaret aquas.

Glossae — 26 anax] rex *R*

22 *uigilo *R*, vigili *Maius* 24 *quid *R* 31 regnum *R corr. Harster* 44 *hos *R* 45 *modo *om. R* 47 Paganas *R* 52 Ducos *R. corr. Maius* [v.] 7 *p̄cessit in christo *R*

23 *Prov.* 31, 10 Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius. 37 *cfr. Aen. III* 438. 49 *Ge. II* 339 parcebant flatibus euri.

Angelicum numerum superorum castra tenentem
Constituit mundo, cetera quaeque vides.
Quorum primatu hominem paradisus habebat
Assimilem factum mente videre deum.
Hanc homo praeclaram speciem complectere nolens
Corruit et prolem traxit ad ima suam.
Sed ne tanta dei penitus transiret imago,
Hanc speciem hominis coepit habere deus.
Hinc natus mundo, passus sub lege malorum
Morte sua mortem perdidit ipse meam.
Quo sunt, quo vivunt, quo stant, quo cuncta moventur,
Ille deus moritur, vivat ut ipse homo.
Ordine multiplici signatus patribus olim
Mactatur legi, vatibus ut canitur.
Hic fuerat aries speculo provisus ad aram,
Dum typicus Isaach ducitur ad iugulum.
Festinans populus Aegypto hunc sumpserat agnum
Sanguine conspergens limina nota domus.
Hic fons, virga, petra, caelestis fulgor obumbrans,
Serpens et manna, nubs, via, panis, aqua.
Talia saepe dei iussu sub tempore facta
Aeternum dominum significare suum
Hacque impleta die sacro venerantur honore:
Ista dies tanta mystica facta tenet.
Hanc mundus prodit congaudens luce decora,
Florigeros motus mittit in aethra suos,
Germina producens, florentes gramine fructus:
Nam Christus fructus dulcis ubique suis.
Surrexit Christus: nostra hinc pia corda resultant,
'Alleluia' deo orbis ubique canit.
Inclite, qui regum te rex conservet in aevum,
Prospera concedat, hinc super astra vehat,
Qui sub honore sui humili cum corde canoros
Alternos statuis, psallis et ipse choros.
Credimus: ista tibi servantur culmine caeli,
Heres Daviticus efficiere pius.
ΠΡΟCЄΥΧΙC petimus, votis et corde precamur:
Qui dedit hoc velle, det tibi posse deus.
ΒΔCΙΛЄωC ΚΔΡΟΛΟΙ ΗΜωΝ CΥ ΧΡΙCΤЄ ΒΟЄΘЄΙ
ωC ΚΛЄΙΡЄΙCΘЄ ΧΟΡΟΙC ΔΙΝΔΤΟC ΟΥΡΔΝΙΟΥC.

Glossae — 49 regis (*om. L*[1]) Karoli (*om. RL*[1]) nostri (*om. L*[1]) tu (*om. L*[1]) Christe (*om. RL*[1] II) fave *RL*[1] II 50 ut (*om. L*[1]) possidere choros (*om. L*[1]) possit caelestes (*om. L*[1]) *RL*[1] II

24 *et *R* 39 nunc nostra pia corda *R*, nostra hinc pia corda *Maius* 43 *an* *canores? 47 ΠΡΟCЄΥΧΙC *interpretamento non addito RL*[1] 49. 50 *habet Laudunensis fol.* 297*r post* II 67 *seq.* 49 B. K. H. C. X. *om. L*[1] ΚΔΡΛΟΙ *R* 50 ωC *om. L*[1] X. *om. L*[1] O. *om. L*[1]

25—32 *Isidor. Allegor. Genes.* 18 *(Migne* 83, 251*) et passim.* 49 *Βασιλέως Καρόλου ἡμῶν σύ, Χριστέ, βοήθει (a quo verbo genetivus pendet fort. male intellecto cv. Marc.* 9, 24*), Ὡς κληροῦσθαι χορούς δυνατὸς οὐρανίους.*

VI.

Emicat ex Erebo lux mundi magna triumphans:
Primitias vitae ⟨mors⟩ moribunda stupet.
Prosiliunt Furiae, concurrunt undique Parcae:
Mirantur tristem congemuisse Stygem.
Ille dein princeps baratri petit arma sueta,
Quis genus humanum subdidit ipse sibi;
Sed mox ut vidit ruitantia limina fracta,
Territus attonitus fugit ad ima domus.
Non tamen evasit tenebrosa per antra tyrannus:
Fortior intravit, qui sua vasa tulit.
Attractus captus vinctus strictusque catenis
Detentus domitus pulsus ab arce, prius
Qua mundi princeps elatus sederat, olim
Bestia saeva, vorax indomitaque diu.
Sed victor mundi praestantior omnibus unus
Totam collisit comminuitque caput.
Aestus aeterni comburunt turpe cadaver,
Pyrflegetontis fervida flamma furit.
Laetantur miseri, quos laesit dira potestas:
Captivi redeunt, vincula laxa vacant.
Iam regnat verbum patris, iam cuncta gubernat
Virtus vita salus; mors fera victa silet
Surrexit vivus rumpens retinacula loeti:
Nulla valet summum vis retinere deum.
Ipse libens animam posuit propriamque resumpsit:
Ponere quam potuit, non remanere sinit.
Quam dat pro mundi vita, revocavit eandem:
Quae datur, accipitur; tradita salva manet.
Tale datur pretium mundi, mirabile fatu:
Totum servatur, redditur atque datur.
Quis fari valeat, quod fecerit ipse redemptor?
Empto potitur, possidet et pretium.
O lux perpetuo fulgens mundumque revelans,
Victrix umbrarum, quas pia corda timent,
Custos sis Karoli, ⟨sis⟩ tutus et undique murus,
Protege sceptra tui, qui regitat, famuli.

Sat sat perpaucos ingratos ponere versus:
Molestos regi quid valet astruere?
Quod plane perhibet iam nuper dedita Musa:
Expers mercedis tristis, inanis erat.

[VI.] 2 mors *add. Harster, spatium vacuum reliquit R* 5 suaeta *R* 11 *strictisque *R* 16 Totam *sic R* 29. 32 precium *R* 35 *sis *om. R* 39 aedita *R corr. Maius*

[VI.] 10 *cf. supra* v 40.

VII.

CTIXOI TOY IωANNOY TW BACIΛEI KAPOΛW.

Lux superans animas hominum superumque deorum
  Agmina terrenis constabilita tonis
In sinibus genitoris erat longeque remota
  Sensibili mundo empyrioque polo.
Lustravit miseros tenebrarum sedibus imis
  Vinctos captivos Tartareosque reos.
Incarnatus erat Christus de virgine nascens,
  Confixus ligno, conditus atque tapho;
Corpore sed moriens vivens animoque deoque
  Est deus et moritur, vivat ut ipsa caro.
Mens Erebum, corpus petram, tenet omnia numen:
  In tribus est unus corpore mente deo.
Postquam per triduum totum destruxerat ΔΔHN,
  Totus surrexit nil remanente minus.
Ascendit totus, totum regit—aspice—mundum,
  Pro quo passus erat, conditor atque deus.
Humanumque genus totum revocavit ab antro
  Aeternae mortis, quo cadit omnis homo
Muneris ingratus vitae spretorque salutis,
  Quam largitus erat maximus archiater.
O rex, praeclaro qui lustras lumine mundum,
  Largito Karolo prospera cuncta tuo.
Indulge famulo fragilis contamina vitae,
  Ut valeat purus cernere regna tua.

VIII.

OI CTIXOI TOI IωANNOY TW KYPPIW AITOY TO ANAKTO KAPOΛW.

Si vis OYPANIAC sursum volitare per auras
EMΠYPIOCque polos mentis sulcare meatu,
OMMATE glaucivido lustrabis templa sophiae,
Quorum summa tegit condensa nube caligo,
Omnes quae superat sensus NOEPOCque ΛOΓOCque.
Inde ΓNOΦOC quondam velabat Sina KOPYΦHN,

Glossae — [VIII.] *tit.* versus ⟨I.⟩ domino suo regi ⟨K.⟩ *R* 1 caelestes *RL*I 2 igneos *RL*I 3 oculo noctivido *RL*I 5 intellectus *RL*I rationes *RL*I 6 caligo *RL*I verticem *RL*I

[VII.] *praeter R titulum exhibet Laudunensis 444 fol.* 297*r positum post* v 50 (= *L*II) CTIXOI TOY] TOY CTOIXOI *RL*II KAPOΛO *L*II 10 *Ast *R* 13 *ἥδην Maius*] achan *R*: *cf. infra* IV 1 4 18 Aeternaeque mortis *R corr. Maius* [VIII.] *inscriptionem servavit praeter R codex Laudunensis 444 fol.* 297*r*, *ubi sequitur titulum praecedentis carminis* (= *L*II) TOI (*i. τοῦ*) *RL*II ΔYTOY (*i. αὐτοῦ*) *R*] KAI TOY *L*II TO ΔNΔKTO (*pro τῷ ἄνακτι*) *RL*II 1 *et* 3 *in florilegio codicis Parisini* (= *P*) *12949 fol.* 23*bis* (*cfr. N. A. XVIII 104, Hermes XXVII 158*) *afferuntur hoc lemmate addito* VERSVSIOHANNISCOTTI 1 OYPΔNIAC *RL*I] uranias *P* 2 EMΠYPIOC *L*I (*cf. Heiric. supra pag.* 434)] Empyrios *R* 3 OMMATE *L*I] Ommate *RP* glauciuido *RP* (*cf. Heiric. l. c.*)] ΓΛΔYKIUIΔO *L*I sophyę *P* 5 NOEPOC *L* (*cf. Heiric.*)] noeros *R* ΛOΓOC *L*I (*cf. Heiric.*)] logos *R* 6 ΓNOΦOC *L*I (*cf. Heiric.*)] gnofos *R* KOPYΦEN *L*I KOPYpheN *B*

Dum deus antiquum ΘΕCMON MOYCEΔ doceret
Umbrarum medio linquens vestigia ΘΔPCΩN.
Illic aspicies Seraphin oculosa volare
Et senas ΠΤΕΡΥΓΔC terno de cardine pansas,
Circa postque deum ΠΟΛΥΜΟΡΦΟΤΔ plurima ΖΩΔ
Claro cunctorum speculantia lumine causam.
Unum principium, quo rerum volvitur ordo
In genus in species rithmosque ΚΡΟΝΟCque ΤΟΠΟCque,
Quae sunt, quae non sunt, sensu seu mente videntur,
Quae stant, quae vario volvuntur praedita motu,
ΠΝΕΥΜΔΤΔ ventorum, vis ignea, lucidus aether,
Chorus et astrigerae perpuri luminis ΔΙΓΛΕ
Palladis, hinc gemmis septem redimita corona
ΦΟΕΒΗ ΚΔΙ ΙCΤΙΛΒΟΝ ΚΔΙ ΦΟC ΗΛΙΟC ΔΡΗC
ΦΟΕΤΟΝ ΚΔΙ ΦΔΙΝΟΝΟC ΔΚΡΟΙ ΠΕΡΙ ΚΛΙΜΔΤΔ ΠΔΧΝΗ
ΕΞΗC ΤΟΥ ΚΟCΜΟΥ ΚΕΝΤΡΟΝ ΤΕΘΙC ΔCΧΕΤΟC ΔΛΔC
(Caelestis motus modulaminis ΕΝΝΕΔΠΤΟΝΓΟC,
Summa ΧΕΛΙC, vocum mortales effugit ΩΤΔC) —
Rerum principium primum cognoscite Christum:
Verbum cuncta creans natum de pectore patris,
Ars lex consilium ΖΩΗ sapientia virtus,
Fons medium finis, genitum de lumine lumen,
Est, non est, super est, qui praestitit omnibus esse,
Qui regit atque tenet totum, quod condidit ipse,
Totus per totum qui nullis partibus haeret,
Cuius summa procul cunctis natura remota,
Cum sit cunctorum substans essentia simplex,
ΩN ΤΕΛΟC ΩN ΔΡΧΗ ΠΔΝΤΟΝ ΩN ΟΝΤΔ ΤΔ ΕΙCΙN

Glossae — 7 legem RL^{I} Moysaica (*immo acc.* *Μωυσέα, id quod perspexit Heiricus l. c.*) L^{I} 8 pedum: ΘΔPCOC enim (*om. R*) planta pedis RL^{I} 10 alas RL^{I} 11 multiformia RL^{I} animalia RL^{I} 14 tempora RL^{I} locos (locus L^{I}) RL^{I} 17 spiritus RL^{I} 18 claritas RL^{I} 20 Luna et (*om.* L^{I}) Mercurius et (*om.* L^{I}) Lucifer Sol Mars $RL^{I\,II}$ 21 Iovis et (*om.* L^{I}) Saturni (saturnus L^{I}) summi (summus L^{I}) circum plagas pruina $RL^{I\,II}$ 22 deinde mundi medium oceanus immensurabilis salum $RL^{I\,II}$ 23 novenus sonus RL^{I} 24 ci(y L^{I})thara RL^{I} aures RL^{I} 27 vita RL^{I} 34 ens finis (ens) principium omnium qui est (q. e. *om.* L^{I}) quae sunt quae subsistunt $RL^{I\,II}$

7 ΘΕCMON RL^{I} MOYCEΔ L^{I} (*cf. Heiric.*)] moysca *R: cf. lectio codicum in Ioh. divisione naturae* II 15 *ed. Floss. pag.* 545 8 ΘΔPCΩN *R*] ΘΔPCON L^{I} 9 *ante* oculosa *expunxit* uide *R* 14 ΚΡΟΝΟC L^{I}] cronos *R* 18 ΔΙΓΛΕ L^{I}] aegle *R* 20—23 *extant in Laudunensi fol.* 297^{r} *post carminis titulum* (= L^{II}) 20 ΚΔΙ *bis om.* L^{I} 21 ΚΔΙ *om.* RL^{I} ΔΚΡΟC L^{I} ΠΔΧΗΝ L^{II} 22 ΕΞΙC L^{I} 24 ΧΕΛΙC L^{I}] chelis *R* ΩΤΔC RL^{I} 27 ΖΩΗ *R et* L^{I} (*qui post* ΖΩΗ *inserit* ΖΩΗΝ *et cetera verba quae excerpta sunt ex* V II, *id quod consentit* L^{II}) 32 *totum versum om. Maius et Flossius* 34. 35 *traduntur etiam in Laudunensi fol.* 297^{r}, *ubi antecedit fragmentum* V II (*cf. supra ad v.* 27) 34 *alterum* ΩN *om.* L^{I} ΤΛ L^{II}

9 *cf. Ioh. Scott. caelest. ierarch. cap.* 5. 20 *Φοίβη καὶ Στίλβων καὶ Φως(φόρος), Ἥλιος, Ἄρης,* | *Φαέθων (bisyllabum, a Iohanne per* oe *scriptum, ut in codd. lat.* foeton *invenitur) καὶ Φαίνωνος ἄκρου περὶ κλίματα πάχνη,* | *ἑξῆς τοῦ κόσμου κέντρον (terra, cf. Ioh. Scott. divis. nat. I* 31*), Θέτις ἄσχετος, ἴλας (τὸ ἴλας, quod apud LXX legerat, antecedentium verborum epexegesis). Cf. Firmic. Math. II* 1. 23 *In caelesti harmonia describenda sequitur Martianum Capellam (I 28 et 66, ubi repperit* enneaphthongon *[cf. Schulze Orthographica pag. XLVI]* chelyn*); quod clarius apparebit, cum commentarii a Iohanne in Martianum scripti aliquando evolgati erunt toti.* 34 *Ὢν τέλος, ὢν ἀρχὴ πάντων, ὢν ὄντα τὰ εἰσίν.*

ΩN ΔΓΔΘΟC ΚΔΙ ΚΔΛΟC ΚΔΛΛΟC ΜΩΡΦΩΝ ΤЄ ΧΔΡΔΚΤΗΡ.
Qui miseros homines revocans de morte perenni
ΔΝΤΡΩΠΟC factus sumens de virgine carnem
Promissus venit complens oracula vatum.
At ΠΡΟΓΟΝΟC David proprio de CΠЄΡΜΔΤЄ natum
Viderat et mundi devicta morte ΛΥΤΡΩΤΗΝ.
Nec minus in caelis prosunt mysteria Christi
Quam terris: merito, cum sit deus omnibus unus:
Illic angelicas patefecit lumine mentes
Ac tenebrosa suae virtutis prodidit ipsis.
Nulla quidem virtus potuit dinoscere pure,
Quem pater occultans gremio velabat opaco:
Sed caro nunc verbum factum — mirabile dictu —
Clare se cunctis hominemque deumque revolvit
ΝΟΥC ΤЄ ΛΟΓΟC ΤЄ capit, quem nullus viderat ante:
CΔΡΚΙΚΔ nam ΦΥCIC divinas temperat ΔΥΓΔC.
Hic vitam cunctis nascendo contulit atque
Destruxit mortem, quae totum sorbserat orbem.
O qualis virtus potuit superare superbum,
Qui genus humanum crudeli lege subegit,
Restaurare volens, primus quod perdidit ille
Formatus limo male usus munere vitae?:
Virgine sed factus dum sumpserat, unde periret,
Sponte sua propriae bene usus funere carnis.
Quis modus est animo, dum talia cernere temptat,
Quive valent sensus meditari famine vocum?
ΠΔΡΘЄΝΟC angelico commovit viscera fatu
Ac comitante fide suscepit ΠΝЄΥΜΔΤЄ partum.
O felix ΓΔCΤЄΡ, divinum sustinet ignem;
Virtutis radius solidatur CΟΜΔΤЄ sacro.
Unam personam duplex substantia prodit:
Nam deus aeternus rationem tempore sumens
Corpore compacto sese perfecerat ΔΝΔΡΔ.
Iesum Christum regnantem saecula semper
Te lumen mundi colimus; tu, Christe, redemptor
Fonte tui lateris credentum vulnera tergis
Nilque perire volens hominis tua provida virtus
Ambitur nostram nullo cum crimine ΦΥCIN.
ΦΥCIC nostra dehinc plene renovatur in illa,
Antidothumque potens cunctis prodesse paratum

Glossae — 35 ens (*om.* L^1) optimus et (*om.* L^1) bonus pulchritudo formarumque exemplar RL^1 II 37 homo RL^1 39 avus RL^1 semine RL^1 40 redemptorem RL^1 49 animusque (que *om.* L^1) ratioque (que *om.* L^1) RL^1 50 carnales RL^1 natura RL^1 claritudines RL^1 61 virgo RL^1 62 spiritu RL^1 63 venter RL^1 64 corpore RL^1 67 virum RL^1 72 naturam RL^1

35 ΩN *om.* L^1 ΚΔΙ *om.* L^1 ΜΩΡΦΩΝ *ex* ΜΩΡΦΩ *2. man. R*, ΜΩΡΦΩ *ex* ΜΟΡΦΩ L^1, ΜΩΡΦΩ L^{II} 37 ΔΝΤΡΩΠΟC L^1] antropos *R* 39 *an* *Ut? 40 ΛΥΤΡΩΤΗΝ L^1] ΛΥΤΡΟΤΗΝ *corr. R (qui hinc constanter fere verba Graeca Graece scribit)* 42 unus *1. m. R*] idem *2. m. R* 46 *occultus *R* occultum *Maius* 49 ΤЄ *bis om.* L^1 50 ΦΙCIC RL^1 64 CΟΜΔΤЄ L^1] somate *R* 68 Ihm *R* 72 Abbitur *corr. R*

35 Ὢν ἀγαθὸς καὶ (*ai hic et saepius ut* ε *sonat*) καλός, κάλλους μορφῶν τε χαρακτήρ.

Potantum varias pellit compagine plagas,
Nolentes merito permittens iure perire.
Nullum namque deus nolentem vivere cogit,
Nullum velle boni depellit limine lucis.
Omnes invitans hos deserit, adiuvat illos;
Omnia componens laudatur in omnibus ipse.
Christe, tuos pavidos digneris visere servos,
Qui tua festa colunt venerantes dona salutis.
Parce tuo famulo, cui regia sceptra dedisti:
Divino radio perfusum perfice, purga.

III.

I.

CTIXOI IωANNIC GLORIOSO REGI KAROLO.

II.

⟨CTIXOI⟩ TOI IOANNOI TW KIPPIW KAPWLW.

III.

ZEC NYN ZHC BACIΛHC ΠΛICTOYC EIC TOIC ENIAYTOYC
MELLOMENOC XPICTW CYNZHN EIC ΠOΛΛAC AIWNAC.
XPICTE COCON KAPOΛON TO THN BACIΛEIAN EΔOKAC.

IV.

ΦAΘNHN.

V.

IΔE BAΘOY TANAΘOY THN TAY TAΠTENTOC EΓEPCIN
KAI CWNTI XPICTW ΠNYΞ MELOΔHMA BOA.

Glossae — [III.] [III.] 1 vivas nunc vivas rex plures in annos *L* 2 (ὁ articulus: *v. infra*) futurus Christo congregare in multa saecula *L* 3 ⟨Christe⟩ salva ⟨K.⟩ cui (τὴν articulus) regnum dedisti *L* [IV.] praesepium *L* [V.] 1 vide profunda morte (τὴν articulus) sepulti resurrectionem *L* 2 et viventi Christo aecclesia (*item* L^{I}) alleluia (modulatione L^{I}) sona (clamat L^{I}) *L*

post 84 *in imo fol.* 64^{v} *manus a librario et correctore diversa fragmentum catalogi posuit hoc* Sedulius donatus commentum sup ῑpiis armenie et sup porfilium (*fort.* Sedulius Scottus commentum super periermenias et super Porphyrium, *cf. catalogus Resbacensis apud Becker* 134, 18) *R*

[III.] [I. II.] *L(audunensis 444) fol.* 297^{r} *post versus* II VIII 34 *et* 35 *exscriptos* [II.] *στίχοι om. L* [III.] *L(audunensis 444) fol.* 297^{r} *post* II 1 ΠAICTOYC *L* 2 O·MELLOMENOC *L* [IV.] *L(audunensis 444) fol.* 296^{r} *in glossario ad versus Iohannis post glossam ad* II VIII 72 [V.] *Laudunensis 444 fol.* 297^{v} *post versus infra sub* X *editos* (= L^{II}); *accedunt alterius versus ultima tria verba in glossario posita post verbum sub* IV *relatum*

[III.] [III.] *Ζῇς νῦν, ζῇς, βασιλεύς, πλείστους εἰς τοὺς ἐνιαυτούς | μελλόμενος Χριστῷ συνζῆν εἰς πάντας αἰῶνας. | Χριστέ, σῶσον Κάρολον, τῷ* (*de* TOC subiunctivo articulo *cf. Martinus cod. Laudun. 444 fol.* 303 *apud Miller Notices et extraits XXIX* 2 *pag.* 204) *τὴν βασιλείαν ἔδωκας.* [IV.] *φάτνην.* [V.] *Ἴδε βάθος θανάτου τήν τ' αὖ ταφθέντος ἔγερσιν | καὶ ζῶντι Χριστῷ, πνύξ, μελῳδημα βόα.*

VI.

ЄΡΗΝΗ ΠΙϹΤѠ ΔΗΜѠ ΒΑϹΙΛЄΙ Η ΚΛЄΟΡ ΑΚΡѠ
ΟΝ ΘЄΟϹ ЄΚΛЄϹΤΟΝ ΠΑΡΑ ЄΙϹ ΒΑϹΙΛЄΥϹΙΝ ЄΧЄΙ ΝΥΝ.
ΟΠΛΟΥ ΚΑΙ ЄΠΙΛΑΒѠΝ ΑΥΤѠ ЄΙΗϹ ΧΡΙϹΤЄ ΒΟΗΘΟϹ
ΔЄϹΠΟΤΑ ΤΑ ΑΥΤѠ ΥΠΟΤΑΞΟΝ ΒΑΡΒΑΡΑ ΦΥΛΑ.

Pax fido populo, regi sit gloria summo,
Quem deus electum prae regibus unus habet nunc.
Armaque cum scuto prendens hunc, Christe, iuvato;
Huic quoque barbaricas, dominator, subice gentes.

VII.

ΤΡΙΑΔΙϹ
ΑΝΑΡΧΟΝ
ΦΙϹЄΟϹ
ⲎΟϹΜΙΦЄΡΑΜ
ΠΥΡΟΔЄϹ
ΑΙΔЄΝ
ΛЄΥΚΟϹ
ΓΑϹΤΡΟ
ΠΝЄΥΜΑΤΙϹ
ΑΥΓΑΙ
ΑΓΑΡ

Sina
ΘЄΟϹΙϹ
ΟΥϹΙΑ
ΠΑΡΑΔΟΞΑ
ϹΑΡΚΑ
ΛΟΓΟΝ
ϹΑΡΞ
ΛΟΓΟϹ
ΧΑΙΡЄ
ΑϹΘЄΝЄϹ
ΑΝΑΞ

ΔΙΚΗ

VIII.

Nam ΚΑΚΟϹ atque ΑΓΑΤΟϹ, prorsus ΜЄΓΑΛΟϹ ΤЄ ΜΙΚΡΟϹ ΤЄ.

IX.

ΛΙΤΟΥΡΓΟΥ
ΒЄΒΑΙѠϹ
ΓΑΥΡѠϹ
ΥΨΗΛΟϹ
ΤΑΥΜΑϹΤΟϹ

Glossae — [VII.] 1 trinitas 2 carentem principio 3 naturae 4 i. odoriferam (*vox hibrida ab ὀσμή et* -fer) 5 igneas (*sic*) 6 locus deliciarum (*sc. Eden*) 7 albus 8 ventre 9 spiritus, genetivus 10 tonitrua, fulgura 11 *om.* 12 proprium montis (*cf. Gal.* 4, 24) 13 *om.* 14 essentia 15 mirabilia 16 carne(m) 17 verbum 18 caro 19 verbum 20 salve 21 infirmus 22 rex 23 causa [VIII.] malus $L^{I\,II}$ bonus $L^{I\,II}$ magnusque $L^{I\,II}$ parvusque $L^{I\,II}$ [IX.] 1 ministro (*sic*) 2 firmiter 3 alacriter 4 excelsus 5 mirabilis

[VI.] *L(audunensis 444) fol.* 297^{v} *post praecedentes versus; ex glossis inter versus positis* (*quarto superscriptum est* huic quoque articulus [*sc. τά*] subice dominator barbaricas gentes) *idem carmen ab ipso Iohanne Latine versum restituitur* [VII.] *L(audunensis 444) fol.* 296^{r} *post* V *eadem manu in glossario ad versus Iohannis scriptum* [VIII.] *L(audunensis 444) fol.* 297^{r} *totum versum habet post carmen Graecum* III *scriptum ab eodem tirone* (= L^{I}); *singula verba Graeca in glossario extant post* VII *posita fol.* 296^{r} (= L^{II}) [IX.] *L(audunensis 444) fol.* 296^{r} *in glossario illo post* VII *et* VIII

[VI.] *Εἰρήνη πιστῷ δήμῳ, βασιλεῖ ᾖ (ει ante η eliditur) κλέος ἄκρῳ, | ὃν θεὸς ἐκλεκτὸν παρὰ εἷς βασιλεῦσιν ἔχει νῦν. | ὅπλου κἀπιλαβὼν αὐτῷ εἴης (ω elisa; an κύτους ᾖς? cf. LXX Ps.* 34, 2 *ἐπιλαβοῦ ὅπλου καὶ θυρεοῦ καὶ ἀνάστηθι εἰς βοήθειάν μου), Χριστέ, βοηθός· | δέσποτα, τὰ αὐτῷ ὑπόταξον βάρβαρα φῦλα.*

X.

ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟC ΚΗΡΥΞ CΤΙΛΒΩΝ ΚΗΡΥΓΜΑΤΟC ΑΚΡΟΥ
ΙΗΝΚΜΑΡΟC ΖΗΤΩ ΦΡΟΝΙΜΟC ΚΑΙ ΑΞΙΑΓΑCΤΟC
ΡΗΜΑΤΟC ΟΠΛΑ ΘΕΟΥ ΖΩΝΤΟC ΤΟΥ CΤΟΜΑΤΟC ΕΧΩΝ.

Praelucens praeco splendens praefamine summo
Hincmarus vivat sapiens et commemorandus,
Verbi tela dei viventis in ore tenendo.

XI.

ΚΑΤΑ ΤΑΞΙΝ ΣΟΦΩC

XII.

ΚΡΥCΜΑΤΑ non noscens nec CΥΜΠΛΕΡΑCΜΑ requirens.

XIII.

	ΘΕΟC		spiritus ΥΨΙCΤΟC
	ΥΠΕΡΑΛΗΘΗC		ΔΩΡΑ
	ΦΟΜΕΝΟΡ		ΖΩΗC
	ΧΟΡΔΑΝ		ΔΙΚΑΙΟC ΙΗCΟΥC
5	ΦΛΕΓΟΜΗΝΟC	15	ΠΝΕΥΜΑΤΟC
	ΑΚΑΝΤΩΔΗC		ΦΟΒΟC
	ΓΥΝΗΚΑ		ΤΡΟΜΟC
	ΔΑΨΙCΕΛΗC		ΗΧΟC
	ΟΛΥΜΠΟC		ΘΑΥΜΑCΤΟC
10	ΦΩΤΙCΜΟΥ	20	ΔΟΥΛΟC

Glossae — [XI.] 1 ordinate 2 sapienter [XII.] K.] tria genera musicae artis $L^{I\,II}$ ΣΥΜΠΛΕΡΑCΜΑ (*de συμπέρασμα cogitavit, cf. Martian. Cap.* 407 *et* 716)] conclusio, confinis $L^{I\,II}$ [XIII.] 1 deus 2 i. superverus 3 *om.* 4 i. chordam 5. 6 *om.* 7 uxor 8 *om.* 9 caelum 10 lucis 11 i. altissimus 12 i. dona 13 vitae 14 *om.* 15 spiritus, genetivus 16 timor 17 tremor 18 sonus 19 mirabilis 20 servus

[X.] *L(audunensis 444) ter praebet: fol.* 297^{v} *post* VI *totum carmen addita inter versus interpretatione* (= L^{III}), *fol.* 297^{r} *post* VIII *primum et tertium versum addita eadem interpretatione* (= L^{II}), *fol.* 296^{r} *seq. post* IX *singula verba eorundem duorum versuum Graece et Latine* (= L^{I}) 1 ΚΗΡΥΞ] L^{III}, doctor L^{II}, *om.* L^{I} 3 ΖΟΝΤΟC L^{I} ΤΟΥ *om.* L^{I} | 1 praeco] L^{III}, *om.* L^{II} 3 in *om.* L^{I} [XI] *L(audunensis 444) fol.* 296^{v} *in glossario sequitur verba ex* X *sumpta* [XII.] *L(audunensis) fol.* 297^{r} (= L^{II}) *habet versum post* X, *fol.* 296^{v} (= L^{I}) *in glossario verba Graeca post* XI [XIII.] *L(audunensis 444) fol.* 296^{v} *in glossario post glossas ex* XII *exscriptas*

[X.] *Λαμπρότατος κήρυξ στίλβων κηρύγματος ἄκρου | Ἴγκμαρος (episcopus Laudunensis, cf. Traube Abhandlungen l. c. pag. 363) ζήτω φρόνιμος καὶ ἀξιάγαστος, | ῥήματος ὅπλα θεοῦ ζῶντος τοῦ στόματος (στωμα enuntiavit Iohannes, scripsit per ω popularis eius, v. carm. Scottor. infra XIII 2) ἔχων.* [XII.] *κρούσματα. — fort. συμπλήρωμα.* [XIII.] 2 *Laudunensis 444 fol.* 298^{v} *(apud Millerum l. c. pag.* 199) *et Bernensis 83 (Anecdota Helvetica ed. Hagen pag. CI):* ut Dionisius Ariopagita dicit *(Hageno iudice mysticae theologiae ed. Corder. pag.* 539, *cf. Iohannis translationem ed. Floss pag.* 1171*):* deus ΥΠΕΡΘΕΟC est i. superdeus et ΥΠΕΡΑΓΑΘΟC i. superbonus, ⟨ita⟩ et ΥΠΕΡΑΛΗΘΗC i. superverus; *cf. Ioh. Scott. de divis. naturae* I 14 *ed. Floss. pag.* 460. 3 *fort. φάμενος.* 5 *φθεγγόμενος potius quam φλεγόμενος.* 6 *ἀκανθώδης.* 7 *γυναῖκα pro nominativo habuit aut Iohannes aut librarius.* 8 *ψαψιλής.*

IV.

I.

VERSVS ΙϢΗΔΝΝΙϹ ϹΚϢΘΘΙ.

Postquam nostra salus mundum renovaverat omnem
Quosque pater voluit cunctos perfecerat actus,
Fessa labore gravi requievit in arbore pendens,
Tergeminae lucis spatio destruxerat ΔΔΗΝ,
Dormitans gelidi duro sub culmine saxi,
Implens vativomi prognostica symbola ceti:
Umbrae tunc pavidae sparsim Flegetontis ab imo
Exiliunt subito mirantes surgere lucem
Tetras atque truces abigentem carcere larbas.
O mors, mors vitae, si mors, non vita vocanda
(Quod praestat vitam, non ausim dicere mortem),
Num tenebras recipit clarae substantia lucis?
Fervida vis ignis suescit sibi serpere frigus?
Nemo tamen vitam mortem gustasse negarit:
Mors carnis vitae vitae mors iure vocatur;
Nam compassa fuit carni, quae sola pependit.
Altius ingreditur purae rationis acumen
Et carnem vitae vitam sic colligit esse:
Si vita est verbum, verbum quoque si caro factum,
Profecto sequitur vitam concedere carnem;
Si caro sit verbum converso tramite facta,
Carnem continuo vitam dare cogere factam.
ϹΔΡΖ igitur Christi substat verissima vita,
Vivens ac moriens mortem consumpserat omnem.
Desursum venit terrenam sumere vestem:
Indutus vestem sursum cum veste volavit
Inque deum vertit vestem de virgine sumptam
Unum conficiens animam carnemque deumque.
Mors mortis dominus surrexit vivus in altum
Ac nostram secum naturam vexit eodem.
In tota factus totam conformat in unum.
Mundum calcavit fragilem mundique potentem
Expulsumque foras superavit Marte secundo.
Captivam revocans praedam raptoris ab ore
Abstulit: ille gemit confossus membra superbus
Vulneribus duris ac secum talia tractans:
'Me victum video, fugitivum sedibus atris.
Quae nova lux oritur, quam numquam ferre valebo?
Nunc mea regna ru⟨u⟩nt passim: loca nulla tenebris.

Glossae — [IV.] [I.] 4 infernus *L* 37—50 *huc refero inter* ΔΔΗΝ (*vide supra v.* 4) *et* ϹΤΔΥΡΟϹ (*vide infra v.* 49) *posita in glossario verba haec* ΠΔΘΟϹ diabolicum *L*

[IV.] [I. II.] *R(eginensis 1709) fol.* 16ʳ—18; *accedunt glossae Graecae e glossario Martini, quae extant in L(audunensi 444) fol.* 296ʳ *post glossas* III XIII [I.] 5 sul *R* 6 simbola coeti *R* 13 *cescit *R* 23 Sarx *R: cf. supra* III VII 17 32 fragilem *sic R* 36 *an* *diris? 39 regnarunt *R corr. Maius*

27 *seq. Cf. Huber l. c. pag.* 383.

Sentio me captum, pavidum vinclisque ligatum:
Eheu quis mihi congreditur, quis fortis in armis
Audax committit mundi cum principe bellum?
Illene confixus ligno septusque sepulchro,
Quem rex Herodes sprevit summusque sacerdos
Ruptus non timuit vestem dampnare Caiphas,
Addictus morti, Romano principe caesus?
Hoc egomet feci, fateor, totumque peregi:
Me stultum latuit virtus humilisque potestas.
Hunc si cognossem, CTΔYPΩ non penderet umquam;
Corporis humani servilis forma fefellit.'
Interea laetas animas volitare per auras
Tartareosque sinus vacuos laxasque catenas
Suspicit et nutrit tristi sub pectore vulnus.
'Quod mage me miserum torquet, iam conspicor' inquit
'Clausa diu terris paradisi limina pandi
Mortaleque genus, quod fluxerat inde per unum,
Unius ob mortem rursus super astra redire.
Illic felices sedes, quas sponte reliqui,
Terrigenum proles habitabit iure perhenni.
Meme torquebit semper mea prava voluntas:
Languidus invidia morior meritoque peruror.
Unum confugium superest, solamen et unum:
Est antiqua domus mortis noctisque profundae:
Iudaicum pectus, vitiorum plena vorago,
Fraudis et invidiae semper possessio larga,
Luminis exosi radios irata repellens.
Illic sola potens ypocrisis perfida regnat;
Illa putet nimium nimiaque putredine corda
Carnalis populi corrumpit nescia veri:
Illuc confugiam gentilia pectora linquens,
Odibilis Christo dominator gentis avarae
Omne meum virus fundam blasphema per ora
Ligno suspensum dominum regnare negando.'
Talia contrectans crudelis bestia fallax
Retro lapsa ruit gelidas fugitiva sub umbras.
Imperium patris quaesitum sanguine nati
Telluris superat fines Erebumque polumque.
Orthodoxa fides diversa voce per orbem
'Abba pater' clamat laudans mysteria summa:
Unius ac trinae bonitatis fertile germen,
Ingenitum genitumque deum munusque perhenne
Fontis inexhausti, quo manant flumina vitae.

Glossae — 49 CTΔYPOC] crux *L*

49 stauro *R: cf. glossas* 56 *Mortalemque *R* 71 *dominabor *R* 77 superis *R corr. Maius* 78 Ortodoxa *R*

II.

ITEM STICHOS EIVSDEM.

Graculus Iudaeus iam nunc, Agarenus et auster
Paganusque ferus surgens aquilonis ab axe
Subdita colla dabunt: Christus regnabit ubique;
Ipsi succumbunt omnes regique deoque.
Summe pater nati, largitor muneris almi,
Festa tui semper celebrantem protege plebem,
Cui tua disponens sapientia regna per orbem
Praefecit Karolum regemque piumque ministrum,
Cui lux interior donavit mentis acumen,
Quo divina simul tractans humana gubernet
Vere subsistens rex atque theologus idem.
Praesul ab Athenis Dionysi, CYMMAXE Pauli,
Inclyte martyrio, cui servit Gallia tota,
Prospice caelestis vitae de sedibus altis
Vota tui TEKNI Karoli tua AEIYANA sancta
Ornantis gratamque tuam magnalibus aedem,
Instar flammarum gemmis flagrantibus, auro.
Undique turicremis redolent altaria fumis;
Harmonici cantus ΘIACΩTΩN sidera pulsant;
Officio vatum sanctissima cena paratur ....

V.

I.

KYPPIE KAPOAE.

II.

ZΩHN AOINION ΔΩCEI COI ΠANTOTE XPICTOC.
KYPPIE ZHC ΠOAAOYC ENIAYTOYC ΩAE CEBACTEIC.

III.

CΩMA	APMOΔIOC
CTAYPΩ	BAAHN
BAΘOY	ΦPOCKEIOC

Glossae — [II.] 12 adiutor *L* 15 filii (fili *R*) *RL* reliquias *RL* 19 deum (di *R*) laudantium *RL*
[V.] [I.] domine *L* [II.] 1 vitam aeternam (v. a. *om.* L^{III}) det tibi semper L^{I} II III 2 domine (*om.* L^{I}) vivas multos annos hic Caesar L^{I} II [III.] 6 i. frustra vel frustruosus

[II.] 1 Graculus (*sic*) iudeus *R* 11 teologus R 12 C.] CYMMAKOC *L* symmache et *R* 14 celestis *et saepius* e *pro* ę *et* ę *pro* e *R* 15 TEKNI *L*] tekni *R* AEIYANA *RL* 19 ΘIACOTON *L* thiasotum *R* sidere *R corr. Floss* 20 *finem carminis deesse significari*
[V.] [I.] *L(audunensis 444) fol.* 297^{r} *post versum* II VIII 22 [II.] *L tribus locis exhibet: fol.* 297^{r} *post* V I *versus integros* (= L^{II}), *fol.* 295^{v} *in glossario ad versus Iohanneos post glossam ex* II VIII 27 *petitam verba pleraque* (= L^{I}), *fol.* 296^{r} *ad calcem glossarii post glossam ad versum* V II 19 *tria verba* ΔΩCEI COI ΠANTETE (= L^{III}) 1 ΔOCEI L^{I} ΠANTETE L^{III} X. *om.* L^{I} 2 K. *om.* L^{I} [III.] *L(audunensis 444) fol.* 296^{v}: *additamenta sunt ab ipso Martino discipuli glossario subscripta, sequitur versus ab eodem compositus (infra inter carm. Scottor.* XII II)

[II.] 1—3 *Hostes denotantur Iudaei fidei Christianae obstrepentes, Saraceni imminentes a plaga australi, Normanni (cf. supra* II I 55, II 62, IV 47, III VI 4*) a septemtrionali.* 12 *cf. ad* VII II 11.
[V.] [II.] *Ζωὴν αἰώνιον δώσῃ (v.* IV 13*) σοι πάντοτε Χριστός.* | *Κύριε, ζῇς πολλοὺς ἐνιαυτοὺς ὧδε σεβαστός.* [III.] 3 *cf. ad* III V 1.

IV.

ΤΩ ΚΙΡΡΙΩ ΚΑΡΟΛΩ ΙΩΑΝΝΗC ΧΑΙΡΕΙΝ.

ΘΑΥΜΑCΤΩ ΒΑCΙΛΕΙ ΚΑΡΟΛΩ ΖΩΗ ΤΕ ΦΑΟC ΤΕ.
ΟΡΤΩΔΟΞΟC ΑΝΑΞ ΦΡΑΓΓΟΝ ΤΩ ΔΟΞΑ ΤΙΜΕ ΤΕ.
ΘΕCΠΕCΙΟC ΚΑΙ ΑΓΑΘΟC ΠΙCΤΟC ΚΑΙ ΑΚΡΟC ΤΕ ΜΟΝΑΡΧΟC
ΕΛΠΙC ΤΗC ΠΑΤΡΙΔΟC ΤΗC ΑΞΙΟC ΑΘΑΝΑCΙΑC
ΩΝ ΔΕ ΦΟΡΟΝ CΤΕΦΑΝΟΝ ΧΡΙCΙΟΝ ΤΑ ΔΕ CΤΕΜΜΑΤΑ ΠΑΤΡΟΝ
ΕΝΧΕΥΡΟC CΚΕΠΤΡΟΝ ΡΑΒΔΟC ΓΑΡ ΤΗC ΒΑCΙΛΙΑC.
ΧΡΙCΤΕ COCON ΔΟΥΛΟΝ CON ΤΟΝ ΜΟΙ ΚΥΡΡΙΟΝ ΕΙΠΩ
ΤΟΝ ΚΑΡΟΛΟΝ ΜΗΓΑΛΗΝ ΕΜΟΝ ΠΟΛΛΟΝ ΤΕ ΚΟΡΥΦΗΝ
ΟC CΟΦΟC ΟC ΔΥΝΑΤΟC ΠΑΝΥ CΟΦΡΩΝ ΤΕ ΚΡΑΤΟC ΤΕ.
ΕΙΠΡΕΠΗC ΕΥΜΟΡΦΟC ΦΑΥΝΟΝ ΩC ΗΝΚΛΥΤΟC ΑΡΧΟC
ΩΘΙΟΝ ΟΥΡΑΝΙΟΝ CΤΙΛΒΟΝ ΔΙΑΔΕΜΑΤΟC ΑCΤΡΟΝ
ΗΛΙΟC ΟC ΛΑΜΠΡΟC ΔΟC ΦΟCΦΩΡΟC ΟC ΘΕΑ ΛΗΙΚΕ.
ΔΩCΕΙΩ ΚΑΡΩΛΩ ΖΟΙΝ ΕΙC ΤΟΙC ΠΑΝΤΑC ΑΙΩΝΑC.
ΕΥΧΕΤΕ ΤΑΙΤΑ ΛΑΟΙ ΝΥΝ ΕΥΧΕ CΥ ΦΡΑΓΓΙΑ ΠΑCCΑ.

VI.

Semeron autokrator fronimos kai timie Karle
Martyros ypelos lampei dyonisios idoy
On theos oyranonen epiges kai soy megalinay
Idon tos skotois ωs kyrrios alfeiletoy
Stayron toy kysmoy tas amartias alale sente

Glossae — [VI.] 1 hodie imperator sapiens et pretiose (preciose *G*) Carle *G* 2 martyr excelsus fulget Dionisius ecce *G* 3 quem deus c(a)elitus in terris et tu magnificavit *G* 4 videns (*legit ἰδών*) hic tenebras dum dominus abstulit *G* 5 cruce (*τοῦ* articulus) mundi (*τάς* articulus) peccata dixitque *G*

[IV.] *L(auduensis 444) fol.* 298^{r} *post Martini versus infra editos inter Scottor. carm.* XII v 2 ΟΝΤΟC ΔΟΞΟC *L* ΦΡΑΤΓΟΝ *L* 5 ΧΡΙ CΙΟΝ *L* 10 Ω CΗΝ ΚΑΥΤΟC *L* 13 ΖΘΙΝ *L* 15 ΦΡΑΓΠΑ *L*

[VI.] *Gemblacensis nunc Bruxellensis 10078 folio additicio*

[IV.] *Θαυμαστῷ βασιλεῖ Καρόλῳ ζωή τε φάος τε. | ὀρθόδοξος (cf.* II II 67*) ἄναξ Φράγγων, τῷ (cf.* III III 3*) δόξα τιμή τε. | θεσπέσιος κἀγαθός, πιστὸς καὶ ἄκρος τε μόναρχος, | ἐλπὶς τῆς πατρίδος, τῆς ἀξιος ἀθανασίας, | (5) τὸν δὲ φορῶν στέφανον χρύσιον (pro -εον), τὰ δὲ στέμματα πατρῶν (ut in Odyssea), | ἐκ χειρὸς σκῆπτρον ῥάβδος γὰρ τῆς βασιλείας (cf. LXX Ps. 44, 7). | Χριστέ, σῶσον (v. III III 3) δοῦλον σόν, τόν μου κύριον εἶπω (praesentis vice), | τὸν Κάρολον, μεγάλην ἡμῶν πολλῶν τε κορυφήν, | ὃς σοφός, ὃς δυνατός, πάνυ σώφρων τε κρατύς (κρατερός Guilelmus Christ) τε. | (10) ἐκπρέπει (εὐπρεπής Floss) εὔμορφος, Φαίνων ὥς, ἔγκλυτος ἀρχός (cf.* II II 67*)· | ὡς τῶν οὐρανίων Στίλβων, διαδήματος ἄστρον· | Ἥλιος ὡς λαμπρὸς δ', ὡς Φωσφόρος, ὡς θεὰ λευκή (sc. Σελήνη). | δώσῃς (ut* V II 1*) τῷ Καρόλῳ ζῆν εἰς τοὺς πάντας αἰῶνας. | εὔχετε (pro εὔχεσθε) ταῦτα, λαοί· νῦν εὖχε σύ, Φραγγία πᾶσα.*

[VI.] *Cf. praefat. pag.* 524. 1—5 *Σήμερον, αὐτοκράτωρ φρόνιμος καὶ τίμιε Κάρλε, | μάρτυρος ὑψηλὸς λάμπει Διονύσιος ἰδού, | ὃν θεὸς οὐρανόθεν, ἐπὶ γῆς καὶ σύ, μεγαλύνει. | εἶδεν τοὺς σκότους (de defectione solis cf. Dionysii epistula ad Polycarpum ed. Corder. pag.* 595*, translata a Iohanne ed. Floss pag.* 1180*, et infra ad c.* VII II 3*), ὡς κύριος ἀφεῖλεν τῷ | (5) σταυρῷ τοῦ κόσμου τὰς ἁμαρτίας (cf. LXX Sir.* 47, 11 *κύριος ἀφεῖλεν τὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ καὶ ἀνύψωσεν εἰς αἰῶνα τὸ κέρας αὐτοῦ) ἐλάλησέν τε (Iohanni ἐλάλεσεν excidit).*

Ouk fysis fetoy litirgin kai poiesin
Estin nyn ellinsin kai mato poietin
Toy kosmoy gnorizo kai nyn oila ratinta.

VII.

I.

Hanc libam sacro Graecorum nectare fartam
Advena Iohannes spondo meo Karolo.
Maxime Francigenum, cui regia stemmata fulgent,
Munera votiferi sint tibi grata tui.
Vos qui Romuleas nescitis temnere ΤΕΧΝΑC,
Attica ne pigeat sumere gymnasia.
Quorum si quaedam per me scintilla relucet
Usibus Ausoniis, si libet, aspicite.
Molestum si non nostrum munire laborem,
Firmetur vestri pondere iudicii.
Si quid nodosum durumve notatur in ipso,
Parcite Cecropidis: Attica tela sequor.
At si mendosus declinat tramite recto,
Mellifluo vestro famine corrigite.
Quod si quorundam mordetur dente feroci,
Hoc leve: namque meo contigit Heronimo.
Ut vero stabilis maneat fundamine firmo,
Regali stathmo figere sufficiet.
Crediderim multos tangentum summa sophiae
Non despecturos donula nostra fore
Sudorisque gravis temptabunt carpere fructum:
Forsan virtutem vilia verba tenent.
Saepe solent spinis redolentes crescere flores,
Nodosae vitis sumitur uva ferax.

Glossae — 6 non natura solet ministrare et facere *G* 7 est (*ἐστίν pro ἐς τήν*) nunc defectum et ideo factorem *G* 8 (*τοῦ* articulus) mundi cognosco et nunc scio passum *G*

[VII.] [I.] 5 artes *PF'*

[VII.] [I. II.] *P(hillippicus 1668 inter Berolinenses 46) fol.* 3ᵛ *et* 6; *F(lorentinus Laurentian. plut. LXXXIX sup. 15) fol.* 2 *et* 3ᵛ; *O(thloniani codices, sc. Monacensis 14137 et qui eum sequuntur); B(ambergensis B IV 8 ex quo descriptus est alter Bambergensis B IV 7) fol.* 1 *et* 4ᵛ; ς (= *interpolati aut omnes aut aliquot, sc. Urbinas 62 saec. XIV, Vaticanus 176 saec. XIV, Vatic. 177 saec. XIV*) 1 fertam *corr. F'* 2 *σπένδω coniecit Usserius* 3 stemata *P* 4 uociferi ς 5 tempnere ΤΙΧΝΑC *P* 6 summere *F* 7 quedam (*et sic aliquotiens* e *pro* ę) *P* sciat illa *corr. P* 8 accipite ς 10 iudicis *P* 12 vela *coniecit Usserius* 13 declinet (*quod correxit altera manus*) *P et Usserius* 15 mordebor ς 16 hieronimo *OB* 19 (*et* II 9) sophyę *P* tangentes dogma *coniecit Maius*

6 *'οὐ φύσις εἰώθει λειτουργεῖν καὶ ποιῆσαι (i. sacra facere, cf. Cangius) | ἐς τὴν νῦν ἔκλειψιν (cf. Schulze Orthogr. pag. XI) καὶ διὰ τοῦτο ποιητὴν | τοῦ κόσμου γνωρίζω καὶ νῦν οἶδα παθόντα.'*

[VII.] [I. II.] *Carmina operibus Dionysii Areopagitae a Iohanne a.* 858—860 *Karoli Calvi iussu Latine translatis ita praeposita, ut prius antecedat, alterum sequatur praefationem, qua regi translatio dicatur.* 16 *Epist. ad Galat. III* 5 *(ed. Vall. VII* 508*); cf. Poet. lat. min. ed. Baehrens III* 169.

II.

Lumine sidereo Dionysius auxit Athenas
Ariopagites magnificusque sophos,
Primo commotus Phoebo subeunte Selena,
Tempore quo stauro fixus erat dominus.
Mox ut conversus mira stupefactus elympsi,
Consequitur gaudens Ierothea ducem.
Quo mox edoctus praeclarus namque magister
Pneumatis excelsi fonte renatus erat.
Nec mora: perfulgens caelestis luce sophiae
Attidas edocuit, de quibus ortus adest.
Namque ferunt Paulum, qui Christum sparsit in orbem,
Ipsi felices imposuisse manus.
Ast mox perfectus doctoris symmachus instar
Rexit Cecropidas pervigil archiereus.
Alta dehinc volitans Paulum super astra secutus
Empyrii caeli tertia regna videt.
Suspicit at seraphym primos sanctosque cherubym
Aethereosque thronos, quo sedet ipse deus;
Post hos virtutes, dominatus atque potentes
Agminibus sacris enitet ordo sequens;
ΑΡΧΩΝ ΑΡΧΑΓΕΛΩΝ ΤΕ ΧΟΡΩΝ ΑΓΕΛΩΝ ΤΕ ΤΕΛΑΥΓΩΝ
Mentibus oyraniis tertia taxis inest.
Hos igitur numeros terno ter limite septos
Praedicti patris mystica dicta docent.

[II.] 1 sydereo *OB* dionisius *PFOB* 3 comotus *P* 4 stayro *OB* 5 Mox et *OB* eclypsi *OB* 7 *totum versum om. P* Qui *OB* 10 Attydas *P* Atticas *OB* hortus *F* ottus *P* adest *PF*] et est *OB* erat ς 12 nanus *P* 13 symachus *P* simmachus *F* instar *P*] instans *FOB* ipse ς 14 archyereus *P* 15 sub *P* 16 Empirii *PB* tercia (*hic et saepius*) *P* 17 Suscipit *P* ac *OB* saraphim (*cf. supra* II II 7) *F* cherubim *F* 18 Aetheriosque tronos *P* 21 ΤΕΛΑΥΓΩΝ *PO*] ΤΕΛΛΥΤΩΝ *FB: recte Flossius interpretatus est τηλαυγῶν neque corrigendum est τελευτῶν, nam ut ait Dionysius caelest. hierarch. IX 2 ed. Corder. pag.* 86 *μᾶλλον πρὸς ἡμῶν ἄγγελοι παρὰ τοὺς προτέρους οἰκειότερον ὀνομαζόμενοι ὅσῳ καὶ περὶ τὸ ἐμφανέστερον αὐτοῖς ἐστιν ἡ ἱεραρχία καὶ μᾶλλον περικόσμιος (quae verba vertit Iohannes apud Floss pag.* 1056 et magis apud nos angeli quam priores aptius nominati quantum et circa significantius ipsis est ierarchia et magis circumornatus; *cf. eiusdem exposit. ed. Floss pag.* 213) 22 oyranis *OB*

3—8 *Ioh. Scott. de Dionysii operum translatione ad Karol. Calv. ed. Floss pag.* 1032: Dionysius divino miraculo solaris eclipseos, quae facta est confixo Christo crucis patibulo, commotus: ipse siquidem, ut in quadam suarum epistularum (*cf. supra ad* VI 4) commemorat, dum esset iuxta Heliopolim cum Polycarpo episcopo ceterisque qui tunc aderant, divina procurante providentia mirabilem in modum conspexerat lunam soli subeuntem ac per hoc solem defecisse; moxque sanctissimum virum apostolorum discipulum Ierotheum videlicet episcopum secutus, cuius in tertio huius operis libro memoriam facit (*ed. Floss pag.* 1127) eundemque magistrum suum venerabilem nominat ceterisque tunc temporis coepiscopis post apostolos in theologia praeferre non dubitat. 11—14 *Ioh. Scott. ibid.* fertur Dionysius fuisse discipulus atque adiutor Pauli apostoli, a quo Atheniensium constitutus est episcopus. 17—22 *Cf. ad* II II 7.

VIII.

I.

Kyrrie, caeligenae cui pollet gratia formae,
Astrea Caesareos cui cingunt stemmata vultus,
Regum progenies, quos auxit Francia felix,
Orbis terrarum quos alta voce salutat,
Laudibus amplificat veneratur ditat honorat
(Undique concurrens pontum secat, eminet arva):
Salve, Christicolum vertex, gratissime regum.
Rex pie, devoti ne spernas donula servi:
Exiguum munus, largo sed fonte receptum,
Christiferum, patrum mysteria plurima tractans.
Hoc opus in Graeco construxit Maximus abba,
Egregius pastor, scripturis inclitus auctor,
Magni Gregorii perplanans dicta remota,
Sensibus humanis theoremata mente revolvens.
Nec non in multis Dionysius additur ipse
Ariopagites, ornat quem laudibus amplis,
Explanat testemque vocat patremque beatum
Tangens symbolicas praeclaro lumine byblos,
Quas nos edidimus vobis poscentibus olim.
Hac quoque de causa praefatus Maximus abba
Editus est nuper nostro sudante labore,
Effectuque pio vestrum pia iussa sequentes
Cursim transtulimus, quae multo tempore quaerunt
Et doctos sensus et purae mentis acumen.

II.

Quisquis rhetorico verborum syrmate gaudet,
Quaerat grandiloquos Tullia castra petens;
Ast mihi sat fuerit, si planos carpere sensus
Possem tardilocus pragmata sola sequens.
Interior virtus sermonum rite tenenda:
Verborum bombi fallere saepe solent.
Si quis in ambobus divino munere pollet,
Hic primum debet iure tenere modum.

[VIII.] [I—III.] *A(rmamentarii Parisini codex 237 olim S. Martini a Campis) fol.* 7, 7°, 8; *M(azarini codex 561 olim Gorziensis) fol.* 6, 6°, 7 1 cęliginą *A* cęligine (*et sic* e *pro* ae: greco I 11, preclaro 18, prefatus 20, querunt 23, preclara III 15) *M* 2 cesareos (*et sic* e *pro* ae: greco I 11, preclaro 18, sepe II 6 *et* III 5) *A* 15 dyonisius *A* dionisius *M*

[II.] 3 At *M* 4 tardiloquus *M*

[VIII.] [I—III.] *Carmina posita in fronte Ambiguorum Maximi confessoris a Iohanne paulo post Dionysium Latine versum translatorum.* 15 Dionysius in multis additur (*pro* Dionysio in multis rebus additur) *i. recta eius interpretatio multum inde lucratur, cf. Maximi Ambigua a Ioh. translata (ed. Floss pag.* 1195*):* fortassis autem non tam densas subierim caligines, nisi viderem Maximum saepissime in processu sui operis obscurissimas Dionysii Areopagitae sententias, cuius symbolicos theologicosque sensus nuper vobis similiter iubentibus transtuli, introduxisse mirabilique modo dilucidasse.

Sed si perspicuos sensus vix voce loquaris,
Sis quoque contentus; nam meliora tenes.
Si meliora tenes, quaenam tibi cura tenere,
Quae sunt inferius?: semper in alta pete.

III.

Quisquis amat formam pulchrae laudare sophiae,
Te legat assidue, Maxime Graiugena.
Ac primo motus rerum rationibus altis
Mundum sensibilem deserat atque neget,
Nec non et sensus ipsos, qui saepe retardant,
Gnostica dum scandit bemata mentis iter.
Deliciis fragilis vitae mundoque fugaci
Et carnis cura qui vacat, ista legat;
Mundanisque datus studiis tardusque pigerque
Huc non accedat: nullus adest aditus.
Sensibus inflatus propriis tumidusque superbus
Stet procul ipse negans hic reperire locum.
Artibus imbutus, quas novit mentis acumen,
Fidus procedat: nam sua stat patria.
Practica hic lucet morum praeclara magistra,
Custos virtutum pervigil, idonea.
Hic physice causas rerum vestigat opacas
Inventasque simul segregat, unificat.
Hic theo- fert palmam cunctis perpulchra -logia:
ON quod, quod non ON, denegat omne simul.

IX.

VERSUS IOHANNIS SCOTTI AD KAROLUM REGEM.

Aulae sidereae paralelos undique circos
Crinibus auratis nectit Titania lampas.
Umbram bis luci parilem bis lance staterans
Sese bis tropicos ambarum vertit in auctus,
Ac sic distingens binis bis motibus annum
Regnat tetragonum pulcro discrimine mundum
Signis ambitum bis senis limite curvo,
Quae totidem menses terrenis usibus aptant.
Talibus articulis, quos circum tempora currunt,
Partibus octavis dico libraeque criuque
Nec non aegoceri, cancri praefixa tropea.

Glossae — [III.] 6 bemata] gradus ascensionis *AM*

[III.] 4 negat *M* 19 pulcra *M* logia] logea *corr. A* 20 ON̄ON̄ *AM* ON̄ *A om. M*
[IX.] *C(antabrigiensis Collegii corporis Christi 223)* 5 distingens *sic C*

[IX.] *Cf. praef. pag.* 526.

Tu, crie, concepti Christi tibi plaude triumphum,
Vendicet aegoceros nascentis gaudia verbi;
Lucis praecursor nascens in vertice cancri,
Libra conceptus, cernis praefata tropea.
Si quis corde pio mentis levaverit alas
Ac sensim tranet tenero theoremata lapsu
Intrans armoniam rerum ducente sophia,
Omnia perspiciet rationis acumine claro
Intus farta deo verbo loca tempora, totum
Mundum gestantem nascentis symbola Christi.
Verbum nanque deus processit virginis alvo
Lucis in augmento, quam noctis vicerat umbra,
Nos homines miseros paradisi luce remotos,
Olim commissae septos umbramine culpae,
Sponte relinquentes praeclara sedilia vitae,
Mortis perpetuae devinctos iure catenis,
Quo mortale genus lueret sua debita solvens,
Sentiret meritas inflata superbia poenas,
Restaurare volens priscasque reducere sedes.
Haec octava tibi bifrontis rite Kalendas
Insinuat typicas, dum vincit luce tenebras.
Octonus numerus divinos symfonat actus;
Nam dominus noster, quem tempus formulat omne,
Octavis natus, conceptus, morte reversus,
Octavis veteris subiit signacula legis,
Mundus in octava finem dabit omnibus unum
Cursibus annorum variis rebusque caducis
Sumpturus stabilem mutato schèmate formam,
Dum genus humanum generali matre renatum
Pro limo terrae caelestia corpora sumet,
Densa seges virides miro teget ordine sulcos
Tellurisque novae facies revocabitur actu
Et rerum propriae consument omnia causae.
Haec sunt, quae tacite nostris in cordibus intus
Octoni numeri modulatur nabla sonorum,
Spiritus interior clamat nec desinit unquam
Semper concrepitans, quicquid semel intonat annus;
Haec scriptura docet, cui rerum concinit ordo.
Quae sibi nascendi tempus prudentia fecit,
Ipsa locum statuit, quo primum nata pateret.
Bethleem fertur quondam possessio David,
Regis psalmidici, genitoris origine Christi.
Salve, sancta domus, panis ditissima patrum,
Area caelestis divina fruge referta,
In qua natus erat, qui sustinet omnia, panis,
Panis perpetuus, quo vescitur aula superna:
In te manna pluit summis virtutibus aptum.

---

34 nr̃t *C: cf. supra pag.* 351 *v.* 5

Felix illa domus, quae fraglat aromata vitae
Arcanisque suis paradisi prodidit escam.
Angelicus panis, quem primus perdidit Adam,
Vilibus in stabulis prono reperitur in antro.
Lucis praeclarae qui vestit sidera peplo,
Pannos induitur furvo sub culmine cruptae.
Quem nullus novit sensus nec mentis acumen,
Mandra boum vidit tenero velamine carnis.
Quae mens, quae virtus, superum quae facta sophia
In carnem poterit descensum dicere verbi,
Carnis et in verbum sublimia bimata nosse?
Ut deus aeternus factus caro lapsus ad ima,
Sic caro facta deus vere levis evolat alta.
Nate dei patris, cui mater virgo beata,
Cui genus egregium David rex atque sacerdos
Cuique remota domus septenis fulta columnis,
Sanctae scripturae cui fulget candida vestis,
Sanguine quem redimis cui mundus subditur omnis,
Vita, salus hominum, caelorum gloria summa:
Da nostro regi Karolo, cui sciptra dedisti,
Ut semper famulus tibi vivat mente benigna.
Prospera labentis vitae revolumina praesta
Atque simul tecum caelestis gaudia regni.
Magna dei genitrix, ter felix, sancta Maria —
Te laudant caeli, te votis inclytat orbis —:
Proxima sis Karolo tutrix, munimen et altum,
Qui tibi mirifice praeclaram fabricat aedem.
Aedes marmoreis varie constructa columnis.
Alta domus pulcre centeno normate facta.
Aspice polygonos flexus arcusque volutos,
Compages laterum similes, capitella basesque,
Turres, luriculas, laquearia, daedala tecta,
Obliquas tyridas, ialini luminis haustus,
Intus picturas, lapidum pavimenta gradusque,
Circum quaque stoas, armaria, pastaforia,
Sursum deorsum populos altaria circum,
Lampadibus plenas faros altasque coronas.
Omnia collucent gemmis auroque coruscant;
Pallia, cortinae circundant undique templum.
Ipse throno celso fultus rex prospicit omnes
Vertice sublimi gestans diadema paternum,
Plena manus sciptris enchiridon aurea bactra:
Heros magnanimus longaevus vivat in annos.

78 sciptra (*et* 100 sciptris) *sic C: cf. ad* II 1 1. 85 preclaram (*et* 90 dedala) *C* 87 horamate *Harster* 90 luriculos *C corr. Harster* 95 plenas *sic C* 100 *an* *ΕΚ ΧΕΙΡΩΝ? *cf. supra pag.* 546 IV 6

X.

Hic iacet Hincmarus cleptes vehementer avarus:
Hoc solum gessit nobile, quod periit.

[X.] *extat poetae nomine non addito ante Hincmari epigramma, quod pag.* 415 *n.* V *edidi, in codice S. Emmerami nunc Monacensi 14569 saec. XI fol.* 72^{c} (= *E*) *et sic inscriptum* hoc epitaphium composuit iohannes scottus licet sapiens hereticus tamen *in codice Nicolsburgensi nunc Vaticano inter libros Christinae 240* (= *N*) *saec. X positum post librum de praedestinatione contra Iohannem Scottum ab ecclesia Lugdunensi* (*cf. Schroers Hincmar pag.* 117) *emissum* 1 igemarus *N* clepthes *E* vehementer *E*] et semper *N* 2 gessit *E*] fecit *N*

[X.] *Epitaphium cum acerba ironia scriptum in virum Hincmarum archiepiscopum Remensem.*

Ne quid versuum, qui in Flossii editione habeantur ab eoque adscribantur Iohanni, apud nos frustra quaeratur, sabani acu picti titulus subiungendus est, licet ab hoc loco nobis videatur alienus. Invenerat ille quos diximus versus in codice olim Colbertino nunc Parisino 1764 fol. 145^{c} post fragmentum libri Iohannis de divisione naturae saec. XII scriptos ediditque male a se et lectos et intellectos in praefatione pag. XII; mihi ex eodem codice (= P) iterum excripsit H. Lebègue, vir doctissimus atque idem liberalissimus.

Ornat ⟨acus mi⟩ro sabanum molimine fulta
Ac tenues telas discursans fulmine pulcro.
Hyssopus rutilat cum gemmis tureque mixta;
Aurea florigeris concordant carmina fusis.
Nescio, quis, pugnos quod vidit, dicere possit,
Tam doctos artem texendi graphide fulva.
Olli Christus amor fit virtus gloria fultor,
Quisquis contulerit faciem hac sindone mundam
Corporis osque manusque caput simul omnia membra.
Verbera vincla famem virgas tormenta catenas,
Carceris inluviem, poenas, rabiemque ferarum,
Non mala serpentis, non sentiet ipsa venena.

P praebet versus duabus columnis scriptos, sinistra 1. 3. 5. 7. 9. 11, *dextra* 2. 4. 6. 8. 10. 12 1 *Osnot ??? (sequitur foramen)ro sub unum *P* *fulto *P* 2 *discriminans *P* 3 *Cui opus *P* m . . ta *P corr. Lebègue* 4 *musis *P* 6 *arte *P* *saphyro *P* 7 *post* fultor *rasura P* 8 *munda *P: cf. Eugen. Tolet.* ad sabana *op. II* 41, 1 omnibus effectis, quae poscit cura lavacri, | praetende membris lintea clara tuis 9 *apud *P* 10 *uincula *P* cathenas *P* 11 poenas *ex corr. P* *rabiesque rabemque ferarum *P* 12 serpentes *P corr. Floss* *sentiat *P*

3. 4 *Pictura acu facta describitur; Ps.* 50, 9 asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor. 10—12 *Damasi carmen ante epistulas Paulinas (Damas. ed. Ihm c.* 2, 19 *pag.* 4) verbera vincla famem lapides rabiemque ferarum | carceris inluviem virgas tormenta catenas | naufragium lacrimas, serpentis dira venena, | stigmata non timuit portare in corpore Christi.

APPENDIX AD IOHANNEM SCOTTUM.

Carmen sic incipiens nobilibus quondam fueras constructa patronis subdita nunc servis heu male Roma ruis *qui ante me ediderunt et tractabant permulti*[1], *arbitrantur aut saeculo septimo vergente compositum esse, dum Langobardorum Italia pateretur iniuriam, a homine Romano aut medio nono a Iohanne Scotto, quo tunc neminem contendunt inimiciorem fuisse papae Romano. Sed errant utrique: nam id quod non pono, sed possum probare probaboque alio loco, versus illi contra Romam scripti sunt paulo post a. 878 a grammatico aliquo Neapolitano, qui invehitur in illorum temporum aviditatem sanctorum reliquias easque haud raro adulteratas et emendi et vendendi*[2], *irridet urbem quondam superbam iam Saracenis*[3] *stipendiariam factam*[4], *praedicat laudes imperatoris Byzantini eiusdemque patroni Neapolitani*[5].

Codex superest pervetustus tabularii cathedralis ecclesiae Mutinensis[6] *ord. I no. 4 (= M), in quem ita relati sunt qui ibi inscribuntur*[7] VERSVS ROME *fol. 153, ut medii sint inter diploma a. 882 conditum eoque relatum a librario aequali et carmen quoddam, quod spectat ad res a. 900 gestas*[8], *ipsum quoque paulo post ab eodem descriptum.*

Ad Mutinensem proxime accedit Bambergensis B. III 11[9] *saeculo decimo scriptus; in quo quae reliqua exhibentur scripta longe diversa sunt ab iis quae continentur Mutinensi, idem carmen legitur fol. 124*[v].

Tertium exemplum (= ς) erat id, quo medio saeculo undecimo duo[10] *monachi Ratisponenses usi sunt, ut in S. Emmerami codice nunc Monacensi 14137 explerent*

---

1) *Ediderunt carmen Matthias Flacius Illyricus in Variis doctorum piorumque virorum de corrupto ecclesiae statu poematis Basileae 1556 pag. 418 (inscribitur 'incerto autore, ex veteri codice'), Hervagius post Bedae opera Basileae 1563 pag. 538 (unde repetitur in Bedae editionibus Coloniensibus et a Wernsdorfio in Poetis latinis minoribus V 1356), Muratorius 1739 in Antiquitatum Italicarum II 148 usus codice Mutinensi, Ioh. G. Eccardus 1723 in Corporis historici II 7 ex Udalrici Bambergensis codice, Floss 1865 in Migne Patrol. lat. 122, XXIII et 1194 Othlonum secutus, Iaffé 1869 in Bibl. rer. Germ. V 457 ex Udalrici codice, alii non pauci; disseruerunt de eo in primis Huber Ioh. Scotus pag. 106, Gregorovius Geschichte der Stadt Rom*[4] *II 152, H. Grauert in Histor. Jahrbuch d. Goerres-Gesellschaft 1883 pag. 564, Duemmler Gesch. d. ostfr. Reiches*[2] *II 202, Wattenbach G.-Q.*[6] *I 300.* 2) *Cf. Gregorovius l. c. III 70, Duemmler l. c. III 5, S. Beissel Die Verehrung der Reliquien (Ergaenzungsheft zu den Stimmen aus Maria-Laach 47) pag. 63, Wattenbach Sitzungsberichte d. pr. Ak. 1884 II 1127.* 3) *Ii quin intellegendi sint* servi *(v. 2)*, vulgus ab extremis distractum partibus orbis *(v. 7)*, servorum servi *(v. 8, quamquam his verbis iocatur etiam in papam)*, manzires *(v. 15 i. filii meretricis, Ismahelitae), omnino non est dubitandum neque dubitabat Flossius ad Ioh. Scottum (in Migne Patrol. lat. 122 pag. XXIII) de versu 7 et 8.* 4) *Iohannes VIII. ad Karolomannum regem Iaffé 3139 (2366).* 5) *Comparari possunt quae ad Leonem imperatorem carmina misit Eugenius Vulgarius (ed. Duemmler Auxilius und Vulgarius pag. 149—150).* 6) *Descripserunt Mutinensem Hinschius ad Decretales Pseudo-Isidorianas a se editas pag. IX, Merkel N. A. I 572, Duemmler ibid. IV 559.* 7) *Cf. similes titulos Poet. tom. I pag. 399* versus Karoli imperatoris *et ibid. III 234* versus Lotharii. 8) *Cf. Duemmler Gesch. d. ostfr. Reiches*[2] *III 508 adn. 2.* 9) *Cf. Iaeck I 6 n. 36.* 10) *Alter priores decem, alter extremos sex versus scripsit.*

ultimae paginae (fol. 112ᵛ) spatium vacuum relictum post Dionysii Arcopagitae opera ab Othlono scripta[1]. *Sed tamquam novam editionem emissuri versus et contrahebant*[2] *et aliter ordinabant (= R).*

Ex R pendent reliqui codices, quos quidem novi[3], *omnes*[4]*: dico Vindobonensem 754 saec. XII*[5], *S. Benedicti in Wessobrun hodie Monacensem 22037 saec. XII, Salisburgensem nunc Vindobonensem 971 saec. XIII*[6], *Vaticanum 176 saec. XIV, Fuerstenfeldensem iam Monacensem 6909. Pariter exemplum aliquod ex R descriptum secuti sunt Udalricus Bambergensis in epistularum codice a. 1125 composito*[7] *et Flacius atque Hervagius in suis editionibus*[8].

Totam rem ut per imaginem complectar, singuli libri sic inter se cohaerent:



Contulerunt Bambergensem F. Leitschuh, Vindobonenses Th. Gottlieb, Mutinensem Duemmler descripsit; ipse excussi Monacenses.

VERSUS ROMAE.

Nobilibus quondam fueras constructa patronis;
Subdita nunc servis heu male, Roma, ruis.
Deseruere tui tanto te tempore reges,
Cessit et ad Graecos nomen honosque tuus.

Versus rome *M om. B* 1 quondam fueras *Bς*] fueras quondam *M* 4 Cessit enim *B* et grecos *et sic saepius* e *pro* ę *MB*

1) *Cf. supra pag. 525. Utor occasione, ut Othloni subscriptionem, quae est fol. 112ᵛ post Dionysium et ante carmen adversus Romam, accuratius edam quam factum est a Flossio:*

En ego tantillus Otloh vulgo vocitatus,
Quamvis omnigenis corruptus sim malefactis,
Sat tamen istud opus scribendo tuum tibi promptus,
Sancte Dionisi martyr celeberrime XPICΘI,
Unde mei queso precibus sacris memor esto,
Vos quoque qui legitis veniam mihi posco petatis.

Scriptum est in loco raso mei *excepto* m *v. 5,* precibus sacris memor esto *eodem versu,* ueniam mihi posco petatis *v. 6.* 2) *Ratisponenses monachi nescio an sua sponte suoque iure omiserint versus illos*

Sed dum terra vorax animantum roserit ossa,
Tu poteris falsas vendere reliquias.

3) *De nomine nori Parisinum 3761 saec. XIII, cf. Anthol. lat. ed. Riese II pag. XXIX.* 4) *Qui omnes carmen ponunt post Dionysii opera a Iohanne Scotto translata. Plerosque indicaverat iam Flossius in Iohannis editione Migne 122, XIII et 1194.* 5) *Cf. Tabulas Vindob. I 127.* 6) *Cf. ibid. I 168.* 7) *Cf. supra pag. 554 adn. 1.* 8) *Cf. ibidem.*

In te nobilium rectorum nemo remansit
Ingenuique tui rura Pelasga colunt.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
Servorum servi nunc tibi sunt domini.
Constantinopolis florens nova Roma vocatur:
Moribus et muris, Roma vetusta, cadis.
Hoc cantans prisco praedixit carmine vates:
'Roma tibi subito motibus ibit amor'.
Non si te Petri meritum Paulique foveret,
Tempore iam longo, Roma, misella fores.
Manziribus subiecta iacens macularis iniquis,
Inclita quae fueras nobilitate nitens.
Transiit imperium mansitque superbia tecum,
Cultus avaritiae te nimium superat.
Nonne deo perhibente patet: 'pro crimine magno
Servus avaritiae idola corde colit'?
Truncasti vivos crudeli vulnere sanctos;
Vendere nunc horum mortua membra soles.
Sed dum terra vorax animantum roserit ossa,
Tu poteris falsas vendere reliquias.

---

5 rectorum *Mς*] doctorum *B* 6 Ingenuique tui *Mς*] Ingeniumque tuum *B* pelasca *B* 9 Constantinopoli *M*: *fort. recte* 10 Moribus *Bς*] M'tibus (*fuitne* Motibus ?) *M* 11 cantans *M*] ante *B* 12 *om. B* 13 Non si *M*] Iam ni ς Nam nisi *B et auctor invectivae in Romam* (*ed. Duemmler Gest. Berengarii pag.* 138) *afferens versus* 13 *seq. sic*: Nam, ut quidam sapiens dixit: Nam nisi te P. m. P. f. T. i. l. R. m. f. 15 *erasit B* 16 *om. B* 18 tę *M* 19 patet *B*] perit *M* 23 Se *corr. M* tera *corr. B* — *subiungo exemplum eiusdem carminis a monachis Ratisponensibus interpolatum* (*cf. supra pag.* 554)

(1) Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
(2) Subdita nunc servis heu male, Roma, ruis.
(3) Deseruere tui tanto te tempore reges,
(4) Cessit et ad Grecos nomen honosque tuus.
(9) Constantinopolis florens nova Roma vocatur;
(10) Moribus et muris, Roma vetusta, cadis.
(17) Transiit imperium mansitque superbia tecum,
(18) Cultus avariciae te nimium superat.
(7) Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
(8) Servorum servi nunc tibi sunt domini.
(5) In te nobilium rectorum nemo remansit
(6) Ingenuique tui rura Pelasga colunt.
(21) Truncasti vivos crudeli vulnere sanctos;
(22) Vendere nunc horum mortua membra soles.
(13) Iam ni te meritum Petri Paulique foveret,
(14) Tempore iam longo, Roma, misella fores:

Versus de romana civitate *Udalrici* (*cf. supra pag.* 554 *n.* 1) *cod. Zwetlensis* 3 te tanto *Udalricus* 4 honorque tuum *Flacius* 5 vocaris *Flacius* 7 transit *Flacius* 13 crudeli funere *Flacius* 15 Nam nisi *Flacius et Hervagius*

6 rura Pelasga *i. ducatus Neapolitanus.* 12 *Sidon. Apollinar. ep. IX* 14 *pag.* 167, 3: hi nimirum sunt recurrentes *(versus)*, qui metro stante neque litteris loco motis ut ab exordio ad terminum, sic a fine releguntur ad summum. sic est illud antiquum: 'Roma tibi subito motibus ibit amor'. 19 *Ephes.* 5, 5; *Col.* 3, 5.

MILONIS CARMINA.

1. ***M****ilo*[1] *natus post annum 809*[2]*, iuvenis monachus factus S. Amandi Elnonensis*[3]*, deinde diaconus et presbyter in eodem monasterio ordinatus*[4]*, mortuus a. 871 vel 872*[5]*, magnum sui famam reliquit*[6]*. Qui ut profectus est e disciplina*[7] *Haimini*[8]*, praeceptoris non obscuri, ita magister extitit Hucbaldi, nepotis sui*[9]*, qui et ipse evasit litterarum*

---

1) *Egerunt de eius vita Histoire litéraire de la France V 409, Duemmler N. A. IV 521, Ebert Allgemeine Geschichte d. Literatur d. Mittelalters II 277, Iulius Desilve De schola Elnonensi Lovanii 1890 pag. 75.* 2) *Milo de elevatione S. Amandi a. 809 facta scribens a. 855* haec nos *inquit (Migne patrol. lat. 121, 980)* cum a patribus, qui his interfuere et adhuc numerosi supersunt, audissemus frequenti sermone narrantibus, silentio nequaquam infructuoso tegere permissi sumus, sed ... posteris transmisimus *(cf. infra vit. Amandi IV 453). Idem de vita Amandi a se intra a. 845 et 855 scripta:* aptum opus, ut iuvenis iuvenem laudare mererer *(vit. Amandi I 431).* 3) *Cfr. de sobrietate II 916.* 4) *Cfr. ibid. praef. v. 4 et II 920 et inscriptionem vitae S. Amandi (infra pag. 567 in apparatu).* 5) *Annal. Elnon. mai. (SS. V 11) saec. XI ex.* 871 obiit Milo philosophus; *cod. Valentian. 174 fol. 38 saec. X (cf. Archiv VIII 439, Desilve l. c. pag. 76 adn. 4)* X Kal. Oct. obitus Milonis a. d. 872. *Cfr. adn. 6.* 6) *Cfr. adn. 5 et epitaphia Amandina infra edita in appendice. Sigebertus ad a. 879 (SS. VI 342)* hoc tempore clarebat Milo monachus de S. Amandi, qui vitam S. Amandi metrice edidit et librum de sobrietate ad Karolum Calvum scripsit. sub hoc Milone adolescebat etiam nepos eius Hubaldus *(cf. Sigebert. de SS. ecclesiasticis ed. Fabricius pag. 105).* 7) *Cfr. Milonis epistulam ad Haiminum (infra pag. 567) et Vulfai versum 19 (infra post vitam Amandi).* 8) *Haiminus (vel Aiminus, quae nominis forma in vitae Amandi codice A uno loco legitur [infra pag. 567] et approbatur Huberti acrostichide SS. XV 405) S. Vedasti vitam ab Alcuino scriptam continuaturus eiusdem sancti viri miracula composuit ante a. 852 (cfr. Holder-Egger ad SS. XV 396, cui tamen non assentior dubitanter statuenti eundem librum iam a. 827 esse editum); idem quo anno mortuus sit, nescimus; nam, qui annum 834 posuit, Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica pag. 340 Lovanii 1643, et Henschenus A. SS. Febr. I 789, qui defendit annum 843, improbabili coniectura ducebantur; immo Haiminum vel a. 845 nondum vitae cursum confecisse efficitur e versibus Vulfai, qui scripti sunt eo vivo (cfr. v. 19* Haiminus quo duce devia nemo petit*) Hincmaroque archiepiscopo electo (v. 9). Erat aedituus ecclesiae S. Vedasti Atrebatensis (cfr. SS. XV 398) praeterque Milonem discipuli se ad eum applicaverunt Hubertus monachus Atrebatensis (cfr. SS. XV 404 et 405 et Huberti versus ad Haiminum apud nos infra in appendice), Vulfaius Elnonensis (cfr. infra eius v. 19), Heiricus Autissiodorensis: nam pro* Haimino *cum in miraculorum ab eo conscriptorum aliquot codicibus* Haimonem *poni viderem (neque ea nomina quicquam differunt), mihi suspicio nata est Haiminum, magistrum Atrebatensem, eundem esse atque Haimonem, qui Heiricum litteras docuerit (v. supra pag. 422 et Gueterbock in Zeitschrift f. vergl. Sprachf. N. F. XIII 103) neque aliter Heiricum Atrebatum adisse ac postea Hucbaldum Autissiodorum.* 9) *Hucbaldum Milonis nepotem esse memoriae prodidit praeter Sigebertum (supra adn. 5) Gunterus monachus Elnonensis (obiit 1107, cfr. Desilve l. c.*

doctor atque scriptor praeclarus. Amicos fautoresque ingenii habebat[1] *Karolum Calvum Franciae regem (a. 840—875), Hincmarum archiepiscopum Remensem (a. 845—882), Theodoricum episcopum Cameracensem (a. 831— c. 863), Immonem episcopum Noviomensem et Tornacensem (a. 840—859), Adalhardum abbatem Elnonensem (obiit a. 864)*[2]*, Theudingum*[3] *et Vulfaium*[4] *monachos Elnonenses. Scripsit poemata haec: vitam S. Amandi intra a. 845 et 855*[5] *(apud nos c. I), duo disticha de eodem sancto a. 855*[6] *(c. II), duos libros de sobrietate senex (c. III); Drogonis et Pippini epitaphium*[7] *et alia quaedam*[8] *num Milo scripserit, res est incertissima. Vitam S. Amandi bis emisit, priorem editionem Haimino offerens, alteram Karolo Calvo eamque duobus, quibus Porphyrium Optatianum imitatur*[9]*, carminibus auctam (c. I I. II. III); utrique praeposuit epistulam suam ad Haiminum (I IV) Haiminique responsum (I V), subiunxit versus Vulfai (I VII), quibus ille fratris opus commendaverat. Eidem regi quominus dedicaret etiam carmen de sobrietate, morte impeditus est; sed mortui votum, Karolo interim imperatore facto (875—877), solvit Hucbaldus, avunculi versibus suos praeponens*[10].

---

pag. 136), qui in translatione S. Cyrici (A. SS. Jun. III 34, cf. Delisle Le cabinet des manuscrits I 311) sic de utroque: (in loco Elnonensis monasterii) vigebat studio quisquam sapiens nomine Milo, qui sub alis scholarum nepotem suum fovebat Hucbaldum liberalium artium emolumento. assecla nempe ut ingenii sui caperet experimentum, composuit de S. Andrea modulamen antiphonarum, sed et quarundam laudum habentium 'quae vere pia laus' initium. quod ubi didascalus vix tandem agnovit, graviter tulit atque ei scholarum aditum denegavit, conquerens eum velle super se nomen usurpare philosophi. et quia locus tunc temporis carebat abbate, accedens ad priorem nimiae discipulum infamat arrogantiae protestatusque est se et illum nequaquam posse in eodem habitaculo degere. ille accersens Hucbaldum rogavit maiori cedere, donec mitigata eius animositate, quae tunc recens fervebat, ad locum repedaret proprium cum pace. cuius acquiescens consilio urbem expetiit Nivernensem, quam quidam fundaverat Nivo. *Quae verba quantam fidem mereantur, non constat; magistro se usum esse Milone ipse Hucbaldus affirmat in versibus carmini de sobrietate praepositis. — De Karlomanno Pippino Drogone, Karoli Calvi filiis, a Milone educatis vide infra in appendice ad c. II IV.*

1) *Hincmaro, Theodorico, Immoni, ceteris vitam S. Amandi a Milone in versus redactam magnae admirationi fuisse Vulfaius testatur (infra post Vitam S. Amandi).* 2) *Cfr. SS. V 12 et SS. XIII 620; quando factus sit abbas, ignoramus; post Adaleodum abbatem, qui mortuus est a. 845, et ante Adalhardum duo abbates videntur monasterio Elnonensi praefuisse, Gillebertus et Hildericus (cfr. Gall. Christ. III 257 et SS. XIII 386).* 3) *Cfr. annales S. Amandi ad codicem Blandiniensem editos ab Henscheno A. SS. Febr. I 895 et a Pertzio SS. II 184:* 819 (818 *Henschenus*) Teutman (Teutingus *Henschenus*) promissionem fecit *et* 850 Teutmann (Teutingus *Henschenus*) ordinatur VIII Id. Mart.; *quibus locis etiamsi codicis scripturam Henscheno rectius legerit Pertzius, e Vulfai versibus elucet Teudingum fuisse Elnonensem.* 4) *Cum in priore editione Vitae S. Amandi (cfr. 559 adn. 1) genetivus sit* Vulfagi, *in altera* Vulfai, *viri nomen* Vulfhac *videtur fuisse; eum Elnonensem fuisse e carminis eius versu 27 apparet.* 5) *Scripta est aut certe edita Hincmaro iam archiepiscopo electo, i. post a. 845 (cfr. supra 557 adn. 8), et igne divino ad S. Amandi sepulcrum nondum viso, i. ante a. 855 (cfr. Milonis sermon. Migne 121, 980 et annal. Elnon. minor. SS. V 19;* vitae Amandi libellus *in eodem sermone a Milone saepius allatus non vita est scripta a Baudemundo [ed. Henschen. A. SS. Febr. I 853], cuius vestigiis Milo in carmine de Amando componendo tamquam pedisequus insistit, sed id ipsum Milonis carmen).* 6) *Cfr. infra ad c. III.* 7) *Cfr. append. ad Milonem.* 8) *Is Milo, qui carmen* de mundi philosophia *composuit (cfr. Delisle Bibliothèque de l'école des ch. ser. VI tom. V pag. 323 et Dorange Catalogue de la bibliothèque de Tours pag. 369), potest esse idem, qui scripsit elogium papae Paschalis II (cfr. Histoire litéraire de la France X 20). — Carmen a Karolo Gillert primum editum (N. A. VI 503) et Amandino Miloni ab eodem addictum in appendice a nobis repetitur (infra V).* 9) *Cfr. supra pag. 407 adn. 6.* 10) *Cfr. carmen inter ea alterum, quae versus Milonis de sobrietate praecedunt.*

2. Vitae S. Amandi Haimino oblatae[1] *unum exemplum superest, codex olim S. Amandi*[2] *nunc Valentianis in bibliotheca publica n. 414 (= A)*[3]. *Saeculo nono exeunte parum diligenter scriptus continet Bedam de arte metrica, Milonis vitam S. Amandi (fol. 23 Milonis epistulam ad Haiminum eiusque responsum, fol. 24 Milonis poema, fol. 57ᵛ versus Vulfai), Milonis carmen de sobrietate, Conflictum veris et hiemis*[4]. *Ab Ernesto Sackur V. C. nobis collatus est.*

Idem carmen in reliquis codicibus extat Karolo Calvo inscriptum. Sunt autem hi:

(K) codex Bonaevallensis[5], *nunc Havniae in bibliotheca Tottiana, quae regiae adiuncta est, sub n. 520*[6] *asservatus; quo in codice episcoporum Cameracensium historiae saeculo XII scriptae*[7] *subiunguntur a fol. 45 ad fol. 63 fragmenta Vitae Amandi scripta saec. IX ex., quae complectuntur versus hos: II 298—III 15, III 125—IV 416, versus Vulfai, hymnum de S. Amando*[8] *(inc.* Amande praesul optime*). Hunc librum Harster V. C. excussit.*

(V) Valentianensis 502 olim S. Amandi, scriptus saec. XI et picturis memoratu dignissimis ornatus[9]. *Eo continetur vita S. Amandi a Baudemundo scripta, a Milone suppleta*[10]; *eadem vita a Milone in versus redacta (fol. 74 Milonis carmina figurata, fol. 75ᵛ Milonis et Haimini epistulae, fol. 77 imago Milonis librum Haimino offerentis, fol. 77ᵛ similis imago, fol. 79 Milonis carmen, fol. 118 versus Vulfai); scripta quaedam Elnonensia. Etiam hunc librum Ernestus Sackur contulit.*

(B) Bruxellensis 8721—28, olim Antwerpiensis in museo Bollandiano, scriptus saec. XII[11]. *Exhibet Milonis sermones, eiusdem carmen de S. Amando (fol. 21 Milonis carmina figurata, fol. 23 Milonis et Haimini epistulas, fol. 24 ipsum carmen de S. Amando, fol. 56 versus Vulfai), hymnos de S. Amando duos (fol. 56ᵛ* Amande praesul optime, *fol. 56ᵛ—57* Ave pater pastor noster*)*[12], *Sulpicii Severi vitam S. Martini, alia quaedam quae ad S. Martinum spectant. Harster contulit; ego hymnos descripsi.*

Marchianensis nunc Duacensis 857, scriptus partim saec. X, partim XII; a nobis non adhibitus[13].

Ediderunt Milonis vitam S. Amandi Bollandiani (A. SS. Febr. I 873) usi codicibus V et B repetivitque eorum editionem Mignius (Patrol. lat. 121, 927); carmina figurata publicata sunt a Mangeart (l. c. pag. 674), Desilve (l. c. pag. 83), Bollandianis (Catalog. Bruxell. II 248).

---

1) *Haec, quam priorem vocamus, vitae S. Amandi editio ab altera, i. ea quam Milo dedicarit Karolo Calvo, non nihil differt; caret enim carminibus figuratis, titulis, subscriptionibus et quamquam, qua antiquitate est codex A, aliquot locis meliorem lectionem exhibet, tamen ab altera editione, ut quam ipse correxerit poeta, plerisque locis superatur. Nos textu nostro alteram repraesentamus.* 2) *Cfr. catalogum librorum S. Amandi saec. XII scriptum apud Delisle Le cabinet d. ms. I pag. 452 n. 102 (= Desilve l. c. pag. 163) et catalogum a. 1635 compositum in Sanderi Bibliotheca Belgica Insulis 1641 pag. 52.* 3) *Cfr. Mangeart Catalogue d. ms. de Valenciennes Parisiis 1860 pag. 393, 8°-Catalogue XXV 373.* 4) *Ed. Duemmler tom. I pag. 270. Idem de Milonis codicibus scripsit N. A. IV 521—525.* 5) *Quod apparet ex subscriptione, quae est:* hic est liber sanctorum martirum floren(tini) hil(arii) m(arcellini) et p(etri). *Item liber Bonae-vallis (quod monasterium est in diocoesi Carnotensi, cf. Gall. Christ. VIII 1234) est codex Bernensis 249.* 6) *Cfr. Archiv VII 440.* 7) *Cfr. SS. VII 400.* 8) *Cfr. infra in appendice.* 9) *Cfr. Mangeart l. c. pag. 462 et 8°-Catalogue l. c. pag. 403.* 10) Suppletio quae addita est libello vitae sancti Amandi a Milone monacho et sacerdote coenobii ipsius *edita est a Mabillione (A. SS. saec. II pag. 719), Mignio (Patrol. lat. 121, 967), Arndtio (N. A. II 268), Bollandianis (Analect. Bolland. IV 157). Quae quominus a Milone abiudicetur, cum aliorum codicum obstat testimonium, tum vetustissimi Gandavensis (cfr. Analect. Bolland. III 169).* 11) *Cfr. Catalog. bibliothecae Bruxell. ed. Bollandiani II 248.* 12) *Cfr. in appendice.* 13) *Cfr. N. A. II 268, Catalogue des ms. des bibliothèques des dép. (in 4°) VI 608;* Milo unus cum sancti Amandi vita metrice composita, alius per se *affertur in bibliothecae Aquiscinctinae catalogo saec. XII scripto, apud Becker 121, 106 seq. pag. 249.*

3. Poema de sobrietate, cum propter exquisitas doctrinae copias[1] *per medium aevum studiose lectitaretur*[2]*, non solum interitum fugit, sed per exemplaria plura solito servatum est*[3]*. Exstant codices hi:*

(A) Valentianensis 414 saec. IX, quem supra descripsi, qui exhibet Hucbaldi versus ad Karolum fol. 59, Milonis ad eundem fol. 60, eius carmen de sobrietate fol. 62—106;

(E) Valentianensis 415 saec. X, in quo praecedit Conflictus veris et hiemis, sequitur carmen de sobrietate[4]*;*

(L) Leidensis bibliothecae universitatis 190 scriptus saeculo XI, in quo habetur carmen de sobrietate non paucis locis decurtatum (adsunt versus I 953—II 69, 106—141, 250—293, 467—1196: quae ceteros exhibebant folia excisa sunt) fol. 1—33, imago monachi ante aediculam orantis cum hoc titulo Poeta gratias agit deo pro expleto opere suo *fol. 33^v, Bedae carmen de die iudicii fol. 34—37, Praecepta vivendi v. 1—160 (Poet. aevi Carolini I 275) fol. 37^v—41^v, Scotti cuiusdam versus de alphabeto v. 55—63 (Poet. lat. minor. ed. Baehrens V 378: ante Scotti versus unum folium intercidit) et Silvii versus de salvatoris cognomentis (Anthol. lat. ed. Riese c. 689^a) fol. 42, Conflictus veris et hiemis v. 1—39 (Poet. aevi Carolini I 270) fol. 42—44^v;*

---

1) *Animum induxerat Milo cum aliarum virtutum exempla tum sobrietatis e sacra scriptura colligere apteque digesta tripliciter enarrare, sc. historice typice moraliter (cfr. ad I 153). Sed utrum opus reliquerit perfectum an, si licuisset, emendaturus, iure quaeri potest. In interpretationis munere quos ipse adhibuisset bibliorum commentarios allegoricos (*patrum documenta *I 39, II 695; textum sacrae scripturae eadem verba significant praef. 23, II 552, 854), saepe mihi non contigit, ut invenirem; ubi, quod unum potui, propinquas sententias ex scriptoribus ecclesiasticis subnotavi, ut poetam non de suo hausisse appareret; atque adeo non raro Pseudo-Melitonem et Isidorum iis locis adhibui, quibus Milonem eorum fontes libavisse veri simile erat, quia isti compilatores necessaria exhibere videbantur breviter ac summatim narrata. Bibliorum locos plerosque Desplanque editioni suae subscripserat magna cum cura collectos, paucos ex Isidoro et Ambrosio indicarerat Desilve l. c. pag. 89, qui id recte videtur statuisse Psychomachiae Prudentianae lectione Milonem adductum fuisse, ut versibus conscriberet de sobrietate.* 2) *Inde factum est, ut codices plerique adnotatiunculis inter versus et ad margines positis scateant: quae cum Milone recentiora esse videantur neque tam eius obscuritates illustrent quam subesse significent, editioni non subscribo, sed, ut sint specimina indolis eorum, hic in transcursu ex codice A (quocum plerumque facit etiam E et L) haec affero: ad v. 4 Hucbaldi ad Karol.* Allusio poetae, *I 7* nota quod Chobar secundum quosdam ipse sit Tigris, *82* robustus] Nemrod, *151* nota: gibber[ti] camelus est bonus, *161* nota usquequo, *258* nota quare Moyses populum cinere vituli conflatilis et contriti potaverit, *cet.; ex E (praeter adnotatiunculas cum A communes) Hucb. ad Karol. 24* pandectes omnia comprehendens, *ibid. 53* silensis *(cfr. G. Schulze Orthographic. pag. XI), praef. 12* rithmum] consonantiam, *I 32* trenos] lamentationes, *cet.; ex L (nisi ubicumque consentit cum A et E) II 7* fons signatus aquae] ventris dei gratia sigillatus, *ibid.* purissima vena] integra virginitas, *23* in imo est] quia non potest eam exaltare sicut dignum est, *116* pellitia] de pellibus facta, *135* non hedum in lacte coquendum] i. non filium dei in infancia esse occidendum, *cet.; in codice Bruxellensi, qui commentarium ut aiunt perpetuum exhibet, exordium est hoc:* notandum quod in principio huius libri sicut et cuiuslibet alterius sex sunt inquirenda *(cfr. P. Meyer Romania VIII 1879 pag. 327):* causa materialis sive subiectum est sobrietas, nam in toto libro determinatur de sobrietate; causa formalis est modus procedendi, qui est metricus et poeticus; causa efficiens fuit Milo, qui ob auditum istius psalmi 'super fluvium etc.' composuit hunc librum; causa finalis est cognoscere sobrietatem et ut mediante ea pervenire valeamus ad caelestia; subponitur haec scientia scientiae morali, nam mediante ea possumus pulchros mores possidere . titulus est: sequuntur utilia tela *etc. Versum II 795 in codice quodam interpolato florilegii Miconis inter exempla prosodiaca receptum legi supra dixi pag. 283.* 3) *Eos primus composuit Th. Oehler in Annuaire de la biblioth. r. de Belgique III (1842) pag. 146 (cfr. Serapeum IV 1843 pag. 56 et N. A. IV 572).* 4) *Cfr. Mangeart pag. 395, 8°-Catalogue XXV 374.*

liber S. Petri de Gloecestria nunc Londini in bibliotheca regia in museo Britannico 5 A. XI 2 saec. XI[1]*;*

liber S. Augustini Cantuariensis nunc Cantabrigiae in universitate 1567 (olim 1552) Gg. 5. 35 saec. XI[2]*;*

liber monasterii Gemblacensis a Iohanne Baillini eius monasterii monacho scribi coeptus a. 1495, finitus 1510[3]*, qui liber nunc est Bruxellensis 5254—5267;*

liber S. Petri Corbeiensis, cuius in catalogo bibliothecae Corbeiensis saec. XI[4] *scripto mentio fit (apud Becker 79, 220 pag. 189* Milo de sobrietate*), nusquam comparuit.*

Editionem unicam vulgavit A. Desplanque in Mémoires de la société des sciences, de l'agriculture et des arts de Lille Insulis 1872, usus potissimum codice E; nobis codex A ab Ernesto Sackur collatus dux est et L, quem descripsit Duemmler, subsidiarius[5]*. Londinensem F. Liebermann inspexit, Bruxellensem ego.*

I.

I.

SEQUUNTUR PAGINAE DUAE IN SPECIE SANCTAE CRUCIS EDITAE AD GLORIOSUM REGEM KAROLUM.

IN PRIMA PAGINA PRINCIPALES VERSUS SUNT HI:

I Accipe, Karle, precor carmen pietate benigna.
II Aeterno commissa levas moderamine sceptra.
III Aurea saecla novans tam sacra ornare corona.
IV Accipe, Karle, precor laudem currente Camena.
V Arma tenens et signa parans bonitate serena,
VI Amplius auge operis laudem poscente Thalia.

IN SECUNDA PAGINA VERSUS SCRIPTI SUNT HI:

I. II Salve, rector ovans aeterno munere fretus.
III. IV Salve, carus amor aeterna laude coruscans.
V. VI Sumito, rex, laudes et metrica vota Milonis.
VII Excipe clementer famulum, pietatis amice,
VIII Et dextram miserans Miloni porrige, Carle.

[I.] [I.] *utrumque carmen om. V* aeditae *B* 1 benigna] serena *B* 6 talia *B*

1) *Cfr. Casley Catalogue of the King's library 63 et N. A. IV 525; Gloecestriam venit e bibliotheca Atrebatensi, leguntur enim fol. 47, unde novus codex incipit, ante carmen de sobrietate versus hi:*

Missaticum abbatis S. Beretini ad Lefuvinum.
Ecce tibi librum misi, quem scribere feci
Ultimus abbatum famulusque dei famulorum
Abbas Rodricus merito neque nomine dignus,
Quem rogo parte dei nec non sancti Beretini
Summs gratanter, Lefuwin (lefuuini c.) carissime frater,
Et tibi cum nostri veniat benedictio Christi,
Munere perpetuum teneas tibi quatinus astrum.
Hoc cupimus precibus, hoc nocte dieque rogamus,
Primus ego ante alios, omnes mecum quoque fratres.
Longis temporibus te sanum servet Ihesus,
Annosus felix dures quot secula Fenix.
Dilectus tibi Swawinus per secla fidelis
Percarum commendat ave, vale necne perhenne.

Iussit codicem scribi Rodricus Atrebatensis tum abbas S. Bertini factus (a. 1021—1043), quod Duemmler perspexit Neues Archiv l. c.; scripsit Swawinus monachus Bertinianus (cfr. Chartularium Sithiense ed. Guérard pag. 170); dono accepit qui vulgo audit Leduin vel Lietdvin, qui S. Vedasti Atrebatensis abbas a. 1022 factus est (cf. Histoire lit. de la France VII 371). 2) *Cfr. Catalogue of the ms. of the university of Cambridge III 203; N. A. IV 99, 526; Zeitschrift f. deutsches Alterthum XIV 450, XXX 186; Rhein. Museum XXXI 466; Abhandlungen der bayer. Akademie I Cl. XIX 2 pag. 4.* 3) *Cfr. Serapeum l. c. pag. 62 et 76.* 4) *Cfr. Rose Meerman-Hss. pag. 434.* 5) *Ubi codicis A menda emendatoris nomine non adiecto tollo, veram lectionem a Desplanquio mutuor, qui codicem E religiose sequi videtur.*

II.

Accipe, Karle, precor, carmen pietate benigna.
En sceptrum regale ferens venerabile cultu
Te duce iustitiae culmen servante refertur
Excrescens miro pietas moderamine pulchre
Regnis missa tuis, tua te et regnante trophea
Non lapsura bonis aeterna in saecula gestis
Oceanus valet haut concludere limitis unda,
Cum tua seiunctam penetrent insignia Thyle.
Orbis amor, decus et mundi, tu culmina iam nunc
More regis patrio; nam si nunc forte tribunal
Mirificando tuum referat modulante Camena
Immensum quisquis poterit formare volumen.
Sumito, posco, tamen visu, o rex dulcis, honesto
Scemata picta crucis indigni carminis ausu.
Ac veluti almifico in giro micat alma corona,
Laus tua sic terrae concludit magna regimen
Et lux sancta micat quadratis climatis oris.
Utque tui vatis votum praestantius hinc sit,
Amplius auge operis laudem poscente Thalia.
Subditus obsequiis orbem diversa per omnem
Munera fert vestris variato stemmate gazis
Ortus et occasus, gemina et hinc inde columna,
Donec ad alta voles et scandas aethera donec.
En supero princeps sub Christo pacis amator
Regna levas et laeta bonis commertia dextra
Addis ubique tuo demens mala cuncta tropheo.
Maxime regnantum, bonitatis et orbe relator,
Imperii a proavis partum tibi sorte cacumen
Nobilis ultor habens auctum virtute serena,
Excipe dignanter virtutum insignia, victor.
Scripsi equidem vitae felicia gesta beatae
Cari pontificis, cuius pulcherrima sunt hic
Et virtus et honos et verba et praemia sancto
Perpetue mansura choro trans sidera semper.
Tu tamen, o princeps, haec munera nuda coturno
Respice nobilitans in Amandi nomine carmen.
Accipe, Karle, precor laudem currente Camena

1 benigna] serena *B* 3 iusticiae *B* 4 excrenscens *V* 7 haud *B* 19 Talia *B* 25 commercia *B* 34 perpetuo *Desilve*

ACCIPEKARLEPRECORCARMENPIETATEBENIGNA
ENSCEPTRVMREGALEFERENSVENERABILECVLTV
TEDVCEIVSTITIAECVLMENSERVANTEREFERTVR
EXCRESCENSMIROPIETASMODERAMINEPVLCHRE
REGNISMISSATVISTVATEETREGNANTETROPHEA
NONLAPSVRABONISAETERNAINSAECVLAGESTIS
OCEANVSVALETHAVTCONCLVDERELIMITISVNDA
CVMTVASEIVNCTAMPENETRENTINSIGNIATHYLE
ORBISAMORDECVSETMVNDITVCVLMINAIAMNVNC
MOREREGISPATRIONAMSINVNCFORTETRIBVNAL
MIRIFICANDOTVVMREFERATMODVLANTECAMENA
IMMENSVMQVISQVISPOTERITFORMAREVOLVMEN
SVMITOPOSCOTAMENVISVOREXDVLCISHONESTO
SCEMATAPICTACRVCISINDIGNICARMINISAVSV
ACVELVTIALMIFICOINGIROMICATALMACORONA
LAVSTVASICTERRAECONCLVDITMAGNAREGIMEN
ETLVXSANCTAMICATQVADRATISCLIMATISORIS
VTQVETVIVATISVOTVMPRAESTANTIVSHINCSIT
AMPLIVSAVGEOPERISLAVDEMPOSCENTETHALIA
SVBDITVSOBSEQVIISORBEMDIVERSAPEROMNEM
MVNERAFERTVESTRISVARIATOSTEMMATEGAZIS
ORTVSETOCCASVSGEMINAETHINCINDECOLVMNA
DONECADALTAVOLESETSCANDASAETHERADONEC
ENSVPEROPRINCEPSSVBCHRISTOPACISAMATOR
REGNALEVASETLAETABONISCOMMERTIADEXTRA
ADDISVBIQVETVODEMENSMALACVNCTATROPHEO
MAXIMEREGNANTVMBONITATISETORBERELATOR
IMPERIIAPROAVISPARTVMTIBISORTECACVMEN
NOBILISVLTORHABENSAVCTVMVIRTVTESERENA
EXCIPEDIGNANTERVIRTVTVMINSIGNIAVICTOR
SCRIPSIEQVIDEMVITAEFELICIAGESTABEATAE
CARIPONTIFICISCVIVSPVLCHERRIMASVNTHIC
ETVIRTVSETHONOSETVERBAETPRAEMIASANCTO
PERPETVEMANSVRACHOROTRANSSIDERASEMPER
TVTAMENOPRINCEPSHAECMVNERANVDACOTVRNO
RESPICENOBILITANSINAMANDINOMINECARMEN
ACCIPEKARLEPRECORLAVDEMCVRRENTECAMENA

III.

Salve, rector ovans, aeterno munere fretus.
Aurea vestra decens tenui pangente Talia
Limina pulsare et radians orare tribunal
Viribus exiguis audens haec pagina vorsu
Exerto properat, o rex, tibi plaudere laude;
Cursio sed voto pavitanti deficit in haec:
Artatur nimium proprio sub calle modesta
Rara videns vestigia, quis artata tenetur
Vilis, et exiguo columen; nec littera ductu
Sufficit ulla sacrum metiri nomen amoris
Aut laus arta valet vivaci cludere lingua.
Mitto tamen ludos et sudat pagina rithmum.
Orbe rubens medio species candore polito
Reddit enim pure metris signata verenter
Aptius has laudes, quas promit rite Camena
Etsi nam multi teneant tua sceptra poetae
Tollentes astris et sertum numinis orent,
Excipe clementer famulum, pietatis amice.
Respicias istic patienti corde libenter
Nodo multiplici perlatum, quaeso, ligamen
Ardenterve legas, quo, per tua ludere gesta
Laurea dum vellem, conpegi munera, quae vel
Alta petunt radiis divexo calle repressa
Vel decliva ruunt et plurima digna notatu
Depingunt vario: peto, lucri munus ut istud
Excipias placidi terrae iam notus in orbe,
Cernuus excurram parens quo mitius ex hoc,
Optima vel laeto depingam munera plectro.
Rex pie, rex fortis, legis rectissime lator,
Vates ornatum tibimet modo fretus in ausu,
Sancte, tuo laetus cecini diadema salutis,
Conisus talem tibi laudem plaudere, donec
Ad maiora queam reverenter abire canenda.
Numen avi portans et laudem culminis exin
Salve, rector ovans, aeterno munere fretus.

19 patienter *B*


SALVERECTOROVANSAETERNOMVNEREFRETVS
AVREAVESTRADECENSTENVIPANGENTETALIA
LIMINAPVLSAREETRADIANSORARETRIBVNAL
VIRIBVSEXIGVISAVDENSHAECPAGINAVORSV
EXERTOPROPERATOREXTIBIPLAVDERELAVDE
CVRSIOSEDVOTOPAVITANTIDEFICITINHAEC
ARTATVRNIMIVMPROPRIOSVBCALLEMODESTA
RARAVIDENSVESTIGIAQVISARTATATENETVR
VILISETEXIGVOCOLVMENNECLITTERADVCTV
SVFFICITVLLASACRVMMETIRINOMENAMORIS
AVTLAVSARTAVALETVIVACICLVDERELINGVA
MITTOTAMENLVDOSETSVDATPAGINARITHMVM
ORBERVBENSMEDIOSPECIESCANDOREPOLITO
REDDITENIMPVREMETRISSIGNATAVERENTER
APTIVSHASLAVDESQVASPROMITRITECAMENA
ETSINAMMVLTITENEANTTVASCEPTRAPOETAE
TOLLENTESASTRISETSERTVMNVMINISORENT
EXCIPECLEMENTERFAMVLVMPIETATISAMICE
RESPICIASISTICPATIENTICORDELIBENTER
NODOMVLTIPLICIPERLATVMQVAESOLIGAMEN
ARDENTERVELEGASQVOPERTVALVDEREGESTA
LAVREADVMVELLEMCONPEGIMVNERAQVAEVEL
ALTAPETVNTRADIISDIVEXOCALLEREPRESSA
VELDECLIVARVVNTETPLVRIMADIGNANOTATV
DEPINGVNTVARIOPETOLVCRIMVNVSVTISTVD
EXCIPIASPLACIDITERRAEIAMNOTVSINORBE
CERNVVSEXCVRRAMPARENSQVOMITIVSEXHOC
OPTIMAVELLAETODEPINGAMMVNERAPLECTRO
REXPIEREXFORTISLEGISRECTISSIMELATOR
VATESORNATVMTIBIMETMODOFRETVSINAVSV
SANCTETVOLAETVSCECINIDIADEMASALVTIS
CONISVSTALEMTIBILAVDEMPLAVDEREDONEC
ADMAIORAQVEAMREVERENTERABIRECANENDA
NVMENAVIPORTANSETLAVDEMCVLMINISEXIN
SALVERECTOROVANSAETERNOMVNEREFRETVS

IV.

INCIPIT EPISTULA MILONIS LEVITAE AD VENERABILEM PATREM HAIMINUM CHRISTI SACERDOTEM DIRECTA.

Reverentissimo patri Haimino Milo devotissimus filiorum indelebilem aeternae felicitatis iocunditatem.

Perfruitus quondam vestrae mansuetudinis benignissimo affatu, eo scilicet tempore, quo susceptus a vobis vestra inmeritus merui iocundari allocutione ac melliflua perfoveri dulcedine, gratiarum actionem persolvo. Siquidem erga exiguitatem meam tanta vestrae excellentiae benignitas viguit, ut deinceps non cessaret, quod inflammatum erat in corde meo, vestri amoris ardere incendium. Et non inmerito: quippe melle pleni sincerissimae dilectionis, cordis ac corporis gestu eructantes, quae interiora vestri pectoris habebant cubilia, facile obtinuistis, ne de fibris meis ullo umquam tenore vestra labatur amabilis mentio, sed aeternaliter innovata conservetur et perduret flore inmarcescibili. Qua de re fidens in tam laudabili paternitate vestra ceu filius indidi manibus vestris ineptas meae inprudentiae nenias, praeexercitamen scilicet ingenioli mei in vita beatissimi Amandi, suppliciter obsecrans, ut, si in his aliquid fidei catholicae minus consonans vel incongruum legi metricae inveneritis, ad certae normam regulae misericorditer more paterno reducatis. Nec me meo dimittatis errori, contestor et obsecro per sanguinem Christi, qui fusus est pro salute populi Christiani. Quod si misericordia supernae maiestatis praeeunte aequas textus carminis mei obtinuerit partes, tunc una mecum huius doni largitori, sancto scilicet spiritui, gratiarum laudes debita exultatione persolvite, cuius munere tantum opus quivi utcumque conpingere. Rusticitati autem meae veniam date, necesse est, quia rusticatio, ut quidam ait, ab altissimo creata est. Et quamvis difficilioribus uti potuerim aliquibus in locis verborum ambagibus, ne id facerem sum prohibitus, quia etiam credidi futurum opus istud gratius, si omnium fratrum pateret auditibus. Faveat ergo excellentia vestra non vitiis meis sed laboribus, ut illud percipiatis in caelestibus, quod mortalis non vidit oculus. Valere vos optamus ad omnium fidelium profectum aeternaliter.

V.

RESCRIPTUM HAIMINI AD EUNDEM.

Infimus servus Christi Haiminus Miloni suo salutem.

Carmen, quod mihi, frater amantissime, porrexisti, avida mente perlegi; sed quia non satis est legisse semel, iuvit usque videre. Unde repetens a principio non sine iudiciali censura, quod ante summo tenus tetigi, totum ex integro legens et inculcans omnes in eo intentionis meae vires inpendi. Nam primo putavi me, fateor, in planum posuisse pedem; sed ut comperi meam exiguitatem non modo poculo fontis inrigari, sed fluctibus eloquentiae obrutum iri, non sine cautela deinceps totum id flumen fratribus, qui mecum sunt, quomodo sit navigandum ostendi. Et quia in eo nec scopulum, qui fidei obstet, offendi nec, quod legi metricae refragetur, inveni, hortor fratres nostros, qui a talibus studiis non abhorrent, munus hoc libenter suscipere et

[I.] [IV.] Incipit epistula milonis levitae (m. philosophi *V*) postea presbiteri ad uenerabilem (uenebilem *V*) p. h. c. s. d. *BV*] Scęda (*et sic saepius* ę *pro* ĕ *et* ē) milonis suo directa magistro *A* 8 gustu *A* gesta *B* 11 inmarcessibili *V* immarcessibili *B* 15 ne me *V* 16 effusus est *V* 24 caelestis *A* [V.] Rescriptum haimini ad eundem *VB: titulos subscriptionesque et hic et ceteris locis om. A*

[IV]. 20 *Eccl.* 7, 16 non oderis laboriosa opera et rusticationem creatam ab altissimo. 28 *Aen. VI* 487 nec vidisse semel satis est, iuvat usque morari.

obsecro, ut satius velint ad simile studium provocari quam invidiae facibus concremari. Novimus siquidem semper cives civibus invidere et secundum salvatoris dictum neminem prophetam, sive ut tu solitus es dicere nullum poetam, acceptum esse in patria sua. Sed quia parvulum occidit invidia, minor esse cognoscitur, qui invidet, quam ille, cui invidetur. Papae! miror opiparum valuisse divitibus praeparare convivium, quem putabam vix posse pauperibus exhibere vel gustum. Plane amantissimi Amandi ego quidem id meritis inputo, de cuius praeconiis exultare ac Christum laudare non cesso. Est igitur eloquium suave et carmen salibus dulce; leni lapsu et plano sermone decurrit oratio. Quid amplius? Dicant et iudicent sodales, ut velint; ego autem archanum cordis mei promulgo, quia praeconia tanti patris, mi dilecte, satis abundeque tuo carmine illustrasti. Noli tamen, obsecro, ab incoepto desistere; noli desidiae aut inerti otio succumbere; noli gratiam, quae tibi adiacet, negligere; sed, dum vacat, semper te bonis studiis exerce. Et noli, quod gratis accepisti, aliis denegare; noli solus bonum commune possidere velle. Haec sola pecunia est, quae novit expensione augeri; haec sola est, quae sparsa crescit et erogata emolumenta capit; haec est etiam, quae absconsorem suum poenis addicit et bonum dispensatorem aeterni muneris gloria insignit.

Macte nova virtute, vale, Milo, optime vates,
Haiminique tui, dic, miserere, deus.

VI.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT VITA S. AMANDI CONFESSORIS CHRISTI DE PROSA ORATIONE IN HEROICUM CARMEN METRICO STILO TRANSFUSA HABENS LIBELLOS QUATTUOR EDITA A MILONE MONACHO COENOBII IPSIUS.

PROHEMIVM OPERIS SEQVENTIS.

Festa propinquabant nostri veneranda patroni
Instabatque dies terrigenis celebris.
Ornabat nitidi praecelsa habitacula templi
Pervigili cura sancta caterva gregis.
Candentes tunicas atque ornamenta per aras
Ponebant texta stamine purpureo.
More parabantur solito pavimenta decenter
Marmore commixtis ordinibus variis.
Pars aliqua aptabat redolentia lumina ceris
Formabatque chorus cantica mellifluus.
Pars et oliviferis appendens vasa coronis
Fundebat lucem corde, manu rutilam.
Tunc me sollicitum, ne in tantis munere turmis
Parerem vacuus, istud opus rapuit,
Laudibus apta piis, florentia gesta venusti
Praesulis ut metro dulcisono canerem.

5 papé (*et saepius* e *pro* ę) *B* 8 salubus *A* 17 Milo] mol *A* 18 aiminique *A* [VI.] In nomine domini incipit (I. n. d. i. *om. V*) u. s. a. confessoris christi (c. c. *om. V*) d. p. o. i. aeroicum c. metrico stilo (m. s. *om. V*) t. habens libellos IIII^{or} edita a milone monacho coenobii ipsius (h. l. q. e. a. m. m. c. i. *om. V*). proemium operis sequentis (prohemium incipit *V*) *VB* 6 porpureo *A* 13 sollocitum *A*

2 *Luc.* 4, 24 nemo propheta acceptus est in patria sua. 4 *Iob* 5, 2 parvulum occidit invidia. 14—16 *Matth.* 25, 14—30. 17 *Aen. IX* 641 macte nova virtute, puer: sic itur ad astra.

Dulce decus, pietatis opus conpingere versu
Pontificis vitam suasit amor fidei.
Quorundam monitis fratrum conpulsus enorme
Suscepi pondus viribus exiguis.
Antiquos pro! non puduit reticere poetas,
Quis doctrina inerat vana caduca levis,
Fallendi studium quos cunctum lusit in aevum
Totaque vita fuit dedita criminibus,
Carmina distincto verborum ferre coturno
Ac nomen laudis quaerere per facinus;
Dumque per errores variis anfractibus irent,
Perfecere aliud nil nisi mortis opus,
A qua decepti, inferno tumulisque reposti
Fletibus assiduis talia facta luunt.
Muta mihi et sicco languebit lingua palato?
Falsaque qui damno, vera tacere queo?
Nam meliore via Christi celebrare trophea
Muneris intuitu spes bene fida monet,
Laus ut summa deo, veneratio debita sancto,
Exemplum populis sit quoque Christicolis,
Et mihi succrescat cumulato foenore merces,
Transferar et iusti huius ad astra prece.
Intemptata tamen prius isto scemate res est
. Et, quae non didici, conor amando loqui.
Ergo dei fidens bonitate et munere sancti
Flaminis aggredior inscius istud iter.
Quisquis erit, nostrum qui carmen rodere mavult,
Verme fero iustae roditur invidiae;
Et qui tam iusto cupit aggaudere labori,
Patre deo genitus fratris amator hic est.
Ergo euangelicum primo percurrere textum,
Illius et septem sacra sigilla iuvat;
Tunc melius sancti potero properare per actus,
Principium tale si pia menbra habeant.

FINIT PROHEMIUM HUIUS OPERIS.

BREVIARIUM PRIMI LIBELLI.

I. Humana Christi nativitas et quod hunc omnia elementa deum fore cognoverint exponitur. — II. Apostolorum electio, passio ac resurrectio et ad caelos Christi ascensio, spiritus quoque sancti emissio breviter indicatur. — III. Quibus in locis apostoli euangelium praedicaverint. — IV. Commemoratis apostolorum successoribus beatus Amandus subnectitur. — V. Editor operis confitens inscientiam sancti spiritus postulat gratiam. — VI. Patria parentesque beati commemorantur. — VII. Ubi sanctus cognatos relinquens Ogiam petiit. — VIII. Ubi serpentem validum prece et crucis vexillo fugavit. — IX. Responsio ad patrem. —

---

21 proh *V* 32 dampno *et sic semper B* 39 tamem *A* 42 flamminis *A* 44 *an* *luscae ? 45 At *A* 51 proemium *B* || VII. oiam *A V*

23 *Cf. Milo de elevatione S. Amandi (A. SS. Febr. I 892)* non insanientium more poetarum inanes et a veritate vacuas fingimus fabulas neque iuxta Mantuani vatis figmentum Aeneio exemplo de tumulo Polydori auri sacra fame necati hastilia cruenta extrahimus; *infra III* 21 en figmenta canunt lyrico sermone poetae; *vers. Vulfai* 30 sed supera falsum vera canendo virum (*Vergilium*).

X. Quod ad sepulcrum sancti Martini orans caput sibi totonderit. — XI. Qualiter Bitturicas petiit et de abstinentia et conversatione ipsius. — XII. Ubi Romam fidei ardore proficiscitur. — XIII. Ubi a custode de ecclesia pellitur. — XIV. Apparente Petro ammonetur ad Gallias redire. — XV. Reditus sancti refertur simulque libellus cum prece finitur. — FINIT BREVIARIUM.

LIBER PRIMUS SUSCEPTI OPERIS FELICITER INCIPIT.

I. Arbiter omnipotens, hominum rerumque creator
Errorum tenebris mundo pereunte misertus
Virginis intravit thalamum intactumque paravit
Hospitium sibimet, clausae quam nomine portae
Hiezechiel signat, quam nullus conditus intrat,
Ni solus, cui clausa patent habitacula, Christus.
Utque magis stupeas quodque est mirabile dictu,
Caelestis clausam penetravit ianua portam;
Unde Maria sui genitrix effecta parentis
Virginis antiquae delictum deluit Evae,
Protulit et mundo verum sine semine fructum.
Ergo ubi conspicuo processit honore redemptor
Et mundo effulsit Phoebo rutilantior ipso,
Pastores pecorum proni pressique pavore
Conspicuos cives carmen caeleste canentes
Audivere astris arrectis auribus, auctor
Ad terras rerum quod venerit et reparator,
Cuius in exortu caelesti gloria regno
In terrisque foret homini pax sancta volenti.
Astra poli sensere, suus quod conditor esset,
Ad cuius cunas stellam misere coruscam;
Huncque suum dominum pelagus cognoverat esse,
Se plantis cuius calcabile praebuit almis;
Sol quoque condoluit, cum fixum stipite vidit,
Flens famulus dominum furvo velatus amictu;
Terraque cognovit, quando est concussa tremore
Horribili fractis sanctorum rite sepulcris;
Infernusque pavens tremuit, cum claustra revulsa
Vidit conspicuo confractis lumine valvis.

II. Sed quia terrigenae regem super omnia necdum
Hunc fore credebant simulacra nefanda putantes
Pro dolor! esse deos, non amplius ista manere
Passus et antiquae nec damna vigere ruinae
Elegit quosdam, quos gratia sola beavit,
Per quos quadrifido mundi sub cardine gentes
Salvaret; quibus ostendit miracula magna
Defunctis vitam tribuens, dans lumina caecis.

X. sepulchrum (*et sic semper*) *V* totondit *B* XI. bituricas *VB* petiit] adiit *B* 10 aeuę *B* 16 arreptis *A*

4—6 *Cfr. Ezech.* 44, 2. 16 *Aen. I* 152, *II* 303 arrectis auribus. 18. 19 *Luc.* 2, 14. 27 *Sedul. carm. pasch. V* 268 infernae patuere viae ruptaeque fatiscunt | divisa conpage petrae, redivivа iacentum | corpora sanctorum fractis abiere sepulchris.

Venerat et quoniam supera de sede redemptor,
Ut proprio totum salvaret sanguine mundum,
Illusus, caesus, damnatus, despoliatus
Iudicio iniusto iudex iustissimus, index
Iustitiae, extremo crucifixus et inde sepultus
Multimodum superas spolium relevavit ad auras.
Inde polum penetrans iam dictis dona remisit
Discipulis promissa suis, quis spiritus ignis
Affuit in speciem sanctus dans munia linguae,
Qua possent mundo magnalia visa referre.

III. Hi quoque pervigili complentes iussa labore
Partitas sibi terrarum partes adierunt
Lumine conspicuo rutilantes more lucernae.
Praecelsi proceres Petrus Paulusque priores
Ardua Romuleae properant ad moenia Romae
Romanosque lavant melius quam gurgite Tibris
Atque ibi constituunt primi fundamen honoris.
Hinc petit Andreas properando virilis Achaiam
Ac nomen proprium patrando viriliter implet.
Hinc Iacobi geminis Iudaeam legibus ornant:
Prisca docent simili resonare tenore novellis.
Inde Asia accedit monitis conversa Iohannis,
Quam paradisiaco sitientem flumine potat.
Lampadis et Scithiae resplenduit ore Philippus
Atque ibi complevit, proprio quod nomine signat.
Matheus Aethiopas torrente ardore crematos
Ut Geon eximius sacrato deluit amne
Et facit in speciem lotos candere nivalem.
Indorum tenebras discussit Bartholomaeus
Fecit et egregia splendoris luce coruscos.
Parthos sollicitus cognato more beatis
Explorat Thomas digitis et vulnera narrat,
Quae domini vidit post mortem in corpore vivi.
Symon Persidem dulci comitatus Iuda,
Bellica quae fuerat, verbi mucrone subegit.
Aegyptum tetram melius quam Nilus inundans
Fruge euangelii complet quoque Marcus opima.
Semina sancta serens sanctus sermone superno
Vivifico mundat populos baptismate Lucas.
Hos quoque post missi doctores rite sequentes
Per mundum sparsi sparserunt verba salutis,
Actus prosaico quorum sermone notati
Et nunc usque manent et in omnia saecla manebunt.

---

46 Adfuit *V* munera (*cf. Iuvenc. II* 420) *A* 46 specie *B* 64 diluit *A* 67 choruscos *V* coruschos *B* 75 ferens *B* 78 sprarsi *A*

48—82 *Pleraque sumpta e Fortunato (carm. V* 2 *et VIII* 3) *et Pseudo-Melitone (e. g.* Philippus os lampadarum *Spicileg. Solesm. III* 306). 64 *Gen.* 2, 13.

Carmine quin etiam quorundam facta canuntur,
Versibus et brevibus numquam brevianda ligantur.
IV. De quorum numero confessor fulsit Amandus,
Ad cuius modo gesta manum calamumque novellum
Mittimus et nisu pergrandia tangimus arto
Inspirante deo, quia magna est portio laudis
Illius calamo varios replicare labores
Ac genus et patriam seu fortia scribere gesta
Ad laudem domini, haec cuius virtute peregit.
Quicquid enim canimus servorum in laude bonorum,
Respicit ad dominum, cuius hoc munere sumunt,
Cum bene quid produnt iustum et laudabile sancti
Mente, manu, lingua meditando, operando, loquendo:
Quo sine pulvis homo est, quo cum nil carius extat.
V. Nam quantus fuerit, cuius describitur actus,
Qualis in hoc virtus, pietas, devotio qualis,
Centenis nullus poterit depromere linguis,
Gutture millesono tonitrus si more boarit.
Quin minus haec gracili sermone referre valebo,
Qui rudis existens apicum primordia vix nunc
Addidici, doctrina et verbi flumine siccus.
Quid faciam? loquar aut taceam pia gesta patroni,
Haec quia non possum conpingere carmine digno?
Sed trepidum spes illa iuvat, fiducia firmat,
Quod sanctus mihimet poterit praebere loquendi
Vires, qui valuit mutis conferre loquelam
Sacratis precibus, cum spes hanc firma rogaret,
Cuius et in manibus speciosis regius infans,
Sermonem didicit quem numquam corporis usu,
Respondit modicumque fuit proferre Latina
Verba, sed Hebraicae deprompsit famine linguae
'Amen' dulce viri complens pia vota precantis.
Ergo, ut rite queam laudes ac gesta notare
Pontificis magni, divini postulo supplex
Flaminis auxilium, quod continet omnia complens
Astra, polum, pelagus, terras, quo cuncta reguntur,
Cum quo lingua valet, sine quo facundia muta est.
Si tua sunt, quae narro, deus, nunc oro: precanti
Elingui mihimet da linguae munus honestae.
VI. Sed prius arce genus rutila celebrabile cretum
Pangere gestit amor cursimque notare beatam
Progeniem iusti primoque referre priora,
Quatinus infixam radicem pagina servans,
Arboris eximiae demum praecelsa propago,
Ramorum et celsum tollatur ad astra cacumen.
Est regio antiquis Aquitania dicta colonis,
Bellipotens et frugiferax populosaque tellus.

85 arco *V* arcto *A* 90 Quidquid *A* 102 loquar an (*cf. Aen. III* 39) *B* 121 Pandere *V* Tangere *B* 123 Quatenus *corr. V* 124 daemum (*item similia*) *V*

Fertilior tamen et multum fecundior hinc est,
Quod talem fructum venerando protulit ortu.
Haec tibi, rite colis quem, Gallia, misit Amandum.
Nobilis huic genitor fuerat, qui iure Serenus
Est dictus, quoniam meruit generare serenum;
Egregia et genitrix est cuius, Amantia dicta.
Rem stupidus miror divino numine gestam,
Quod sibi conveniunt genitor, genitrix genitusque
Nominibus dignis donorum munera fantes:
Namque Serenus ovans, genitrix et Amantia pollens,
Non mirum est, generent si talem iure puellum,
Nomine qui sancti memoretur amoris Amandus.
O felix regio, quae talem promeruisti
Cernere, ferre virum, nutrire: hunc si tenuisses,
Non tantae quaterent te nunc hinc inde procellae.
Ergo, Serene pater, tali pro pignore salve.
Inclita mater, ave, quae claro germine flores.

VII. Qui puer a cunis primordia forte minora
Sumere detrectans signum dedit imperfectum
Se nil velle sequi: summam subvexit ad arcem
Iustitiae gressum crescens aetate beatus.
Immodico fervens cum Christi arderet amore,
Deseruit patriam sicut venerabilis Abram
Cognatosque suos linquens peregrina petivit.
Est locus Oceani distans a litore magni
Nempe quater denis, ut fertur, milibus aeque,
Insula quo praebet venientibus Ogia portum.
Quo veniens agnus lanis candentibus albus
Excipitur niveo grege congaudente benigne
Emicuitque brevi meritis in tempore summis.
Et quia scripturas curavit discere sacras,
Quis labor est primo, sed post pretiosa laboris
Praemia multiplici virtutum fruge replenda
Quaeque cibant animas mortali carne gravatas,
Sanctificant, curant, salvant vegetantque, perornant:
Non sancto desiderio protectio Christi
Defuit, ad summum sed vexit culmen honorum
Talia quaerentem, sitientem et amanter Amandum.

VIII. Hinc maiora sequens operum miracula dicam,
Qualia principio domini devotus amator
Proelia pertulerit vel quantos inde triumphos
Corporis ac mentis superato sustulit hoste.
Forte dies aderat, quaedam qua instabat agenda
Causa monasterii iam dicti quamque benignum
Eximii fratres puerum complere volentes
Iniungunt causas operis: quod protinus ille
Impiger exequitur cunctis servire paratus,

---

134 munere *B* 138 talem] saltem *corr. A* 143 pignere *B* 151 cognotosque *A* 152 littore *A* 159 preciosa (*et similia aliis locis*) *B* 165 sititientem *A* 174 ///equitur *A*

Subditus obsequio famulus celeranter in omni.
Sed dum forte minus loca sanctus cognita lustrat,
Obviat immanem horrendi corporis anguem
Saevum squamigerum dirum vastum truculentum.
Quem puer aspiciens pariterque horrore pavescens
Terretur stupet admiratur et anxius haeret
Attonitusque tremit: quo gressum verteret, angit.
Caelica sed domini mox huic ut gratia fulsit,
Corruit in faciem, terram quoque corpore pressit
Suppliciter stratus, sed mente ad sidera vectus
Hinc quoque vexillum, nostrae quo summa salutis
Consistit, valida obposuit virtute chelidro,
Iussit et ad notas illum remeare latebras.
Loetifer ast hydros signi virtute repulsus
Effugiens rediit notumque relapsus ad antrum
Ulterius hominum nusquam conparuit ulli
Ereptusque locus tanto iam dictus ab hoste est.
Fama est serpentes Marsos turbare suetos
Exigua sibimet vallum tellure parare,
Quod nequeat transire cohors numerosa nocentum.
Sed meliore via multum praestantius iste
Reppulit ignitos divino famine rictus
Serpentis sanctus prostratus in aggere terrae
Per vexilla crucis, digitis quae pinxit in arvis.
Hoc primum patravit opus, quod rite notatum
Linquimus; hoc aliis post narret sceda futuris.
Ergo humili voto te, pastor Amande, precamur,
Antiquum ut pellas anguem, qui corpora nostra
Non curans laniare animis magis optat acerba
Vulnifico nostris infundere dente venena
Flammivomus flammas et spirans igneus ignes;
Qui tibi, sancte pater, proprium transmisit alumnum
Serpens serpentem saevum; sed saeva serendo
Saevior advenit, cuius fuit ille minister,
In Centumcellensem urbem; quod tunc duce Christo
Ordine rite suo, cum illuc pervenero, pangam.
Nunc iter incoeptum gradior hydrumque relinquo.
Cresce, puer, virtute nova: sic ibis ad astra.

IX. In puerilis adhuc aetatis flore beatus
Succrescens, studiis virtutum intentus honestis
Corpore erat iuvenis, senior sed canus in actu.
Quem genitor verbis conpellans pluribus ambit,
Admonet hortatur blanditur postulat orat,
Sacra monasterii quo linquens atria sancti
Vertat iter retro et mundana negotia curet,
Quis labor omnis inest, quo sunt sine cuncta quiete:
Fraus furor invidiae violentia cura tumultus
In varios casus hominum mergentia mentes.

198 crucis vexilla *Sedul. I* 337. 212 *Cfr. ad rescriptum Haimini supra pag.* 567, 17.

Verba patris sanctus ceu spicula toxica temnens
Reicit obposito fidei munimine fretus.
Anxius at genitor casso conamine fusa
Cernens verba, minis hunc vincere talibus instans,
Ni coeptum, testatur, opus habitumque relinquat
Mundanosque citus sese convertat ad actus,
Iam cunctis rebus, fuerant quae more paterno
Praebendae, heredem faceret contemtus inanem.
Sed sacer ista puer verborum verbera spernens
Doctrina plenus divini flaminis inquit:
'Nil, pater, esse mihi proprium tam, care, memento
Quam summo servire deo, dum vixero, quique
Pars mea cum fuerit, pars illius esse merebor.
Sacra euangelici memoratur voce libelli
Promisisse deum quaerenti talia Petro:
"Omnibus abiectis vos qui mea iussa sequentes
Cuncta caducorum sprevistis culmina honorum,
Cum deus aethereum mundi sub fine tribunal
Sederit et rapidus cunctum subverterit orbem
Exurens ignis terras pontumque polumque,
Tunc vos bissenis residere in sedibus atque
Iudicio faciet recto disquirere mundum.
Omnis enim, quicumque meo conductus amore
Postponit mundum seu nomina cara parentum,
Centuplicata gerens capiet vitamque perennem".
Inde, Serene pater, non auribus audio surdis,
Egregii memorat quae pagina sancta libelli.
Psalmicani tibimet breviter quoque dicta citantur
Illa, quibus recinit: "dominus mea portio solus".
Lex inscripta iubet tabulis de rupe recisis
Levitas inter fratres non tollere partem.
Unde, pater, curo proprium nil nilque requiro
Terrenum, candens ac fulvum sperno metallum:
Terrigenae teneant terras tellure tenendi.
Quid mihi cum mundo, genitor, cui mortuus exto?
Alma Maria deum velatum tegmine carnis
In cunis texit vilis velamine panni:
Et vestis mihimet fulvo texenda metallo est?
Vulpibus est fovea caelique volucribus umbra
Ac dominus noster, qui totum condidit orbem,
Non habet exiguum tectum, quo membra reclinet:
Et mihi magna domus vario pingenda colore est?
Namque bonus non miles hic est, qui iure colendum
Deserit aereo solum sub tegmine regem

---

223 tempnens (*et similia saepius*) *B* 224 Reiicit (*sic semper A*) *A V* opposito (*et saepius*) *B* 247 perhennem (*quod idem praebet ceteris locis B et aliquotiens V*) *B* 254 Inde *A* 262 Et d. *A*

237 *Matth.* 19, 27. 247 *Iuvenc. III* 547. 251 *Ps.* 118, 57. 253 *Numer.* 18, 20. 261 *Matth.* 8, 20.

Et petit ipse fugax umbrosa cacumina tecti:
Urbibus ille decem praeferri nempe nequibit,
Palmae et, quae fuerit capulo sine, palma neganda est.
Rex meus est Christus regnumque illius Olympus;
Ast ego sum miles numquam vincendus Amandus,
Militiam si servo meam; complector at illum,
Illum et iure sequor, cuius cognomine dicor.
Invideas mihi ne tantos, pater, obsecro, honores:
Est mihi Christus amor vestis possessio victus
Et domus et patria et locus et substantia et aurum;
Viventi mihi vita est ac lucrum morienti,
Quo sine nil cupio et quo cum bona cuncta tenebo'.
Haec patri attonito referebat verba beatus
More apis excerpens scripturae germine flores.
Plurima praeteriens studio brevitatis omitto
Adque ea, quae restant, veloci famine curro.

X. Hinc desiderio, quo coeperat, amplius aucto
Sanctus Amandus adit Toronos sacrumque sepulcrum
Martini petit ac sacris prostratus in arvis,
Affectu cordis lacrimans et pectus honestum
Verberibus tundens, suspiria longa trahendo
Has orans imo fundebat pectore voces:
'O Martine sacer, quem caelica regna retentant,
Obsecro, ut obtineas apud illum, cuius haberis,
Cuius et obsequiis iugiter copulatus adhaeres,
Ne repetam natale solum notosque relictos;
Dirigat usque meos gressus in calle salubri,
Ut coeptum peragam cursum peregrinus et exul
Fine tenus, carnis donec de carcere solvar'.
Haec sanctus tumulo sacrati corporis haerens
Promebat multis, vario et sermone, querelis,
Ex oculis lacrimas fundens, ex ore loquelas.
Inde comam capitis ferro decidit ibidem
Mutavitque habitum cleri sortitus honorem.
Atque velut miles terreni regis in aula
Cingula suscipiens pondus perferre laboris
Ferrata sub veste solet, sic belliger iste,
Ingrueret quodcumque malum, laturus in orbe
Sustulit arma crucis victricia signifer almus,
Corporis et mentis contra hostes fortis utrimque,
Multimodos revehens hinc atque hinc rite triumphos.
Atque ut apes prudens intendens floribus almis
Exquirit violam, quae terrae proxima surgit,
Sed tamen egregium praebet tinguendo colorem
Purpureosque facit reges populisque tremendos:

---

269 Palma *VB* 282 Atque *B* 284 turonos *B* 285 sanctis *A* 290 optineas *B* 293 utque *B* 295 corpore *A* 310 tingendo (*sic semper*) *B*

268 *Luc.* 19, 17. 269 *2 Timoth.* 2, 5. 277 *Philipp.* 1, 21.

Sic humilem tenuit mentem, quae proxima terrae est,
Sed tamen angelicum praestat servata decorem,
Comit et eximium caelesti in sede senatum.
Qua sacer hic cordis penitralia pulchrius ornans
Lilia lustrabat hinc, inde rosaria adibat.
Alternis vicibus per singula castra recurrens,
Quicquid conspicuo virtutum flore vigere
Vidit, hoc proprios sitienter traxit ad actus.
XI. Dumque iter incoeptum felici tramite adiret,
Urbis Bitturicae quo pollent moenia, venit.
In qua conspicuo vernabat pontificatu
Sanctus sanctificans plebem Austrigisilus illam,
Magnificus praesul rebusque insignis honestis.
Cuius et obsequiis sociatus in aede vigebat
Sulpicius, qui tunc erat archidiaconus et post
Extitit inlustris meritis atque ordine praesul.
Noverat hic digitis ignes placare furentes
Ingentesque crucis signo conpescere flammas.
Qui sancti pariter sanctum clementer Amandum
Suscepere pie pietatis amore calentes,
Urbis et in muro cellam struxere benigne.
In qua vir domini conclusus propter amorem
Perpetuae vitae degebat ad ardua tendens
Cilicio tectus, cineris conspersus acervo.
Quales tunc poteras, urbs, formidare ruinas,
Tam validis fueras quae sustentata columnis?
Qualia bellantum quibas tunc tela pavere,
Quae praefulgebas tantis defensa patronis?
— Quid fecere alii, tu scis —: nam belliger iste
Fortis in arce tua quindenis constitit annis
Firmavitque tuos eius constantia muros.
At si conspicuis renites confisa magistris,
Non nos praecellis: micat hic speciosus Amandus
Candidior Phoebo, cuncto rutilantior auro.
Qui in te conclusus pepulit vini ore liquorem
Non somno satur et non ullis vitae alimentis:
Hordea qui seram sumebat pabula in escam,
Post sitiens tenuis hauribat pocula limphae
Caelestemque solo vitam constanter agebat
Et corpus crucians animam pascebat honestis
Virtutum dapibus Christi praecepta secutus,
Pro quo multiplices terra pelagoque labores
Anxius afflictus contemtus egenus anhelus,
Suppliciter Christo laudum praeconia reddens,
Pertulit atque ideo fruitur modo luce perenni.
Qui saepe esuriit, modo caeli pane cibatur;

---

313 tam *A* 315 pulcrius *corr. A* 321 biturícae *B* 326 archydiaconus *B* 344 praecelsis *corr. B* 351 At *A*

328. 329 *Cfr. vit. Sulpitii* 5 *(A. SS. Ian. II* 534).

Crebrius et sitiens potatur fonte superno;
Ac quondam nudus nunc agni est vellere tectus;
Qui olim pauper erat, modo regni munere dives,
Quo memor ut nostri sit, corpore corde precamur.

XII. Et quia sanctus amor semper succrescere novit
Multiplicesque suo cumulare labore maniplos,
Vir domini semper magno flagrabat amore,
Corpore lassatus, sed mentis robore fortis
Quatinus ad celsae properaret moenia Romae,
Quo Petrus Paulusque solo caeloque venusti
Celsa sepulcra tenent mundo splendentia toto,
Ecclesiae proceres fulgentes more lucernae,
Quorum lingua valet reserare et claudere caelum.
Ergo iter aggressus quodam comitante ministro
Squalida perlustrans et devia quaeque peragrans
Romam pervenit miro flammatus amore.
Aspice nunc, quales socios curavit habere:
Petrum, sidereae est cui clavis tradita portae,
Ac Paulum, mundi egregium per saecla magistrum.
O si describi possent incendia amoris,
Littera vel sciret cordis suspiria fari:
Dicere conarer, quantum dilexerit illos,
Postibus in quorum sacratis oscula fixit.
Quid credas faceret, si illos in carne videret?
Omnibus interea per singula templa diebus
Currebat plures socians sibi honore sodales;
Principis et Petri sed in aedem intrabat anhelus,
Cum sol lucifluos pelago tinguebat amictus.

XIII. His ita decursis, superant quae gesta, canamus,
Ad finem tendit quia iam pars prima libelli.
Fervens ergo fide dum sacras circuit aedes,
Intravit Petri perpulchram cernuus aulam.
Sol quoque flammicomus iam magnum innare parabat
Oceanum et rutilo fulgebat Hesperus ortu.
Interea templi custodum cura repellit
Commixtam plebem foribusque patentia claudit.
Subsistensque parum vir sanctus in aede remansit
In precibus noctem cupiens deducere totam;
Sed custos templi dum sacra altaria lustrat,
Pervigilem invenit psalmis precibusque beatum.
Felle igitur motus mitem violentius urgens
Caedibus insanis patienter cuncta ferentem
Expulit atque ipsum portis emisit apertis.
Nec valuit turbare virum dulcedine plenum
Ira tumens hominis, tulit haec quia cuncta libenter.

XIV. Interea ante fores templi residente beato
Mentis in excessu et solium penitrante supernum

---

361 Qui *B* 387 pras *A* 395 cupiens noctem (*sed transpositionis signis additis*) *A* 404 penetrante (*sic semper*) *B*

Ianitor aethereae mox Petrus apostolus aulae
Veste alacris, vultu dulcis, sermone suavis
Apparens blandis solatur vocibus illum
Hortaturque suum verbis pietatis amicum,
Ut repedaret iter, quo venerat, inde revertens,
Gallorum et populis aeternae semina vitae
Divinis sereret verbis coleretque, rigaret
Conversosque sacri baptismatis amne lavaret,
Quatinus ad dominum tanti mercede laboris
Frugifer accedens messis portando maniplos
Sumeret uberius caelestis praemia regni.

XV. Sanctus apostolico tandem sermone potitus
Insignem Romam praecelso culmine linquens
Deseruit Gallosque adiit medicina salubris.
Quae spes, oro, fuit diverso limite clausas
Gentes tam saevas unum indubitanter adire,
Vacceios Gallos Sclavos penitrare feroces?
In tanta fecit quid messe operarius unus,
Apparet: veniens etenim per multa laborum
Argumenta malum tulit impia quaeque revellens.
Sic populos euangelicos aptavit ad usus
Verbaque sancta serens in caelos lucra revexit,
Quo fruitur meritis aeterna in saecula donis.
Cuius gesta canens, quanquam sermone poema
Conficiam stolidum, volui hoc complere libello,
Quae iuvenilis adhuc sed non iuveniliter egit,
Aptum opus, ut iuvenis iuvenem laudare mererer,
Criminis inmensi si magna mole carerem.
Qua tamen a domino me fidens posse levari
Pontificis huius precibus meritisque beatis,
Qui sibi non solum, sed cuncto profuit orbi,
Obsecro posco precor iugibusque expostulo votis
Suppliciter supplex, minimum ut miseratus alumnum
Ignoscendo meae disrumpat vincula culpae
Christus, cunctipotens hominum reparator et auctor,
Aurea, posco, prius propriae quam taenia vitae
Effluat et funis fugiendo argenteus urnam
Confringat carnis, cunctum effundatque liquorem.
Iustitiam metuo, ad pietatem curro benignam:
Sit pius, oro, mihi et iustis iustissimus extet.
Ergo boni meritam teneant in munere palmam,
At mihimet flammas satis est transisse gehennae
Et veniam multo pro crimine promeruisse.
Nigra per albentes diffundens semina campos
Lassus fasce gravi completa luce diei
Spargere iam cesso factoque hic fine repauso.

FINIT LIBER PRIMUS . HABET VERSUS CCCCL.

---

410 semna *A* 433 lavari *A* 446 Et *A* habet ũ. CCCC. L. *B*] *om. V*

440—442 *Cfr. Heirici vita S. Germ. VI* 636—653. 448 nigra semina *i. atramentum.*

INCIPIT BREVIARIUM SECUNDI LIBRI.

I. Viribus suis scriptor posthabitis pro communi utilitate dicit se suos divisisse libellos et nenias poetarum abhominatus libelli sui cursum et spiritus sancti humili prece deposcit ingressum. — II. Ubi sanctus episcopus ordinatur. — III. Editor huius operis Galliam alloquitur. — IV. De pueris emptis et instructione eorum. — V. Scriptor huius metri sanctum cum laude affatur. — VI. Puerum sanctus a diabolo in Centumcellis salvavit. — VII. Auctor operis istius increpato hoste ad gesta narranda revertitur. — VIII. De tempestate in pelago orta sancto navigante. — IX. Apostolus Petrus in navi eum alloquens pelagus commotum sedat. — X. Gandavum pagum sanctus pergit. — XI. Devicto per ipsum erroris principe populus credit. — XII. Mentio beati Bavonis, discipuli illius, debita cum laude agitur. — XIII. Scriptor huius libri plebem regionis illius exhortans se etiam commendat. — FINIT BREVIARIUM.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. Viribus exiguis canerem cum, lector, Amandi
Inclita gesta pii, communi hinc inde labori
Prospiciens pariter scribentis sive legentis
Quattuor in parvis partiri rite libellis
Haec eadem volui, capias quo fine levamen
Et brevies tantum partito fasce laborem.
Lector enim prudens, poteris cognoscere, si vis,
Quod non grammatica decurrit lege loquela,
Rustica sed stolidis texuntur carmina verbis.
Non opus hoc orbis recitandum mitto magistris,
Quorum sermo fluit torrentis gurgitis instar,
Grandia qui oritoni ructantes verba Maronis
Vocis olorinae concentum gutture promunt
Quique suum carmen, dum Musis suavibus aequant,
Ostendunt vanum nullisque aptabile lucris.
Non his ergo meos versus transmitto citandos,
Sed monachis, quorum requiescit in ore salubris
Thesaurus, psalmi et hymni seu cantica, Christo
Quae per templa canunt tonitrus velut ore boantes.
Petrus piscator populos piscando poetis
Praefertur cunctis, qui sancto flamine plenus
Vertit multiplices uno sermone catervas.
Quo facto docuit, quod non sermone paretur,
Regnum sed domini solidum virtute levetur.
I liber, i carmen: tu, spiritus alme, venito,
Pectoris et nostri penitralia pleniter intra,
Digno quo valeam, quae sunt pangenda, relatu
Scribere gesta viri mundum spargenda per omnem.

II. Romana interea vir sanctus ab urbe revertens
Gallorum ad populos directus caelitus ivit.
Et ceu sub modio rutilans contecta lucerna
Humanis nullum profectum visibus infert,
In base sed posita splendoris luce tenebras
Decutit intrantique domum suá munera pandit:
Sic sic hic Christi resplendens lumine Amandus,
Illius ut cunctis fulgeret in aede ministris

|| libri *om. B* I. humili *om. B* || liber *om. B* 18 himni (*et sic fere*) *V*

Exueretque homines tetra caligine multos,
Gentibus et variis divini semina verbi
Spargeret et meteret Christo auxiliante maniplos,
Principis imperiis compulsus pontificumque
Devictus monitis est factus episcopus et, quod
Iam pridem meritis fuerat, tunc ordine sumpsit.
Nec sedem propriam suscepit pontificalem,
Sed veluti Paulus populos adgressus eoos,
Sic iste occiduas partes transmissus adivit,
Gentibus et sparsis sparsit pia verba salutis.

III. Gallia, gaude alacris: praeclarus apostolus iste est
Donatus tibimet: dominus cum mitteret orbi
Lumina doctorum ceu stellas luce nitentes,
Tunc tibi sorte pia nostrum servavit Amandum.
Quo radiata pio virtutum lumine facta es
Splendida terrigenis quadro sub climate clausis;
Per quem celsitrono credens in saecula regi
Semper eris sanctum, speciosum et nobile regnum;
Qui te, conspicuus cum iudex venerit orbis,
Undique collectam, ceu pastor ovilia, ducet
Ad Christi solium, veniens quo munera magni
Percipies domini tanto praeeunte patrono,
Audiet et summi vocem pastoris Amandus:
'Euge, serve bone, aeternis laetare tropheis
Et, mihi qui quondam fueras in pauca fidelis,
Multa super statuam te: ad gaudia nostra perintra'.
Tuncque tibi caro populo rex talia dicet:
'Grex benedicte, veni, regnum iam sume paratum,
Quaesitum sacris meritis ab origine mundi'.
Gallia, tanta tui sumes tunc munera regis,
Actus magnifici si nunc imiteris Amandi,
Qui, docuit quodcumque, suo complevit et actu;
Qui iugiter sacrum servans pietatis amorem,
Et, qua plenus erat, vultum bonitate serenans
Visu prodebat, quae pectoris arca teneret,
Sobrius et sensu renitebat corpore castus
Largaque pauperibus praebebat dona benignus.
Hinc atque hinc medium dum se conformat ad omnes,
Divitibus dives, pauper sociatur egenis.
Qui vigil et vigilans orandi deditus omni
Tempore parcus erat sermone animoque suavis.

IV. Qui sanctus hominum dissolvens rite catenas,
Si pueros aliquos captivos forte videret
Aut mare transvectos venales cernere quiret,

---

37 Exuretque *A* 38 *et* 39 *om. B* 44 aggressus *B* 53 celsithrono *B* 54 spetiosam *A* 63 Hincque *A* 68 quodqumque *A* 72 corpore *Neff*] pectore *AVB* (*Baudemund. II* 9 sensu sobrius, corpore castus atque inter divites et pauperes medius .. vigiliis atque orationibus deditus) 76 orando *Harster*

Mox pretio cupidus redimebat mercifer amplo
Vinctorum duras rumpens miserendo catenas.
Nec tamen hic studio coeptoque labore carebat,
Sed quorum vinclis solvebat corpora, cunctis
Internas cordis tenebras radiando fugabat
Pellebatque omnes sacro baptismate sordes
Ac vasis nitidis sanctum infundendo liquorem
Dulcia rorigeris indebat mella canistris
Perfundens natos doctrinae fonte novellos.
Hosque per ecclesias linquebat sanctus amicas,
Libertate tamen praemissa more salubri.
Ex quibus eximias plures tenuere cathedras:
Pontifices sanctosque viros actu ore venustos
Abbatesque almos audivimus auribus auctos:
Talia dona omnem spargebat sanctus in orbem.

V. O memorande pater, qua te nunc laude celebrem,
Nescio tantarum mirans insignia rerum:
Largiris pretium, captorum vincula solvis,
Ad caelumque hac arte facis conscendere nummos,
Et pretium et captos pretio super astra reponis
Et vacuas saccum, dum comples munere caelum.
Et, quia mercator fueras, talem esse decebat:
Nam tibi dona viri si mittunt relligiosi,
Non maiora paras servandis claustra cruminis.
Nec tibi, sancte pater, solum servire supernis
Obsequiis satis est gentesque hinc inde vocatas
Collegisse sacro vivoque et fonte novasse
Nec spatiosa tuum iam Francia complet amorem,
Angusta et tibi terrarum venatio facta est:
Quin pelago allatos ac vasta per aequora vectos
Colligis, et pretii cupidus non tardat avarus
Te, celebrande pater, neque carus venditor ullus.
Ille capit regis signatam nomine dragmam,
Dragmam tuque refers, quam Christi nomine signes.
Venditor ille suam lucra ad terrena reportat,
Emptor tuque tuam lucra ad caelestia servas.
Ille suam perdit vel clausis abdit in arcis:
Tuque tuam regi Christo servando coronam
Egregiam fabricas celsoque in vertice ponis
Crudelesque lupos mites convertis in agnos,
In caulisque iubes sacris astare melodos,
Praedonesque feros, quibus olim vita rapinae
In studio fuerat, dulces sine felle columbas
Efficis, ut propria expendant, qui aliena vorabant.

VI. Te neque praetereo, urbs, sed carmine visito nostro,
A centum cellis tali cognomine dicta,

---

103 religiosi *V* 106 hin *corr. A* 110 allatas *A* 126 Accentum *V*

123 *Cfr. Isid. Orig. VII* 3, 22.

Quae pelagi solita es discrimina saepe levare
Et nautas reparas et lassos erigis artus.
Nec te praeteriit, dum sanctus ab urbe secundo
Digreditur Roma: navi progressus ab illa
Ad te pervenit solitos laturus agones.
Atque ibi more suo tenebris cum noctis opacae
Oraret solus — iam, credo, advertis Iesu
Exemplo similem famulum portasse laborem —,
Nox horrorifera et tetra caligine noctis
Tetrior advenit domini fulgore lucernam
Splendentem fumo cupiens fuscare nocivo.
Et quanquam solita semper feritate rebellet
Et cupiat laqueos reparare scelestus iniquos,
Tunc tamen egregium non ausus tangere Amandum est.
Forte memor fuerat, quod quondam miserit hydrum
Ad puerum celerique fuga conspexerit illum
Aligeris pedibus tremulum repedare retrorsum,
Cum digitis geminis traheret ceu spicula sanctus
Signum forte crucis cunctis penitrabile muris.
Ergo unum ex famulis temerarius arripit hostis
Et trahit ad pelagus; quaeris 'cur?': mergat ut illum.
Ac lupus ut saevus, niveo cum de grege raptam
Lanigeram pecudem trahit atra fauce vorandam,
Non secus hic raptor, dum praedae arderet amore,
Ferret et abreptam saevae ad discrimina mortis.
Ille dabat puer hac repetitam voce loquelam:
'Christe, iuva me, Christe, iuva'; mox ille protervus,
'Qualis Christus?' ait; nec verbum reddere victus
Audebat iuvenis, donec bellator Amandus
Se praesente fera non passus fauce vorari
Discipulum pelagique undis submergier atris
Corripit arma, capit pharetram iactatque sagittam
Salvificam puero, Satanae sed rite superbo
Vulnificam, victor vi vincens verbere verbi:
'Fili, qui traheris, dic hosti,' dixit Amandus
'Filius ipse dei est vivi Christus crucifixus'.
Quem sonitum summo extimuit horrore pavescens
Hostis iners nec stare loco praesumpsit in illo,
Sed vagus in vacuas fugiens evanuit auras
Et praeda incolumis pulso procul hoste remansit:
Belliger insignis sic sanctus in orbe triumphat.

VII. Hostis iners maledicte ferox crudelis inique,
Cuius nunc nomen solita feritate rebellans
Despicis, is quondam tulerat tibi, saeve tyranne,
Imperium mundi, quod captum fraude tenebas.
Nec locus est caelo, tibimet quoque terra negatur:
Tartara sola patent; intranti limina aperta
Quae fuerant, nunc clausa manent exire volenti.

---

141 hidrum *A*: y *in* hydrus olympus tyrannus *plerumque servat B, rarius AVK*

Quo tu flammivomi sine fine ardore camini
Horrore in piceo vinclis religatus acerbis
Ureris 'vae vae'que gemens plorando sonabis.
Et si nunc aliquos deceptor callidus auges
Consociasque ferae torrendos ignibus ollae:
Quot crescis lucris, tantas tibi crescere poenas
Scito, tibi plus noxie, ter maledicte vorator.
Ille locus tibi condignus, sunt praemia digna haec;
Haec sibi regna parant, qui non tibi fortiter obstant.
Et quanquam iugibus tecum contendere bellis
Debitor existat, qui caelum scandere curat,
Ne tamen hoc nostro inlaudatus carmine abires,
Condignas tibimet prompsi carbone Camenas:
Et merito, quia carbo manes per saecla perustus.
Effuge regna parata petens ab origine mundi.
Hactenus ergo, pater, communi ingessimus hosti
Probra alapas risus iras maledicta cachinnos,
Ac sputa, non versus dedimus; nunc quaesumus omnes:
Ut quondam pueri protector, ubique tuorum
Servorum sic sis semper salvatio salvans.
Pastor noster ades: grex devotissimus iste est;
Protege, fer curam, custodi, dilige, serva
Nos de dente lupi, prisci de fauce chelidri.
Et quia te fretum domini virtute nequivit
Vincere terrere prosternere habere vorare,
Eripe, pastor, oves, quas in praesepe verendo
Pascis, ab insidiis, qui caulas circuit istas,
Ne quondam per te victor vincaris ab illo
In nobis, si nos inbelles devoret hostis.

VIII. Navigio quondam medium sulcando per aequor
Ibas, o benedicte pater, divina monendo
Verba dabas nautis et semina sancta serebas
Per mare fluctivagum neque tunc operando vacabas
Esse imitanda tui credens exempla magistri,
Qui quondam residens turbas de puppe docebat.
Talibus intento gestis, velut acta loquuntur,
Apparens piscis nautarum visibus ingens
Laetitiam stupidis infudit mentibus amplam,
Retibus et iactis fluidam cepere rapinam.
Quis piscis, pater alme, tuos non iret ad usus?:
Cetus forte prior gaudens praecurreret omnis,
Obsequium praebere suum si crederet aptum;
Felix ille foret maculis conclusus in amplis.
Gaudet nauta vorax, sibi sit quod praeda reperta,
Exultatque, tuam piscis quia venit in escam;
Laetantur remi, depromit gaudia rete:
Nullus non alacer, quia nullus parte carebat.

---

192 quesimus *V* 215 *Coetus *AVB* procurreret *B*

207 Post mare fluctivagum *Fortun. vit. Mart. IV* 1.

Lividus ast hostis non passus, ut illa manerent
Laetitiae pia vota viris, turbare tridenti
Aggreditur pelagus fundoque revolvit ab imo.
Tempestas inopina ruit magnusque tumultus
Ingruit, assurgunt undae quatiturque carina.
Nauta volat sursum, fluctu portatur ad astra,
Inde profunda petit bibulasque resulcat harenas.
Gaudia tristitia mutant loetoque propinqui
Omnia dispergunt, iactant aplustria navis,
Corpora nituntur saltem subducere morti.
Servatum sancto sed hoc pro munere donum est,
Illius ut virtus meritumque nitesceret amplum.
Et quanquam validis turbentur molibus omnes
Ac proreta suis et quassae impendere cumbae
Auxilium nequeat, non perdunt funditus omne
Consilium, sanctum sed enim celeranter Amandum
Unanimes adeunt et opem sibi ferre precantur.
Famine qui dulci pavidos animare suetus
Solatur nautas promittens experiendum
Clementem dominum, pellendum pace periclum.
Lassati tandem somno sternuntur inerti,
Ipse etiam iustus residens in puppe quiescit.

IX. Ne tamen inmensis submersus in aequoris undis
Forte minor meritis carusque lateret in astris,
Inclitus aethereae mox Petrus claviger aulae
Se sine non passus fluctus portarier illos
In puppi recubum fraterna voce salutans
Affuit in tanto securior inde periclo,
Naufragio simili quod tactus, ita orsus amico:
'Frater Amande, tuo regi per saecula care,
Ne timeas, quia turpe tibi est timuisse timore.
Nam quanquam tumidi tollantur ad aethera fluctus,
Non te submergent nec nunc, mihi crede, peribis
Tu neque nauta tuus, qui praesens navigat aequor;
Dextera sed, quondam quae me, ne mergerer undis,
Eripuit, te nunc isto discrimine salvat.'
Mox quoque ventus abit, tempestas pellitur omnis
Placaturque salum cito missa pace per aequor
Laetaque tunc redeunt, cum nox tenebrosa recedit.
Incolumes udas nautae celeranter harenas
Impressere suis plantis; celeuma canentes
Voce deo plaudunt famulique in laudibus almi
Magnificant illum, quo praecipiente procellae
Cesserunt validae, pontus stetit, unda quievit.
Quos si caerulei perterruit unda profundi,
Sorbuit ex illis quenquam non fauce voraci.

---

229 Grandia *corr. B* 230 aplaustria *corr. A* 235 proretra *A* cymbae *V* cimbae *B* 237 sed enim sanctum *A* 247 ullos *A* 250 tractus *corr. A* 254 nec non *V* 259 solum *A*

X. Inde salutiferis dum sanctus gressibus iret,
Spargebat verbum populis et sancta docebat
Gentibus insinuans aeterni praemia regni,
Christicolis turmis quae dona parentur in astris
Atque malis poenae quae conserventur in antris.
Sicque plagas alacer discurrens ibat in omnes,
Sedulus ut quaestus animarum ferret Olympo,
Haec sua lucra putans, has secum ducere curans.
Ergo avidus horum dum circuit arva beatus,
Gandavum pagum, quem Scald praeterfluit amnis,
Audivit vinclis hoste innectente teneri
Criminis et nimia peccati mole gravari
Nec lumen verum, quod mundum fulsit in omnem,
Caecatos tenebris quivisse agnoscere priscis.
Robore de nemorum flammantibus apta caminis
Idola compta manu artificum et simulacra colebant
Supplicibus votis divini nomine honoris.
Heu! pudor est coluisse deos, quos flamma crematos
In prunas mutare valet cineresque perustos,
Arboris et rigidis ramis flexisse verenter
Colla superba deo, hosti substrata maligno.
Nullus enim hanc terram fidei sulcavit aratro;
Nullus in hac iecit divini semina verbi:
Namque ferox regio et terra infecunda removit
Pontifices cunctos nec quisquam est ausus adire
Silvicolas apros, saevas feritate cohortes:
Sed labor iste gravis nostro servatus Amando est.
Quaerens ergo modum, quo tantos tollere posset
Hostis ab insidiis populos saevoque tyranno
Qualiter excuteret praedam spoliumque referret,
Dantem iura gregi Noviomi ex urbe regendo
Aicharium petiit, quo cernuus iret in aulam
Regis (tunc etenim validis tractabat habenis
Francorum regnum Dagobertus rector opimum),
Illius et iussu sibimet mandata referret,
Quatinus, in sacro qui se non fonte lavare
Ex illis vellet, conpulsus delueretur.
Dante deo citius sua vota meretur Amandus:
Gandavum properat fretus virtute superna.

XI. Qualibus ergo queam scriptis monstrare labores,
Quos ibi, dum verbum turbis crudelibus infert,
Pertulit inmersus fluviorum crebrius undis?
Nec tamen, ut coeptis umquam desisteret ille,
Compelli potuit populoque furente fugari
Vulnera non curans nec verbera ferre recusans,
Donec aetherea depulsis luce tenebris
Vivifico gentem vice versa in fonte lavaret.

---

291 Iamque *A* 298 *hinc incipit K* 299 Aycharium *B* Richarium *A* 303 Quatenus *K* lauaret *A* 304 dilueretur *AK* 313 aetheria *K*

Nam si sanctus ovans correptis fortiter armis
Expetiit hostem saevum fortemque tyrannum
Iam dicto in castro, quo tunc caput arcis habebat,
Quo pulsus cunctis Gallorum finibus olim
A ducibus Iesu variis multisque tropheis
Venerat, ut muris, fluviis sic undique septus:
Non tamen ille sua fraudatus funditus arte est.
Innumeris etenim lectis hinc inde maniplis
Principibusque quater geminis comitatus et ipse
Extulit arma foras laevamque cruore madentem
Ostentans cecinit saevus fera classica cunctis
Viribus et pugnam victus vincendus adivit
Promptus ad omne malum bellanti cominus atrox.
Exiit hinc bellis manifestis obvius hostis,
Inde dolis variis et mille coloribus anguis.
Confusus tremulus lassus devictus anhelus
Obstitit absconsis per terga reflexa venenis
Insidiis sua bella gerens, quo forte latenter
Subripiens loetum per spicula caeca pararet.
Quid maiora loquar? substratis undique bellis,
Hostibus et tantis Christo moderante subactis
Victor Amandus agens captivum nobilis agmen
Exiit et Satanae pereunte tyrannide plebem
Deluit aeterno melius baptismate quam Scald
Flumine suppletus laeva de parte meanti.
Et ne forte iterum redivivus surgeret hostis,
Cerberus utque trifaux fervens ardore vorandi
Contra Christicolas caput exitiale levaret,
Lorica fidei vestitos, spe galeatos
Imbuit instruxit firmavit consolidavit,
Urbem constituit turresque erexit opimas,
Praescius et sacra in medio vexilla paravit:
Non ignes flantem patula de fauce draconem,
Sed crucis inpressit digitis in fronte figuram;
Proque tubae sonitu signorum copia facta est,
Rex ubi Christus habet servos sanctosque fideles.

XII. Haec quoque castra suo post commendavit amico
Festinans alias ad partes belliger ire,
Fortis uti populis ductor non deforet illis:
Bavo beate dei, te praesens pagina signat.
A duce, tu, domini quondam conductus Amando
Sprevisti mundum, calcasti labile saeclum.
Sumens arma crucis propero pede bella petisti
Ac multum spolium truculento ab hoste tulisti.
Inter quae praedam, quam gaudens abstulit atque
In regno proprio cupiit, si forte fuisset

---

318 olim] exul *A* 323 Principibus quater *A* 327 Prumptus *K* bellandi *V* 331 Abstitit abconsis *A* 334 substractis *V* 337 Exuit *A* 338 Diluit *AK* 339 flumine] *in marg.* legia *KB* 342 cristicolas *V* 352 ire] iste *A* 358 splolium *A* 360 cupit *A*

Possibile, ignifluis concludere carceris antris,
Sanctas, tu, lacrimas fundens, pia vota precesque,
Belligerando boans bellis, benedicte, beatis
Salvasti et regi summo tua dona dedisti.
Quod loquor, agnoscis, quoniam tua gesta canuntur:
Scilicet ille hostis cum telum missile vibrans
Impositum plaustro iecit, prostravit et unum
Ex famulis canibusque feris venatio facta est;
Sed tamen incassum sua tunc temptamina fudit;
Tramite nam reduci quia post orando reductum
A mortis tenebris revocasti in luce bubulcum,
Multimodis aliis cum sanctis artibus usus
Hoc uno didicit vincendum te fore numquam.
O quam magnificus fuerat tibi, sancte, magister,
Qualibus ac signis praeceptor fulsit Amandus
Ille tuus, quae te talem fecere ministrum.
Namque tuis gestis doctorem cernimus almum
Egregium pulchrum mirandum glorificandum.
Est mihi dulce tuae textum percurrere vitae,
Sed retrahit complenda meum modulatio gressum.
Ne tamen hi versus tibi sint sine foenere fusi,
Redde vicem precibusque tuis me, quaeso, gubernans
Obtineas veniam mihimet miserando reatus
Atque tuo regi iunctus per saecla valeto.

XIII. Tuque, locus felix, regio fulgentior auro,
Illustrata pio iustorum lumine, salve.
Plebsque decora, satis multo collecta labore
Patribus a geminis, dignum est, ut amando sequaris,
Quos tibi cunctipotens dulces pietate patronos
Attribuit talesque dedit miseratus amicos.
Et si te noster migrans huc corpore Amandus
Deseruit, meritis, si credis, ubique gubernat;
Nos quoque dum precibus sacris meritisque tuetur,
Te memorans etiam portas tibi pandit Olympi.
Plaudito dulcisonos tantis pastoribus hymnos,
Ne ingratum reliquis gregibus videaris ovile.
Carmina commiscens cartis currente Camena
Vobiscum recinam praebens insignia amoris
Erga illos monimenta mei sine fine manentis.
Quos quia conspicuos virtutum penna levavit
Sidereum ad regnum, vobis properantibus illuc
Posse patere piae monstrarunt ostia vitae;
Ast ego delictis ut saetis horridus hircus,
Tegminis et nitidi candenti vellere nudus
Saeva trahor miserae miserandus ad atria mortis.

---

ad 368 quendam suscitatum ab ipso memorat *in marg. K* 371 bobulcum *V* 392 credas *corr. K* 397 castis *V* 398 retinam *A*

365—373 *Cfr. vit. Bavonis II* 15—17 *(A. SS. Oct. I* 232).

Tendite, posco, manus et me de fauce vorantis
Tollite (raptus enim propria virtute redire
Non valeo) et, quoniam patulum maxilla foramen
Huius habet, forsan per hoc procedere possum,
Si iuver auxilio vestro precibusque reducar.
Hoc quoque pro Christi faciendum nomine posco,
Ut, cum vestra sagax industria iuncta supernis
Sedibus extiterit, pavitans ego, quaeso, requirar,
Ultimus et Petri concludar clave beati,
Quocum vita, salus et perpes gloria palmae
Vobiscum fuerit feliciter omne per aevum,
Tunc mihi sit misero, precor, indulgentia saltem
Per Christum dominum, qui saecla per omnia regnat.

FINIT LIBER SECUNDUS . HABET VERSUS CCCCXVIII.

INCIPIUNT CAPITULA TERTII LIBRI.

I. Mediam se poeta laetatur carminis sui tetigisse viam seque arduum opus scribere ostendens lectorem suum, ut vivifica praecepta Christi meditetur, et hortatur eloquio et docet exemplo. — II. De mortuo suscitato. — III. Quod factum illud celare voluerit. — IV. De fanis destructis et gentibus conversis ac baptizatis. — V. Quod causa praedicationis ad Sclavos perrexit. — VI. Sermo laudis ad ipsum. — VII. Qualiter regem increpans repulsus sit. — VIII. Eidem principi veniam postulanti facinus indulsit. — IX. Quod idem rex filium suum sancto commendare volens impetrare non potuerit. — X. Eiusdem regis parvulus, dum a sancto catechizatur, eloquitur. — XI. Res eadem laude celebratur. — XII. Ubi sanctus ecclesiam Treiectensem ad regendum suscepit. — XIII. Quod ab eadem repulsus insulam Caloloo petiit. — XIV. Ad contemptores sancti sermo dirigitur.

FINIUNT CAPITULA INCIPIT LIBER TERTIUS.

I. Aspirante deo describens carmine vitam
Praesulis egregii sanctam celeranter Amandi
(Quae longis fuerat periodis iure notanda,
Si fandi mihi larga foret seu magna facultas)
Iam mediam breviore via festinus eundo
Transgredior binosque pedes ponendo vicissim
Computo ter geminos, dum per compendia curro.
Sic iter emensum est, reliquae et praeconia laudis,
Rhetoricus cui sermo iacet, facundia marcet,
Hinc conor brevibus temerarius arbiter horum
Pangere versiculis nullo complenda relatu.
Orbis verbifluus si istos conspiret in actus
Conveniantque omnes una sub sede poetae,
Argumententur modulentur philosophentur,
Vera quidem fateor, non omnes promere versu
Virtutum laudes, ut dignum est, credo, valebunt
Ac, si utcumque queunt extrinsecus acta referre,
Confiteor, nullo poterunt modulamine vocis
Promere, pro meritis quae sumpsit praemia in astris:

---

409 Cuius *A* hab. u. CCCCXVIII *B*] *om. VK* XIII. caloloo *AV*] calolo *BK* 11 Pandere *V* 16 *desinit K*

Altius ille volat, quam garrula lingua recurrat.
En figmenta canunt lirico sermone poetae:
Quae relegis cur, lector, amans, cum nulla salutis
Lucra gerant animis, labor oris, pastio venti?
Quid tibi pugnaces poterunt praestare phalanges?
Qua te veste teget palla discordia scissa?
Cur doleas illa caesas sub clade catervas?
Functi functa canant: vivens vitalia pange.
En meliora meo narrantur carmine gesta:
Non gladios nec tela refert pharetramque Camillae,
Sed memorat victam Christo sub praesule mortem
Et quae dona dedit caro dignanter amico.
Qualiter et quondam domini dilectus Amandus
Mortis adhuc sub lege manens et carne gravatus
Mortis iura tulit, clausum quoque carcere Averni
Eripuit vitaeque hominem de morte reduxit,
Commemoro stupidus tanti formidine facti.

II. Urbs fuerat quondam, quod adhuc vestigia monstrant,
Tornacus, nunc multiplici prostrata ruina
Funditus ah! turres deflet cecidisse superbas.
Est tamen inde frequens, quod aquis et merce redundat,
Nititur et geminis iam non lapsura columnis.
Namque arce in media templo surgente venusto
Pontificale tenet solium, nec longe remota
Nicasius recubat pretiosa martyr in urna,
Remorum praesul, felix cui vita coronam
Praebuit et rutilam fuso pro sanguine palmam.
Quod multo ad castrum Francorum milite septus
Dotto, comes rigidus, regali missus ab aula
Venerat: et querulis impleta est curia turmis.
Ecce trahebatur magna stipante caterva
Fur vinctus multis multo pro crimine nodis.
Conclamant cuncti, plebs omnis comminus asstans
Concinit esse reum, nihil hic veniale fatetur.
His turbis sanctus medium se iniecit Amandus:
Flet gemit implorat dolet heiulat obsecrat orat,
Quatinus huic misero misereri et parcere vellent,
Illis cunctipotens misereri ut Christus haberet.
Sed non obtinuit sanctus, quod flendo rogabat,
Dotto comes tumidus quoniam crudelior omni
Belua erat iussitque suo pro crimine furem
Stipite confixum meritas exsolvere poenas.
Interea est ductus, suspensus, mox quoque victus
Morte fera tetras animam transmisit ad umbras.

---

24 phalangas *A* 42 medio *A* 48. 59. 69 Docto *V* 63 fere *B*

25 *De sobrietate I* 838. 29 *Aen. XI* 649 pharetrata Camilla. 59 *Heirici (quem subinde Milo imitatur) vita S. Germ. V* 17 belua crudelior omni; *sed Baudemundus quoque III* 13 Dotto .. erat saevus atque omni belua crudelior.

Quid tu, sancte pater, totum memorande per orbem,
Tunc agis?: agnellus pedibus prostratus adhaeres
Saevi nempe lupi; fuge, ne te sorbeat ipsum.
Erigere ad dominum; nam quae petis ipse verenter
Concedens stabilem tribuet dignanter honorem.
Ergo domum Dotto est populo comitante reversus:
Ocius ad hominem sanctus celeravit anhelus
Atque, ubi defunctum miserum miseratio vidit,
Vivifici mentem firmans spiramine flatus
Depositum propere cognatam vexit ad aedem,
Quo fuerat solitus portam pulsare supernam.
Sternitur hinc arvis magis inde propinquior astris
Atque preces simul et lacrimarum flumina fundit.
Quae quamvis vicina rigent confinia terrae,
Altius ad celsum volitant scandendo tribunal
Angelico plaudente choro super aethera vectae.
Dicta haec facta probant, verbum completio firmat:
Sanctus enim incubuit precibus prostratus in arvis
Nec prius ad finem felix oratio venit,
Donec ambo simul diversis comminus oris
Surgentes starent iuncti — mirabile visu —:
Mortuus a morte et sanctus de pulvere terrae.

III. O quam conspicuum dominus dilexit alumnum,
Cui tam multa sui tribuit signacula amoris!
Denique, ceu praesens nobis scriptura revelat,
Praevaluit precibus sacris meritisque beatis
Reddere distractam multo pro crimine vitam
Defuncto atque animae iam iamque in Tartara lapsae
Obtinuit veniam Christo miserante salubrem.
Sit laus summa deo, qui dona fidelibus addens,
Ut possint exire animae de carcere Averni,
Tartara disrumpens obstacula cuncta revellit.
Interea madido discussis rore capillis
Praevia venturum iam post sua lumina Phoebum
Terrigenis Aurora suo monstraverat ortu.
At virtus complens redivivi corporis artus
Addiderat reduces solidato robore vires.
Ergo suos loeti victor vitaeque reductor,
Confessor domini signis insignis honestis
Poscit aquas; currunt celeres tumulanda putantes
Menbra viri, peteret limphas quod more lavacri.
Ingressi incolumem inveniunt — mirabile dictu —:
Ordine converso cernunt residere verenter.
Quis stupor hic fuerit, facti excellentia prodit:

---

83 horis *VB*

75 *Heiric. VI* 210 sternitur hinc arvis tanto vicinior astris. 82—85 *Heiric. VI* 222—224.
101 *Iuvenc. II* 405 sed Christus leti victor vitaeque repertor.

Fur redivivus enim vitam veniamque renarrat
Largitumque sibi sanctus laetatur honorem.
Tunc igitur fratrum sub Christi nomine plebi,
Ne populis prodant factum, obtestatur Amandus,
Donec completo decedat tempore vitae.
Cuius sancta manus dum singula vulnera palpat,
Restituit celerem felix medicina salutem,
Nec remanet sulcus, digitus quo currit honestus.
Dicite, doctiloqui, depromite digna, diserti:
Qualis hic est medicus, quo contingente cicatrix
Nulla patet plagis conclusis undique cunctis,
Quo meat ista salus, quo manat ab unguine virtus?
Cessa, lingua loquax, opus est hoc omnipotentis,
Per quem tanta valet, quisquis famulabilis illi est.

IV. Ergo ubi fama volans sparsit memorabile signum,
Fit populi subito multus concursus ad ipsum.
Fervere ut miraris apes per prata, per hortos
Erga purpureos flores ac carpere morsu,
Quod referant pedibus cara ad praesepia curvis:
Non secus has videas gentes insistere Amando,
Conspicuo flori hieme atque aestate virenti,
Quo sacrosanctum valeant baptisma referre
Virtutumque dapes ut dulcia mella reportent,
Quis mundi dominus praedulci pascitur haustu.
Fana dehinc vacuo nudantur honore profana
Illorumque cadunt, quorum crevere, labore.
Inde ubi fana ruunt, vir sanctus templa reformat:
Basilicas statuens et claustra monasteriorum
Perfidiam fidei contundit acumine fido.
O quam magna viro concessa est gratia iusto,
Multiplicem meruit fructum qui germine ab uno:
Incola vivifico sacratur fonte renascens,
Praeclara ecclesiae praecelsae moenia surgunt.
Felix ille obitus, moritur quo plurima pestis;
Sed tamen illa salus multum felicior extat,
Qua surgente uno plures in corde resurgunt.
Haec est, ni fallor, celsae mutatio dextrae:
Crescit amor sancto, laudum celebratio Christo.
Cuius in auxilio dum verbum praedicat omni
In populo, fecunda seges de cespite surgens
Reddit centuplicem virtutum gramine frugem.

V. Te neque, apostolica numquam purgata securi
Ac fidei sulcis ullo neque vomere culta,
Pertransisse virum doleas, Sclavinia tellus.
Sicut avaro etenim, cum multa pecunia crescit,

125 *incipit K* 128 flori *in* florenti *corr. A* hyeme *K*

126 *Cfr. Met. XII* 555 volucris, quae fulmina curvis | ferre solet pedibus. 132 *Cfr. Sedul. I* 47.

Crescit amor summamque famem completio gignit,
Sic hic, si liceat fatuis conferre benigna,
Crescere quo crevit virtutum lucra bonarum,
Accumulare parans et avarior amplius extans.
Partibus et multis cum sparso semine verbi
Surgeret hinc atque hinc feliciter inclita messis,
Comperit adstrictos Sclavos errore inimici.
Quo se martyrium pro Christo posse mereri
Confidens sanctus glacialem transiit Histrum.
Incipit et glebas durae proscindere terrae;
Inde euangelii semen dispergit ubique
Per loca perque domos, per rura et competa iactans;
Fundit aquas siccis superis de nubibus arvis.
Suggerit inmittit concludit conpluit ambit:
Nil facto superest, quod dignum duxit agendum.
Is tamen ut segetem pleno non gramine votis
Respondere videt propriis cassumque laborem
Se saxis inferre dolens, resilire retrorsum
Cernens conspicuum ferrum sulcantis aratri,
Per vacuumque tuens in spinis quaerere messem
Martyriique piam nec palmam prendere posse,
Ad proprias iterum Christo est comitante reversus
Pastor et agnus oves, ovium dux ipse suarum.
Ne tamen in cassum tantos fudisse labores
Poeniteat longumque itiner properanter adisse
Nec quivisse aliquem vel parvum sumere fructum,
Paucula grana legens caelestibus indidit horreis.

VI. Te quoque, sancte sator, dum nos comitamur euntem
Atque tuum sequimur felicem carmine cursum,
Ignotum transimus iter sermone meantes,
Quo nullus missus milleno ex agmine Iesu
Vivificam iecit cornu curvante sagittam.
Non Petrus, Paulus neque seminiverbius olim
Propter opus solitum veraci errore vocatus,
Nemo alius, validis quanquam confisus in armis,
Cuspidis eximium iactavit acumen in illam:
Servatum tibimet sed hoc certamen, Amande, est
Quosque iugo regis rigidos non subdere quisti:
Ille amor haec tenuit, haec duxit honesta voluntas,
Quatinus ad dominum perfusus fonte cruoris
Victus morte quidem, sed victor amore redires.
Qualis forte tuum rexit constantia pectus?
Qualis et invictum retinens audacia robur
Fecit in ignotam regionem tendere gressum?
De qua pro donis veniebant vulnera Francis;

166 Suigerit *corr. A* 170 resilere *A* 178 prauum *A* 190 Quoque *B*

153 *Cfr. Iuv. XIV* 138. 154 *Cfr. Ge. IV* 176; *Trist. I* 6, 28 *etc.* 167 *Cfr. Luc. Phars. II* 657. 168 *Cfr. Ge. I* 47. 172 *Matth.* 7, 16; *Luc.* 6, 44.

Rex quibus armorum valido munimine septus
Terga dabat fugiens Franco comitante feroce:
Tu socio sine per markas clusasque ruebas.
Sed mihi parce, precor, quod servulus audeo supplex
Suppliciter tecum querulam conferre loquelam,
Ac votiva tui devoti sumito vota.
Inde Palatinam quia nunc intramus in aulam,
Respice, sancte, precor, me nunc miseratus euntem.
Dirige tu calamum, ne promat inania, nostrum,
Ne, dum rite tuos cupimus narrare triumphos,
Offensa inveniat regalis virga locellum.
Huc, fraterna cohors, precibus concurre canenti.

VII. Rex Dagobertus erat Francorum et iura tenebat,
Sed tumidus rigida populos dicione premebat.
Quique potestatis praecellens culmine cunctos,
Qui ante ipsum sceptrum gentem tenuere per illam,
Principibus durus vitiis, subiectus, alumnus,
Turpiter obsceno luxu maculatus ubique
Infusum Veneris portabat in ossibus ignem.
Ne tamen in messe hac spinae conpunctio surgat
Ac coeptum deturpet opus, causatio cesset,
Non tulit hos similesque modos constantia nostri
Pontificis, querulam sed prompsit mota loquelam.
Nec timuit renitens saevi mucronis acumen,
In multis didicit quia victor fidere bellis
Nec pavitare ferum terreno in rege furorem.
Quem his aggressus studuit pulsare loquelis:
Scilicet, aeterni si limina tangere regni
Curaret, meliora suae commercia vitae
Crimine semoto faceret, ne forte repulsus
In chaos inferni scelerum tormenta subiret.
Et quia sunt stimuli iustorum verba malignis,
Mox ut dicta furens arrectis auribus hausit,
Iure licere sibi cupiens, quicquid libuisset,
Derisum graviter doctorem iusta monentem
Reppulit ac tali viduavit hospite regnum.
Quique repulsus abit, dominum quoque gentibus infert.

VIII. Et quanquam princeps regalia semina iactet
In triviis, tamen huic prolis non surgit arista,
Ni veniant sicco stillae de nubibus arvo.
Quod tamen ut tandem potuit cognoscere, supplex
Auxilium superis a sedibus expetit orans,
Ut sibi nascatur, quo post sua sceptra regantur:
Dante deo meruit, quod mens devota petivit.
Nuntius ut gaudens regalibus intulit aulis,
Quod puer ad lucem materna prodiit alvo,

230 arreptis *V* 236 triuiis] *in marg.* in tribus reginis *K* 243 materno (*item K*) profluit *A*

226 commercia vitae *Aldh. laud. v.* 1884.

Laudibus et votis auctorem prolis adorat;
Illa tamen mentem laetam cunctatio adurit,
Debeat in sancto qui fonte lavare puellum.
Ut redit ad semet captiva memoria regis,
Discursare iubet celeres per regna ministros
Ac sanctum merito adduci demandat honore.
Qui tandem inventus monitusque palatia adire
Regis iam dicti sese conspectibus infert.
Quique ut adesse virum cernit, mox desilit alto
E solio rutilumque caput diademate terrae,
Stabat forte pii qua pes tunc pacifer, aequat
Inflectens rigidum sancta ad vestigia collum.
Purpura pulvereis prosternitur inde favillis
Linguaque, quae variis dictabat iura phalangis,
Poscit, ut ignoscat scelus indulgentia sancti.
At mitis, fuerat cui dulce ignoscere probra,
Felle carens, placida iugiter dulcedine fervens
Ocius a terra prostratum in pulvere regem
Elevat et citius commissa piacla relaxat.

IX. Alloquiturque dehinc hoc princeps famine sanctum:
'Poenitet, alme, tuam, doctor, sprevisse loquelam,
Displicet atque, meo quod iussu iniuria facta est;
Sed nunc illa, precor, pietatis viscera cedant.
Est quoque dante deo inmerito mihi filius unus,
Quem tua consecret sancta ut benedictio, posco,
Vivifico ac Christi digneris fonte novare
Utque illum doceas divina lege magister
Tuque pater pueri merito dicare secundus,
Dum gignis sobolem praeclaro germine fontis'.
Sed sacer his dictis summo conamine fusis
Obstat commemorans sibi iussum, ut semina verbi
Spargeret et gentes baptismatis amne sacraret;
Non uni tantum, sed multis affore missum.
Egreditur: remanet cassata petitio regis.
Qui quia non valuit contemptus vota mereri,
Credidit a proprii lateris custodibus ipsum
Flectendum: misit socialis amoris amicos,
Unam animam gemino sub pectore ut esse putares,
Dadonem illustrem Eligio comitante benigno.
In laicali habitu quos principis aula tenebat;
Sed post sub pedibus sternentes labile saeclum
Ecclesias geminas stabiles rexere columnae:
Inclitus ille prior, sub cuius pontificatu
Floruit in titulis Rotomagus celsa beatis,
Compar et Eligius divino munere lectus,
Quo Noviomus ut urbs vivente antistite fulsit,

---

256 Porpora *A V* 272 subolem *V* 282 elegio *K* 285 texere *A V* 289 antestite *K*

266 *Cfr. Coloss.* 3, 12; *Philipp.* 2, 1.

Sic micat et tumulo multis virtutibus aucto.
Salve, fida fides; felix concordia, haveto:
Pontifices sancti, meritorum luce corusci,
Non mihi tam tenuis de vobis sermo mearet,
Ni vos conspicuos scirem nutrisse poetas,
Qui possunt trimoda vobis pipare Camena,
Nobile et auratis carmen cantare cicutis.
Vos tamen o, nostros, petimus, relevate labores,
Et coeptum repetat iam linguae guttula cursum.

X. Ergo preces missi devoto pectore fundunt,
Principis ut sobolem sacrato deluat amne,
Educet atque illum per libros rore nigrantes.
Qui si forte preces non principis abnuat istas,
Huius amicitiae tribuat coniunctio multum,
Errante in populo ut liceat conquirere lucrum,
Gentibus et multis divinum spargere verbum.
Assentit tandem carorum famine victus,
Intrat et invitus praecelsam regis in aedem,
Clipiaco qui illo residebat tempore villa.
Offertur puer huic alienis vectus in ulnis
Ille, quater deno cui sol iam fulserat ortu.
Quem manibus sacris ut sumpsit episcopus almus
Et fusa est praestans oratio more sueto
Ac consignatus caticuminus extitit infans
Et precis in finem nullus responsa referret:
Non confusa sonans alliso verba palato,
Sed labiis patulis et clara voce boando
Insonuit populis mirantibus ocius: 'amen'.
Inde salutiferi baptismatis amne novatus
Vivificis retulit Sigeberti nomen ab undis
Ac post Austrasias domuit dicione catervas.

XI. Hic mecum, lector, laudum concurre relatu;
Dicito, sermonis si fons tibi largus abundat
Et guttis pluviae se linguae comparat imber:
Quis docuit puerum, quis sensus, quaero, suasit
Hebraico sonitu ignotos proferre fritillos?
Quis pedagogus eum hac iussit voce boare,
Quem vagitus adhuc puerili aetate tenebat?
Enarra mihi, quaeso, dedit quae scola loquelas
Ignaras, docili quo floruit ille magistro.
Scotica non teneros umquam ulla lacessiit artus
Nec graciles digiti parvam tenuere tabellam:
Et iam grandiloquos superat ratione sophistas.
Vocibus externis loquitur spernitque Latinas:
'A' natura docet: 'men' quae suggestio fundit?
Hoc musto, o Iudaea solens errare, calebant,

300 subolem *AV* diluat *AK* 308 Clypiaco *K* 319 sigoberti *K* 328 schola *K* 330 Scutica *B*

335 *Cfr. Acta* 2, 13.

Qui cunctas didicere brevi sub tempore linguas.
Hic, aethimologia, tuus confunditur ordo:
Infans dum fatur, nomen tibi tollitur istud;
Ne dubites asinam stolidum increpuisse Balaam,
Huc ades, hoc opus est celebrandum laude perenni.

XII. His ita decursis obeuntem missus ab alto
Angelus evexit celsi trans sidera caeli
Pontificem, cuius sedem Treiectus habebat,
Sumeret ut rectis meritorum praemia libris.
Quo rex comperto sanctum accersivit Amandum:
Plurima pontificum conducens agmina secum
Praesulis ad tanti sollemnia iungit honores.
Interea sanctus sacra sublimis in arce
Ducitur ac trahitur, iam dicta in sede locatur;
Obstat et indignum se tali clamitat actu.
Sed cum more suo lustraret luce venusta
Oppida rura casas vicos castella peragrans,
Ceu medicus gratis praebens pigmenta salutis,
Triste nefas! qui debuerant agnoscere primi
Ac verbum domini plebi monstrare sequendum
Ecclesiae gradibus praelati rite ministri,
Reiciunt spernunt contemnunt despiciuntque
Postponunt pelluntque probum per probra patronum,
Quo sibi nil lucri, sed maxima damna tulere:
Pulvis enim pedibus iustis excussus in illis
Accusator erit, cum tempus venerit illud,
Praemia quo capient dextri poenasque sinistri.

XIII. Insula dicta nitet Caloloo de vertice sancti,
Scald iuxta et giris curvo sinuamine flexis
Praebet secessum nautis gratissimus amnis.
Quam sanctus, dictis cum pulsus abiret ab oris,
Repperiens, sibimet tam maesto in tempore credens
Sufficere et mentis purum renovare vigorem
Secretus cupiens aliquanto mansit in illam
Tempore, multiplices studuitque levare labores.
Dum tamen ille pio frueretur caelitus actu
Atque polum iugibus cuperet conscendere votis
Alba velut geminis alis innixa columba,
Aequa repulsores non distulit ultio dictos
Pro meritis pulsare, feros ac digna rependens
Caede ferire viros, gerulum contemnere vitae
Qui voluere magis, habilem quam reddere honorem,
Pressi multimodis ut possent scire flagellis,
Quam carus Christo fuerit, qui spretus abisset.
Plaga etenim caelo veniens et terra resultans

---

337 aethimoligia *A* 345 acersiuit *V* 357 Reiiciunt *AK* contempnunt (*et hinc saepius*) *AVB* 363 calolo *B* 366 cum pulsus *in* compulsus *corr. A* 369 illa *B* 379 habisset *corr. A*

360 *Matth.* 10, 14 *etc.*

Proterit inclinat rigida cervice rebelles
Evertitque domos: mores cecidisse ruina
Testatur sonitu labens et pondere grandi,
Ac viduatus ager segete et nudatus arista
His meritum spinae pungentis reddit acumen
Cum tribulis: referunt commercia talia terrae,
Quae tanto cultore carent, nec vescitur illis
Incola, ferre cibum quia mentis in ubere tempsit.

XIV. Tu quoque, plebs, libeat si cursim tangere prisca,
Antiquis damnis praelata haec vulnera sentis:
Cladibus inmensis non obstant moenia firma,
Sed sternuntur humi ceu pulvis flamine venti
Labunturque, dei quae non custodia fulcit.
Nec mirum, compago ruat si turribus altis
Funditus evulsa, stabilis quam linquit Amandus,
Ecclesiae nostrae defensio, celsa columna,
Tabiferos contra fremitus protectio perstans.
Quo offenso tibi mors, nobis salvatio venit,
Servatio servata tuo, dum viveret; inde,
Flebile ne funus seu maestum corde dolorem
Sumeret extremas in te cernendo favillas,
Transiit ad dominum nudam te in morte relinquens.
Qui tibi post nostrum miseratus misit Amandum
Ut solem radiis operum fulgore micantem;
Sed, tu lippa, tuos oculos dum vertis ab illo
Et densas repetis noctis horrore tenebras,
In manibusque lutum retines, dum lumina tergis
Ac luci asscribis, quod tu minus inde tueris:
Sic votis dimissa tuis in carcere caeco es,
Ni tamen huc redeas et lumen amando requiras,
Quod tibi depellens nobis miserando dedisti.
Non hinc probra tibi nec iurgia reddimus ulla,
Illius reditu sed congaudemus ovantes.
Nunc nunc ergo tuam detergant carmina culpam:
Laudibus eiectum dignis revocare memento;
Poeniteat te iam sceleris: medicamina sunt haec.
Ac si, ut credo, tuam placarunt vulnera noxam
Et sancti pietas crimen concessit enorme,
Asstipulare meis, quia non sunt carmina, rithmis.
Tu cantare vales, tu docta es plaudere versu,
Tu nosti lirico cordas contingere plectro
Tuque potes metrum centum reboare Camenis,
Retia ceu filis, sic libros texere verbis;
Ast mihi vix tenuis decurrit ab ore susurrus.
Dum tamen alma tuis aptatur Musa labellis,
Ne taceam, laudare deum cum debitor extem,

382 domus *V* muros *Harster* 386 commertia *V* 399 seruacio (*K*, seruitio *in* seruatio *corr. B*, seruato *A*)] *in marg.* qui in ea olim fuit episcopus tempore hunorum *K* 411 miseranda *ex* miserando *corr. V* 418 inorme *K* 425 libellis *K* (*ante ras.*) *B*

Noster honore dei claudatur, posco, libellus.
Laus decus imperium benedictio gloria palma
Maiestas et honor veneratio gratia virtus
Sit patri et genito cum flamine vivificante
Et nunc ac semper, dum saecla futura manebunt,
Pro meritis sanctum qui glorificavit Amandum.
Clare comes, caram claustris concludito cannam:
Sat sitiens etenim potavit; tollito rorem;
Flebilis et ne iam rumpatur anhelitus, istinc
Fige gradum; digitos dum tendo, quiesce parumper.

EXPLICIT LIBER TERTIUS. HABET VERSUS CCCCXXXVI.

INCIPIUNT TITULI QUARTI LIBELLI.

I. Scripturus vates, quo fine sanctus astra petiverit, admodum contremescit suosque libellos quattuor euangeliorum libris subdens ad finem sancti Amandi suique operis et prece tendit et carmine. — II. Qualiter a Wasconibus verbum dei praedicans sanctus repulsus sit et de mimilogo a daemone arrepto. — III. De caeco ex aqua, in qua vir dei manus lavit, illuminato. — IV. De reditu ipsius in Gallias et coenobio aedificato. — V. Quomodo pro eo, quod municipium Nanto a rege impetraverit, Mummulus insidias illi paraverit. — VI. Quomodo carnificibus divinitus caecatis vir dei mortem evaserit. — VII. Conversio laudis per energiam ad sanctum. — VIII. De muliere caeca illuminata. — IX. Allegorice eadem res repetitur. — X. De monacho pro inoboedientia paralisi dissoluto et verbo sancti sanato. — XI. De obitu vel sepultura ipsius. — XII. Laus loci et de elevatione corporis ipsius. — XIII. Oratio auctoris huius operis. — XIV. Clausula finalis cum prece completur. — FINIUNT TITULI.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

I. Hactenus eximios sancti versatus in actus
Praesulis et, quanquam pede claudo, currere quivi;
Sed nunc res metuenda nimis, tractanda nec ullis
Viribus evolitare facit super astra: petendum est,
Ut sermone sequar, quo non licet ire pedestrem.
Primi namque mei properant hac lege libelli,
Ut labor et meritum sancti noscatur Amandi;
Quartus hic est, nunc qui in manibus cudendus habetur:
Quos euangeliis subieci rite quaternis.
Mattheus effudit donatus munere primus
Carne deum natum, qui virginis ubera suxit:
Hic quoque dum nostrae penitrat praecordia mentis,
Scripsi hominem genitum, qui matris et ubera linxit,
Perfectum purum iustum dignum inmaculatum.
Excelsusque dehinc mandati famine Marcus
'Vox clamantis' ait 'deserta per arva leonis
Insonuit, qui in morte oculis dormivit apertis':
Huncque sequens, quantum valui, sub carmine dixi
Quadrifidum verbum sanctum sparsisse per orbem.
Consurgensque dehinc, quod signat nomine, Lucas
Iura sacerdotii veteris sermonibus effert,

---

habẽ ũ. CCCC.XXXVI. *B*] *om. KV* I. quatuor *A* || 21 infert *A*

10—27 *Cfr. Sedul. I* 355—358 *et euangelistarum nomina ab Hieronymo explicata (Onom. sacr. ed. Lagarde* 70, 1; 70, 6; 77, 14; 69, 16*).*

Quo crucis ut vitulus Christus mactatur in ara:
Quo lecto sedem monstravi pontificalem
Conscendisse virum, fuerat qui victima viva.
Flaminis et sacri quia gratia fusa Iohanni est,
Evolat ut pennis aquilae super aethera vectus,
Principium canit atque ante omnia tempora verbum:
Estque via simili me nunc properare necesse.
Instat enim memorare itiner, quo sanctus Amandus
Iverit ad dominum meritos sumpturus honores,
Viserit et requiem caelesti in culmine partam,
Quo me nulla levat factorum penna bonorum.
Velle meos animos urit, sed posse retentat;
Currere lingua cupit, stridet sed nescia fari:
Cordis in aure tamen si sibilus ille resultet,
Impleat et mentem, calamum quo tinguo, liquore,
Qui facit humanas asinam formare loquelas
Indocilemque virum querulo confundere rithmo,
Carmine succincto, quae restant gesta, notabo.

II. Eia, age, Vacceiam late mihi, Musa, vagantem,
Fidentem frenis, torquentem tela lacertis
Pande, rogo, et vulgo vulgari voce notato:
Si demas mutesque apices, Wasconia fertur.
Quae gens dura satis variis excursibus instans,
Ictibus ac crebris hostilia tela rependens
Extremis fuerat Francorum finibus hostis:
Sed nunc vulnificis substrata est pacifera armis
Frenaque consilio tandem conducta salubri
Non laniat morsu, sed pacis in oscula tractat.
Illis temporibus, quis sanctus in orbe manebat,
Ut Gallis fuerat saeva feritate rebellis,
Sic erat et Christo, reliquum qui straverat orbem.
Relligionis enim nudata decore iacebat
In noctis tenebris nulla illustrata lucerna.
Horrendumque scelus, cui cuncta nocentia cedunt,
Quo gignente solent reliquae concrescere pestes:
Cultum Christo habilem muta ad simulacra reflectens
Idola credebat numen deitatis habere.
Hos ubi vesanos errorum comperit actus
Praesul Amandus, ab his, quos fratrum nomine dignos
Fecerat, accensus horum celeranter adivit
Belliger insignis terras, ut proelia Christi
Bellaret pariterque sui signacula regis
Invictus miles praefatis inderet arvis,
Ut, si multiplices non posset iure catervas
Vincere, vel pulchram caperet per vulnera mortem.
Dumque ibi vivificis inferret spicula contis
Et multos aequaret humo falsamque deorum
Sterneret ad terram constanter relligionem,

67 cunctis *A*

Unus iners, facilis, male lubricus atque superbus,
Turpis et impurus scurrilia probra susurrans,
Quem merito vulgus vocitat cognomine Mimmum,
Obstitit infelix stolido bachante cachinno.
Sed mox arreptus miser atro daemone, plenus
Quo fuerat pridem, cum vitae risit alumnum,
Ipse suis manibus male sano membra furore
Discerpit scindit disrumpit diripit urit,
Anteque quam patulos Herebi transcurrat hiatus,
Dat certum indicium, duce quo deductus abiret.
Ore uno stupeas millenas currere linguas;
Tandem distortus vacuatur hospite et hoste,
Qui ingratus rediens animam violenter abegit
Abducensque facit secum penitrare gehennam:
Qui fuit incentor culpae, fit tortor in igne.
Et quia sunt non laeta satis, quae scribimus, hinc iam
Tristibus ommissis ad dulcia pergat harundo.

III. Ergo ubi gens sancto vacuata decore relicta est
Antiquis tenebris, voluit quia spernere lumen
Transmissum sibimet quam se substernere luci,
Lucifer ille nitens, cum iam repedaret ab illis,
Pervenit quandam tandem lassatus ad urbem.
Cuius honorificis excepit episcopus illum
Obsequiis meritoque colens reverenter honore
In manibus sacris latices profudit et ipsos
Custodem monuit clausis inferre sacellis.
Antistes namque is sat fidens extitit illis
Optatam invalidis praeberi posse medelam;
Spes neque tam firmos animos certissima lusit.
Tempore quo quidam residebat ad ostia templi
Mendicus, rebus pauper, sed lumine frontis
Pauperior; quem hac affatur voce sacerdos:
'O homo, si fidei retines in pectore lucem,
Ablue aqua clausos oculos, qua sanctus Amandus
Abluit ille manus: hoc spondeo te renovandum
Unguine: lux rediens caecis infusa fenestris
Monstrabit, sancti quantum benedictio digna est,
Nec vacuus credens fidei virtute redibis'.
Haec promissa carens mox pauper lumine credens
Sumpsit aquas faciemque lavit: medicina lavacro
Est comitata pio: o rerum conversio! caeci
Dum splendent oculi, fera mortis imago repulsa est.
Dic, rogo, quisquis ades, quanta virtute beatum
Hunc fulsisse putas, cum praesens corpore adesset,

---

72 cognamine *V* mimmum *sic AKVB* 73 bacante *AV* 81 uacuatus *AV* 83 Abducens *A* 102 renites *V* luce/ *V* 103 oculos clausos *A* 113 Nunc *AV*

72 *Baudemund. V* 20 levis ac lubricus .. atque etiam apta cachinnans risui verba, quem vulgus mimilogum *(alii codd.:* iocularem*)* appellant.

Ac prece quam celerem quivisse referre medelam,
Cuius limpha manus lucis largitur honorem?
Cede loco, medice: trito cum pulvere quid stas?
Pulvere enim caecari oculos res notior extat.
Hae, si credis, aquae superant colliria cuncta:
Quam mundae sordes! o quam purgatio pura!
Quam doctus medicus, quo cuncta obscura refulgent,
De cuius digitis stillant medicamina pulchris!
Talia signa, sui, produnt, vestigia regis
Quod sequitur: perpes hinc Christo gloria summo,
Dignus honor iusto, quo non pretiosior alter
Ad caeli regnum sociorum ex agmine venit.
Obvius ornata dum sponso lampade pergit,
Manat oliviferis mox igneus ardor ab ulnis
Accendens propria reliquorum de face taedas,
Fulserit et quanto, demonstrant facta, decore.

IV. Dumque iter incoeptum variis virtutibus iret,
Francorum ad regnum felici tramite venit
Elegitque locum, quo verbum spargeret, aptum.
In quo devota fratrum comitante cohorte,
Qui varias Christi tulerant pro nomine poenas,
Sacra monasterii construxit claustra novelli.
Felix illa fuit sub tanto scola magistro,
De qua multiplices procedunt iure sophistae,
Pontificum numerosa cohors doctique patroni
Ecclesiae, verbis puri gestisque nitentes.
Gallia, iam rediit sanctus, laetare, benignum est;
Sparge alacris flores: tibimet salvatio venit.
Hac etenim non parte cadis, qua turris Olympo
Contra sanguineas acies et bella Damasci
Forte tulit caput, ultra et sidera constitit ipsa.
Nam si pervalidae Oceani de parte procellae
Irruerint, nullo quibunt transcendere pacto,
Passibus egregiis qua gressum fixit Amandus,
Si tamen egregii secteris iussa magistri.
Est neque, quod metuas ferventi in turbine freta
Hoc ductore tuo, qui non debellat iniquos
Armis, sed meritis hinc usque ad sidera notis.

V. Tempore quo princeps regnum Hildericus agebat
Invasasque gravi bello tractabat habenas,
Dum fremerent reliquae Martis certamine gentes
Et gladii gladios, umbones redderet umbo
Ac frater fratrem, genitus premeret genitorem
Saevaque vastaret populos populatio multos
Tempestate gravi totum grassante per orbem:

---

124 presiotior *A* 125 examine *corr. K* 138 patroni] magistri *A* 141 alicris *A* 141 procellae] *in marg.* dani *K*

126 *Cfr. Matth.* 25, 1—13.

Non turbo hic tenuit iustique ligamine vinxit
Brachia nec tanta rerum vertigine victus
Liquit opus coeptum lucris felicibus ardens,
Sed regem petiit iam dictum cernuus ille,
Quatinus illi aliquem praeberet iure locellum,
Sacra monasterii strueret quo septa venusti.
Quem, mox ut petiit, princeps dedit; inde repente,
Talibus in rebus quoniam fuit impiger ille,
Ecclesiae iecit fundamina more sagaci.
Dumque ibidem coeptis perstaret iustus in illis,
Mummulus invidiae facibus flammatus acerbis,
Urbs Ozidinsis cuius subiecta sedile
Ornabat celsum variorum gramine florum,
Indignans graviter sanctum impetrasse locellum
Evomuit furiis conceptum mente venenum
Direxitque suos stimulante furore ministros
Audaces animis atque armis amplius auctos
Illi acuens gladios, qui pacis lator in omni
Orbe fuit, superi qui prompsit pascua regni.
Hunc, inimice ferox, cur tali fraude repugnans
Persequeris carumque deo insectaris alumnum?
Audieras, tibi quae scansurus ad astra magister
Pacificus dederit servandae foedera pacis?
Cur pignus hoc, dum meditaris inania, scindis?
Cur te tanta tenet sceleris scelerata cupido?
Nonne decens fuerat sudores tergere tantos
Ac commune bonum sociali ornare labore?
Quid facient alii, dum quaeris, episcope, bella?
Ac humana tuum si non natura reatum
Conprimit, ordo, gradus neque te dilectio frenat,
Suspice: fulminei venient de nubibus imbres
Placabitque tuos caelestis turbo furores;
Angelicas acies armatas auxiliantes
Ferre videbis opem signis victricibus amplam,
Ferre necem telis cui nunc minitaris iniquis.
Carnifices quoque pulso loquens, qui iussa volebant
Patrare et sceleris pariter consortia ferre,
Quos aliena reos addixit missio noxae.
Qui callente dolo se fallere posse putantes
Illum, plenus erat qui puri flaminis haustu,
Fingebant falso fallaces famine falsa
Aptaque rura satis se sancto ostendere posse,
Si comitetur eos causa studioque tuendi.
Callidus et quanquam miles simulaverit ore,
Finxerit et tanto mendacia dicta prophetae,
Quem monstrante deo nil clausum nilque latebat

---

161 fidelibus *B* 196 adduxit *B*

160 *Lucan. VIII* 16 vertigine rerum attoniti. 180 *Ioh.* 13, 34. 204 *Cfr. Iuvenc. I* 587.

Occultum fibris, nil tectum pectoris antris,
Auribus in cuius sic mens ut lingua sonabat:
Non tamen iniustis scelerum latoribus ipse
Obstitit aut saevis monstravit terga ministris.
Tanta nec invictos animos formido pererrans
Dispulit aut stabilem liquit constantia mentem,
Martyrii iugiter quoniam fervebat amore.
Et quanquam dederit non temporis optio votum,
Martyris emerito non est fraudatus honore.
Hinc superi magis est laudanda potentia Christi,
Quod dedit huic palmam gratis sine vulnere mortis.

VI. Iamque supercilium montis pia victima adivit
Percussorque ferus, ceu quondam sanctus Isaac.
Utque maligna manus, nimium crudelis Iesum
Quando furore calens ad montis culmina nostrae
Auctorem vitae pertraxit praecipitandum,
Si tunc posse velut furibundum velle habuisset:
Haud secus, hic iustus cum staret mitis ut agnus
Sub vacuis pietate lupis, mox caelitus atrae
Collectae nubes oculos clausere malorum
Nec Phoebea patet digno satis ordine lampas:
His retrahit iubar et radios convertit in umbras,
Qui rutilo spoliare student splendore lucernam;
Lucida diffugiunt oculis, nox ingruit ampla
Tempestasque ruit commixto grandine grandis.
Ergo solo strati culpam iustumque fatentur
Supplicium, veniam rogitant; curvatur adorans
In terram iustus pietatis amore repletus
Ac membra herbigeris prosternit in aggere glebis
Nec prius absistit studio votoque precandi,
Donec aetherei se submisere furores,
Nimborum tonitrusque etiam cessere fragores.
Dumque serena illis se reddunt aethra ministris,
Noscunt, quam merito sit sanctus honore verendus.
Ite domum, missi, factumque referte patrono,
Carnifices alios ne post vos mittat Amando.

VII. O nimium dilecte deo, cui militat aether,
Cuius in auxilio caelestis machina frendens
Bella parat, lumen retrahit loetumque minatur!
Pro lituis tonitrus, pro telis igneus imber,
Pro parmis quassans inmurmurat arduus axis.
Quid mirum est servisse tuis terrestria iussis,
Quando elementa simul quatiuntur, fervet Olympus,
Cum tibi, fida tuis spes, mors iniusta paratur?
Et quanquam sint magna satis, quae gesseris ante,
Plus tamen ista nitent, quae caeli ex arce refulgent.
Pulcher ubique, polo terra pontoque coruscans,

235 aetherii *KV*

Respice diffusos iam iam miserendo fideles
Hisque iugem precibus sacris deposce salutem,
Quatinus invictas retinentes pectore vires
Nec mala nos frangant nec mentem prospera raptent.

VIII. Instat iter, iam iamque sequentia gesta retorquent
Carminis excursum: canitur res digna relatu;
Mentio namque viri venerandis laudibus apta est.
Namque euangelium populo dum praedicat omni
Nescius incoepti curam laxare laboris
Lassatosque artus modica reparare quiete:
Perlustrans pagi confinia Bellovacensis,
Rossontus locus est, quo sanctus venit anhelus.
Qua modicus ripis refluit sed Massus opimis
Ubere frumenti copiosi et munere Bachi,
Non procul a tractu, quem cursus complet Oronnae.
Hic fuerat mulier geminis viduata lucernis,
Fronte sub obscura noctis simulatio vera
Haud brevibus spatiis densa caligine durans.
Cuius nempe modum dum iustus comminus instans
Scrutatur, didicit causas tempusque negatae
Lucis et auguriis iustas quaesisse tenebras.
Frondicomaeque deae se deservisse renarrans
Ducit eum, rigidis ramorum flexibus arbor
Quo caput extulerat perversa fruge colonis
Noxia, loetiferum gignens radice venenum,
Rustica plebs prisco quam consecraverat hosti.
Fudit et ut mulier plangens lacrimansque querelas,
Reddidit has sanctus miseranti pectore voces:
'Non miranda refers, mulier caecata reatu,
Cum proprio plangis discrimina crimine creta;
Magna sed admiror quam sit clementia Christi,
Cuius larga nimis te iam patientia portat,
Cuius ad offensam proprio famulabilis hosti
Emeritum retines damnum iustumque pudorem.
At tibi si superest amissae cura salutis,
Assensum nostris iam nunc praebeto loquelis:
Ocius audacter, dea quo stat pestifera, ito;
Spe stabili confirma animum dextramque bipenni,
Arbor ut ad terras iam proruat acta securi,
Quam veneraris; enim citius promitto futurum,
Credula si fueris, felicia vota reportans
Quod capies celerem membrorum animaeque medelam.'
Nec mora: dum properat mulier ducente puella
Arboream truncare deam frondensque cacumen
Relligione carens succisum tradere flammis,
Perspiciens sanctus fidei venerabile lumen
Interius fulgere crucis celebrabile signum

---

252 miserando *corr. K* 263 Rossomtus *B* 264 massus] *in marg.* fluuiolus *AKB* 266 Nec *B*
278 languens *A* 289 Spectabili *corr. A*

In frontis medio gemina inter tempora sculpit:
Mox quoque conspicuus delatus caelitus ignis
Splenduit et clausae patuere in fronte fenestrae.
Sic veneranda manus iubar infert atque relinquit
Nox oculos exulque dies illuminat orbes
Ac mediis tenebris aurora crepuscula fundens:
Miratur radios frons illustrata serenos.
Quam tamen instructam veteres contemnere culpas,
Noxia quis pridem creverunt vulnera in illa,
Incolumem linquens reliquos visurus amicos
Dimisit sanctus, tanti largitor honoris.

IX. Historiae manifesta fides, sed mysticus illi
Intellectus inest silvis umbratus opacis.
Quem temptabo loquens festino pangere versu,
Ut resonans antiqua novo simphonia flatu
Impleat arentes supero spiramine versus.
Arbor prisca fuit, qua vitam perdidit Eva,
Nomen habens vitae, si culpis abstinuisset.
Pro dolor! anguino nimium decepta suasu
In loetum lapsa est, vetitum dum sumpsit edendum,
Ad certum per lucra ruens male credula damnum.
Sed crucis in ligno vita moriente piati
Sunt scelerum morbi et vetiti transgressio pomi.
Aspicis antiquam praesenti in stipite formam:
Auguriis mulier cui dum famulatur ineptis
Scire futura volens, etiam praesentia perdit
Ac meritas caecata capit pro luce tenebras.
Sed sanctus veniens errores dispulit atros,
Arboris et docuit flexus succidere ferro.
De quo magnificus cecinit Baptista Iohannes
Arboris eximiam radici instare securim,
Fulgenti nocuos quae truncat acumine sucos
Et reparat celerem pia per colliria visum:
Unguifer et medicus sic lumina reddit Amandus.

X. Hocque, quod accumulans laudum praeconia iustus
Magnificis gestis complevit, rite canamus.
In grege multiplici, domini quem fecit alumnus
Divinum portare iugum, servire tonanti,
Unus erat reliquis praelatus honore catervis,
Ut victum sociis et congrua cuncta pararet.
Qui dum mente tumens iussis parere magistri
Despicit et vinum plaustris portantibus utens
Ad fratres deferre suos sanctoque negare,
Quod sibimet deessent quaesita vehicula, pergit,
Sternitur infelix subiti discrimine morbi

---

299 sculpsit *A* 303 orbes (*cf. infra de sobr. I* 526) *Neff* 310 Historiae est m. *AV*

316 *Hieronym. l. c. pag.* 5, 16 Eva calamitas aut vae vel vita. 328 *Matth.* 3, 10.

Et fera paralisis vastans crudeliter artus
Occupat et laxis in membris regnat habenis
Elataque nimis sumptos cervice rigores
Ocius excutiens herbis flaccentibus aequat
Ac miserum corpus loetali clade gravatum
Pestis acerba feris stringens hinc inde catenis.
Sanguinis arebant siccato flumine venae,
Languida et attractis marcebant brachia nervis.
Ac tenuem flatum de nare frequentius efflans
Singultus miseros mutus sermone iterabat.
Iam quoque progrediens animae calor ostia vitae
Transibat; sed adhuc medicus vivebat Amandus,
Cuius erat meritis aegro tribuenda medela.
Isque monasterio fratrum famulante cohorte
Navigio deductus erat, cum rite peractis
Officiis mensis resideret sanctus edendis
Esuriens epulis, dapibus sed pastus Olympi.
Discipulique pater noscens miserabile vulnus
Leniter arridens miseranti pectore fatur:
'Magna quidem patitur, sed adhuc potiora meretur,
Hunc quoniam nobis iactantia vana rebellem
Contemptusque facit, nimium quis deditus extat.'
Dixit et electum fratrum de plebe benigna
Presbyterum optatae gerulum iubet esse medelae
Parte data panis, calicis quoque pocula laeti.
'Vade' ait 'et monacho fer haec mandata iacenti,
Hauriat ut calicem cum missi fragmine panis;
Crastina cumque dies nocturnas sparserit umbras
Et sol flammicomus puro rutilaverit ortu
Visurusque illum celeri properavero gressu,
Excussus propriis pulso languore grabattis
Incolumis surgat solidatis, impero, nervis,
Obvius ac sano procedat corpore nobis.'
Quid sermone morer, cum non medicina moretur?
Missa etenim monacho patris benedictio vitam
Reddidit et vires medico mandante recepit.
Hinc celer exsiliit summo conamine; tellus
Iam prope functa suis enisa adstare columnis.
Nec cunctatus iter iussum properare viator
Adventante viro procedens obvius almo
Occurrit sanus gratesque rependit opimas.
Linguaque percusso dum format verba palato,
Insonuit sermo clara de fauce loquentis.
Surrexisse dehinc vita remeante cadaver
Admirans fratrum cecinit cum laude caterva.
Qui tamen admonitus mores mutare protervos
Sospes cum venia sociis mirantibus ivit.
Materiae locus est triplicatum texere funem,

346 Alataque *A* 349 stringit *B* 368 *an** Partem dat

Pagina sed multo versu completa redundat
Nec capit ulterius finalis clausula libri.
Pluribus et quanquam studuissem pangere verbis
Gesta viri, quivisse tamen non cuncta notare
Confiteor: nec enim tam parva peregit, ut ullis
Dicere sufficiam scriptis aut promere metris,
Quod fidei donum meritum moresque benigni,
Quanta per aegrotos curatio gratia, quanta,
Virtus bella labor patientia palma triumphus.

XI. Hactenus ad finem celerans, oratio, ducta es
Tramite difficili: nunc cur per devia coeptum
Flectis iter, timidis et te convertis habenis?
Forsan ob hoc, subtriste aliquid quia gesta loquuntur?
Pro! pudor est rutilo comptum fulgore beatum,
Egregios cuius mores descripsimus usque huc,
Qualiter ad vitam per mortis limen eundo
Transierit superi ponendus in aetheris aula,
Diffugere et finem lacrimoso pangere cantu.
Calce tenus ductum metuens concludere textum
Si refugis functum, vel dic: 'per saecula vivit':
Vivit enim angelicis sociatus rite catervis.
Tristitiam liquit moriens planctumque per arva,
Laetitiam fecit caelestibus arcibus amplam;
Terra tenet terram, concrescit pulvere pulvis;
Mortuus in tumulo recubans per dona coruscat,
Ast speciosa choris anima est coniuncta supernis.

XII. Nempe monasteriis per rura, per oppida sparsis
Celsior et melior sese structura levavit
Helnonis nostri. Locus est de flumine dictus,
Quod recipit largoque sinu Scarb purior effert.
Qui fonte ex gemino Iordanis more meantes
Dulcia commixtis coniungunt basia labris,
Quo tumulum retinet sanctus virtutibus auctum.
Qui locus inmenso decoratus honore nitescit:
Pax ibidem pietas bonitas concordia pollet
Spesque fides fraternus amor dilectio summa.
Omne bonum retinens ad caeli culmina tendit,
Omne malum vitans discrimina noxia pellit
Nulla pericla pavens; ubi debilis omnis et aeger
Vota petita fide in medium currente reportat.
O locus! o felix fecundo germine cespes,
Cunctis macte bonis, aeterna in saecula salve:
Veste ove messe bove alite melle ape flumine pisce
Glande sue flore fronde imbre gramine vite,
Omnibus his pollens tali moderante colono,
Omnibus his renitens hoc fecundante patrono!

402 nunc cur] sed nunc *B* 404 substricte *V* 405 Pro dolor *B* 417 *desinit K* 424 sanctus retinet *A* 436 morante *B* 437 renites *B*

Flumina dant pisces, segetes terrestria solvunt;
Escis nempe cares nullis, quia fruge redundas:
Incola namque famem non ore, sed auribus haurit.
Rem canimus miram, quae credula corda requirit:
Vivere post mortem poteris hac scire beatum.
Curricula annorum centum vergente recursu
a. 809 Transierant, numerus pariter partitus et idem,
Transiit aetheream quo vir venerandus ad aulam,
Cum corpus tumuli disiecta mole levatum
Incolume inventum est et dens sublatus ab ore
Fudit sanguineas ut vivo e corpore guttas.
Abneget hoc, facile est, quisquis de corpore Iesu
In cruce confixi percusso militis hasta
Non credit manasse sacras cum sanguine limphas.
Si quaeris testes fidei virtute vacillans,
Huc venias, moneo: aspicies diversa virorum
Agmina multiplicesque senes aetate verendos,
Vas quoque susceptos poterit monstrare cruores.

XIII. O genitor pastor doctor nutritor amator,
Quo locus iste nitet tantorum dives honorum,
Quem caeli regnum veneranda pace receptum
Exaltat decorat conlaudat honorat adornat:
Intercede, piis veniae commercia servis
Ac largire tuis consortia lucis alumnis.
Cumque deus veniens cunctum concusserit orbem,
Cum tremulam terram velox exusserit ignis
Et sol detracta ceu saccus luce carebit
Lunarisque globus furvo claudetur amictu,
Sulphur pix horror tortor tormenta caminus
Affuerint iudexque sedens iustissimus illic
Sanctorumque cohors ornata sedilia habebit,
Inter et hos proceres cum celsum iure tribunal
Consulibus iunctis consederis arbiter orbis,
Iudicium et iustum libris pandetur apertis:
Eheu, quid faciam tunc? me quis sanctus ab ira
Conteget instanti? quae me defensio tantis
Cladibus eripiet? cuius sub tegmine montis
Abscondendus ero, flammis ne exurar acerbis?
Quod me tunc operis iusti velamen opertum
Eximet et tanti secernet ab igne camini?
Oro, tui tunc, sancte pater, miserere poetae,
Dextris atque tuum turmis coniunge Milonem:
Extremum sat erit vel commeruisse locellum.
Est etiam mihimet fiducia magna misello
Hoc opere horrendos extingui posse furores,
Scemate quod vili scriptum est, sed vate fideli.
Parvus honor carmen stolidum est, sed grandia amoris
Sunt mihi vota tuis in laudibus, optime pastor.

---

440 hausit *V* 444 isdem *V* 452 quaeras *A* 463 *om. V* 474 tecmine *V*

Et si respicias animi praecordia nostri,
In his quam fuerit nobis devota voluntas,
Non damnanda aderit, velut aestimo, parva facultas.
Orbis honor nostrumque decus, pater alme, valeto;
Ante tuum tumulum iugiter recinemus: haveto.
Tu dignus salve, nobis praebeto valere.

XIV. En opus, alme deus, hominum sator atque redemptor,
Ad laudem obtulimus praeclari praesulis istud,
Acceptumque tuis ut sit conspectibus, oro.
Omnis in ecclesiam mundus sua munera defert:
Ille nitet sensu velut auro, munus et alter
Argenti eloquio portans candescit honesto
Cantorumque chorus vocali concinit aere;
Fertur ab hoc coccus gemino bis tinctus amore,
Offert et tortam carnis maceratio bissum;
Lignum incorruptum hic corpus gerit inmaculatum,
Actibus ille piis ceu pulchro splendet olivo
Perfususque bono ut timiamate fraglat odore:
Ast ego munificis commixtus coetibus assum
Pauper egenus inops trepidans confusus et angens,
Qui fero nil placitum, quod in aram ponere fas sit.
Pellis ob hoc mihi rubra, genas verecundia pingit.
Hoc carmen textum caprinis offero pilis
Meque simul hircum pro crimine mortificandum.
Sed qui pro minimo viduam quadrante beasti,
Munera, quae solvo, placato suscipe vultu
Et tua laus nostro perduret in ore per aevum,
Qui solium regnumque tenes per saecla supernum.
Care, meum completur iter, requiesce, viator.

EXPLICIT VITA BEATI AMANDI CONFESSORIS CHRISTI DE PROSA ORATIONE IN HEROICUM CARMEN METRICO STILO TRANSFUSA HABENS LIBELLOS IIII. IN QUIBUS CONTINENTUR VERSUS MDCCCXVIII.

VII.

VERSICULI VULFAI IN CONFIRMATIONE OPERIS.

Carmina sidereos merito scandentia campos
Ut vigeant nostro, Milo, favore petis.
Quorum vis tanta est talique refulget honore,
Ut nequeat nostro dicier eloquio.
Aurea materies argento cingitur albo,
Ornat et eloquium lucida massa suum.
Non opus, ut nostri decorentur famine verbi:
Eius honore vigent, cuius amore nitent.
Haec archipraesul toto notissimus orbe
Hincmarus verbis sustulit eximiis.

---

503 flagrat *A* || aeroicum *VB* i. q. c. u. $\widehat{\text{I}}$. DCCCXVIII *B*] *om. V* [VII.] *incipit K* uersus uulfagi *A* operis milonis *A* 3 fulget *A* 4 nequeant *AK* 8 Cuius *V* cuius] eius *V*: *cf. infra III 1* 14 *Hucbaldi versum* 10 Hingmarus *B*

[VII.] *De Vulfaio, Hincmaro, Teudrico, ceteris v. supra pag.* 558.

Haec pater et dominus, Cameracae gloria plebis,
Teudricus tali laude beavit ovans:
'Carmina dulcisono nimium currentia plectro,
Digna manete polo, macta valete deo'.
Praebuit his stipulam praeclarus episcopus Emmo,
Affigens digitis pulchra elementa suis.
Haec pater et pastor clero gratissimus omni
Mitis Adalardus extulit ore pio.
Haec tuus haecque meus Haiminus iure magister,
Quo duce, firmavit, devia nemo petit.
Corpore praemodicus, sed mentis acumine magnus
Teudingus dextram praebuit ipse suam.
Quae domus, oro, ruat tantis suffulta columnis?
Flumina nulla pavet, flamina nulla timet.
Sed tamen ut numerus septenus sit perfectus,
Septima sum tecto, Milo, columna tuo.
Sunt equidem nostro tua carmina digna patrono
Iudicio nostro, cuius honore micant.
Virgilii pulchro suras iam cinge coturno,
Sed supera falsum vera canendo virum.

II.

Lumen in aethereo, quo clarus haberis, Olympo
Monstrasti monachis, praesul Amande, tuis.
Da famulis ambire tuae consortia vitae,
Ut valeant donis participare tuis.

III.

I.

KAROLO IMPERATORI AUGUSTO HUCBALDUS.

Aurea lux mundi, Francorum gloria regni,
Inclite Caesar, ave, spes et honor patriae.
A proavis nomen retinens, pariter quoque numen
Carus christicolis Carolus es populis,

---

11 camaracae *V* 15 emmo] imo *A*

[II.] *Milo de elevat. S. Amandi c. 2 (A. SS. Febr. I 893 = Migne 121,982):* finitis matutinorum solenniis ac die iam clarescente *(sc. 20. Sept. 855)* vulgata facti fama *(sc. cereos ad S. Amandi sepulcrum divinitus esse accensos)* omne monachorum agmen in basilicam venit atque trinitati excelsis laudibus vocibusque iubilantibus benedixit . missarum deinde solennia pro eiusdem honore patris ultra solitum devotissime implevit . cuius inexplicabilis melodiae cantilenam diutius protelatam ego ipse, qui haec describo, coram positus et audivi auribus et ignem oculis vidi atque hos etiam versiculos in ipsis concentibus tanto pontifici dixi: Lumen — tuis.

Cui deus, imperio mundum qui condidit almo,
Imperii sedem praebuit ipse piam.
Hinc quia nobiliter regni moderaris habenas,
Affectant cuncti flectere colla tibi
Subque tuo totus concurrit foedere cosmus
Te rectore sibi iura petens fieri.
Quin etiam tanti congaudens principis omen
Orbis Roma caput subdidit ipsa caput.
Plura sed ut paucis concludat pagina verbis:
Cuius amore cales, eius honore potes.
Praeterea, quoniam commissi iura decenter
Disponis regni tu quoque lege dei,
Interius dum praefulget sapientia sensus
Exteriusque domus praenitet ex opibus,
Cum Salomone potens, prudenti pectore pollens
Terram laude reples, mente superna tenes.
Et quia praecelsae rimaris dicta sophiae
Huicque frequens animus gaudet adesse tuus,
Suscipe magna quidem, sed parvo pondere dona,
Quae tibi ΠΔΝΔΕΚΤΕϹ aggregat hic pariter,
Quo rudis et priscae legis congesta nitescunt
Famina, quae biblo scripsit in hoc modico
Milo, poeta tuus, noster didascalus idem,
Ingenium cuius hoc bene prodit opus,
Carmine qui quondam vitam descripsit Amandi
Praesulis eximii, detulit atque tibi.
Hunc quoque conscriptum vestro sub honore libellum
Dum cuperet votum per celebrare suum,
Occidit humanae persolvens debita vitae,
Carpens aethralem sic super astra viam.
Sed prius algentes quam vita relinqueret artus,
Iusserat ista mihi pignora cara dari.
Hinc aestu coepi sed mox angoris aduri,
Frontis in hoc libro quid facerem titulo,
Non reputans illum fas demere, nomine claro
Cum foret insignis principis Ausonici.
Haec dubiam stabilis fixit tamen anchora mentem,
Ne fieret titulum pagina muta suum,
Quin vice defuncti supplex sua munia complens
Ipse darem faustis Caesaris haec manibus.
En opus, en coeptum tanto sub nomine carmen
Examen vestrum spectat adesse pium.
Huc ades, Augusti clementia, semper in omnes
Quae virtute vales et bonitate viges:
Sobrietatis habes laudes hic bella trophea
Ingenio vigili, carmine scripta brevi.

[III.] [I.] 23 paruo sed *E*

[III.] [I.] 25 rudis lex *i. novum testamentum, ut apud Sedulium, Aldhelmum, Alcvinum.*

Quae si forte tuo donentur nempe favore,
Ad decus ecclesiae fers pia dona sacrae.
Hic via, vita, salus, divis hic inclita gazis
Dona dei rutilant, quae super astra vocant.
Quo te decursum post hoc feliciter aevum
Regna beata tenens collocet omnipotens.
Haec igitur, salebro sint quamvis carmina versu,
Obsecro ne temnas, rex pie, sed relegas.
Caesar, vive potens, felix, sine fine valeto
Hucbaldique memor sis, rogo posco precor.

Si bene te tua laus taxat, sua laute tenebis.

II.

GLORIOSO REGI KAROLO MILO SUPLEX.

Principibus priscis vatum placuisse Camenas
Novimus et sumptos tali pro munere honores.
Virgiliusque suum calamo trivisse labellum
Non doluit, quoniam amissos servavit agellos.
Naso, Tomitanis peregrinus et exul in oris,
Carmine multiplici mulcebat principis aures.
Porphirium variis quae pinxit metra tabellis
Solvere exilio biathanaton, ore putentem
(Christicolis vomuit quia plurima probra nefandus,
Conqueror auxilium vos huic tribuisse, Camenae).
Tarquinius Priscus Cumanae scripta Sibillae
Empturus pretii pondus causatur enorme
Et dare detrectat, quod vates avara requirit,
Sed tribus exustis nimio discrimine libris
Sex reliqui sero pretio taxantur eodem.
Graeculus Augusto cum ferret xenia metri
Et caperet nullum tanto de principe donum,
Non ille audaces compescuit ante Camenas,
Donec, ab Augusto elicitis vel versibus, ipsi
Redderet oblato geminos pro carmine nummos:
Disticon accipiens pauperque minuta rependens
Se largum memorat, regem condemnat avarum.
Post oblatus ei corvus, dum voce salutans
Spernitur, has deflens effundit ab ore querelas:
Impensas operas memorans periisse nec ullum
Solamen baiulo se posse rependere egenti,

---

61 *versum recurrentem bis ita, ut crux inde formetur, posuerunt AE* [II.] 5 tamitanis *corr. A*

[II.] 1 *Cfr. Hor. Epl. I* 17, 35; *Milonem Hucbaldus imitatur in invocatione ante Laudem calvorum, ut adnotavit Desplanque.* 3 *Cfr. Ecl. II* 34. 4 *Vide e. g. Donati vit. Verg. (Sueton. ed. Reifferscheid pag.* 59). 7 *Porphyrium Optatianum et philosophum Porphyrium, de quo legerat apud Hieronymum, in unum confudit.* 11 *Cfr. Serv. ad Aen. VI* 72. 16—22 *Cfr. Macrob. Sat. II* 4, 31 *(unde eandem historiunculam sumpsit Wibaldus Monum. Corbeiens. ed. Iaffé pag.* 288). 23—28 *Cfr. Macrob. l. c.* 30.

Sicque negata prius commercia plura reportat.
Milo, poeta tuus, rex illustrissime regum,
Corvus ego crocitans humili te voce saluto,
Perfidus ille Noe non qui pia claustra refugit,
Sed qui mane pium pavit, qui vespere vatem.
Multiplici vestro quia mens mea fervet amore,
Hoc satis exiguum transmitto poema precorque,
Ut tibi tuta salus et perpes gloria cuncto
Tempore sit vitae, donec translatus ad astra
Cum Christo maneas, vigeas cum regibus almis,
Sitque ex te genitis felix successio regni.
Carmina lege carent, si praemia nulla merentur.

III.

UTILIA TELA SACRAE PARCITATIS ADVERSUS COQUUM BABYLONIS DE DIVINAE SCRIPTURAE PHARETRIS EDUCTA STUDIO MILONIS CAENOBITAE AMANDI ALMI AC BEATI CHRISTI PRAESULIS.

HAEC CAUSAS OPERIS COEPTI PRAEFATIO PANDIT.

Sobrietas caput huius erit finisque libelli,
Pro qua distinctas acies ad bella vocavi
Telaque divinis collegi plura pharetris.
Milo sacerdotum minimus peccamine magnus,
Praesul Amande, tuam qui scripsi carmine vitam,
Hunc ego, lector, ovans calamo currente notavi.
Cum monachos nostros iam vespertina sinaxis
Cogeret ad solitos dicendos cantibus hymnos,
Immeritum me stare choro tunc compulit ordo
Maerentem pro causa animae scelerumque meorum.
Tunc praecentor agens fraternam hac voce cohortem
Sustulit elatum super alta cacumina rithmum:
'Hymnos, o socii, cantate et cantica Sion.'
Quo cantu admoniti qui stabant arte periti,
Emissas reboant alta usque ad sidera voces:
'Sedimus ignotos dirae Babylonis ad amnes,
In ramis salicum suspendimus organa nostra' —
Namque hic psalmus erat, quem tunc chorus ille canebat —
Se neque posse aliena in terra dicere carmen

---

29 cracitans *E* [III.] 5 scripsi qui *E* 8 ymnos *corr. A*

30. 31 *Cfr. Sedul. C. p. I* 170—175. [III.] 3 *Cfr. Aen. V* 501. 13—21 *Psal.* 136, 1 super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. 2 in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. 3 quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. et qui abduxerunt nos: 'hymnum cantate nobis de canticis Sion'. 4 quo modo cantabimus canticum domini in terra aliena? 16 *Prudent. Ditt.* 23:

Gens Hebraeorum peccamine capta frequente
Fleverat exilium dirae Babylonis ad amnes.
Tum patrios cantare modos praecepta recusat
Organaque in ramis salicis suspendit amarae.

Illud, in antiqua patria quod ferre solebant,
Hic quia captivi lacrimosis planctibus irent.
His ego tunc stupui; postquam me corde recepi,
Mente revolvebam patrum documenta priorum
Percepique, bonis gula quod contraria cunctis
Esset, florigero pro qua depulsus ab horto
Primus Adam vallem natos generavit in istam,
Quo puer a cunis et matris ab ubere vagit.
Ac veluti populus sancta a tellure fugatus
Septimanisque decem annorum in Babylone locatus
Fletibus organicos cantus mutavit amaris,
Non aliter nobis hac in convalle gemendum.
Haec mihi causa fuit hos versu scribere trenos.
Suggere verba mihi veniens, o spiritus alme,
Sensibus inque meis rorem diffunde supernum,
Ut, quod lingua canit, faciat manus, actio firmet,
Sermo meus sit cordi habilis, suasibilis auri,
Corrigat auditus, lectus struat ordinet actus.
Tunc certo sonitu tuba belli classica clanget,
Tunc non vanescent nec in aera verbera abibunt,
Si concordet opus calamo, si dextera plectro.
Annue, Christe, queam quo laudes sobrietatis
Promere, dactilicis et scribere digna Camenis.

IV.

HIC PROLOGI FINIS. TITULI HINC EX MORE SEQUENTUR.

I. Israhel captivus in Babylone absentiam sanctae terrae deflesse narratur.
II. Coquus Babylonis templum dei incendisse memoratur.
III. Allegorice eadem declarantur.
IIII. Flendum in huius vitae exilio, ut ad patriam redeamus.
V. Documenta a protoplasto sumenda, qui pro gula paradiso pulsus est.
VI. Quod Noe vino nimio sumpto a filio derisus est.
VII. Sodomorum saturitas ac poena et Loth ebrietas notatur.
VIII. Esau pro ingluvie primitiva sua fratri vendidisse damnatur.
VIIII. Populus Israhel carnibus pastus concupiscentiae poenam luit. Qui item post esum idola coluit.
X. Dux Aoth ventriservium Eglon sica scidit.
XI. Samson mel de fauce leonis sumpsit.
XII. Samuhel gastrimargum Agag in frusta dissecuit.
XIII. Heliae sobrietas angelicis cibis pasta ad paradisum reducitur.
XIIII. Heliseus prophetas reficiens amaros gustus ollae dulcorat.
XV. Danihel abstinens legumine pascitur.
XVI. Iudit sobria caput Holofernis retulit.
XVII. Hester ieiunia Aman ad crucem subrigunt.
XVIII. Septem fratres sub Antiocho pro continentia trucidantur.
XVIIII. Actus priorum patrum breviter commemorantur.
XX. Virtutum et vitiorum pugna in antiquis figurata monstratur.

---

26 *Cfr. Psal.* 83, 7. 29 *E. g. Dan.* 9, 2. 39 *Prudent. Apoth.* 404 verbera linguae.

XXI. Utilis admonitio et de dei armatura agitur.
XXII. Turris aedificanda virtutum sumptibus docetur.
XXIII. De praeceptis geminae dilectionis et veste illius.
XXIIII. De vitio invidiae vitando.
XXV. Contra superbiam plurima exempla humilitatis.
XXVI. De avaritia, quae plurimos perdit.
XXVII. Documenta contra hanc et de multiplici prole illius.
XXVIII. De fructibus elemosinae et vilico euangelico.
XXVIIII. De fame divini verbi et in praesenti laborandum, ut in futuro vivamus.
XXX. De pugna Ionathae mirabili et quod violato ieiunio proximus periculo fuerit.

HIC FINIS TITULI . TEXTUS NUNC IPSE SEQUETUR.

INCIPIT HIC PRIMUS DE SOBRIETATE LIBELLUS.

I. Hebraicus populus semper peccare suetus,
A Solymis profugus patriisque abductus ab arvis
Et nimis ille suo miser ab Iordane remotus
Plangebat circum Babylonica flumina tristis.
Conditione pari, parili non crimine capti
Fletibus augebant plebis lamenta prophetae.
Maerentem vidit Chobar alveus Ezechielem;
Qui gravitas nostro fertur sermone Latino;
Quem dicunt Tigrin; de quo Raphahele iubente
Extractus piscis caecatum lumine Tobin
Reddidit exactos luci post quatuor annos;
Vatidicus Danihel iuxta quem somnia vidit
Multaque divinis capiens oracula signis
Tempora venturi Christi descripsit in orbem.
Eufrates quoque Hieremiae lumbare putrescens
Abdidit, historice si dictum creditur actum. —
Haec alias: fletus causas nunc pande petenti,
Spiritus alme, mihi (Aonias non invoco Musas,
Pierides Siculis mixtae iam longius absint);
Da mihi, quod dicam; da, linguae ut concinat actus.

4 babilonica (*similiter* misterium tipicus scilla *tantum non omnibus locis, cfr. supra pag.* 582 *ad v.* 141) *A*

7 *Ezech.* 1, 1 et factum est in trigesimo anno . . , cum essem in medio captivorum iuxta fluvium Chobar. 8. 9 *Hieronym. comment. in Ezech.* 1, 1 *(Migne* 25, 18*)* captivum sedisse populum super flumina Babylonis David prophetat *(Psalm.* 136*)*; Chobar autem aut nomen est fluminis aut certe iuxta interpretationem suam, qua in 'grave' vertitur *(cfr. Hieron. onomast. ed. de Lagarde pag.* 57, 9*)*, Tygrim significat et Euphratem. 9 *Tob.* 6, 1 profectus est Tobias .. et mansit iuxta fluvium Tigris. 2 .. ecce piscis immanis exivit .. 4 et dixit ei angelus: .. 'trahe eum ad te'. 11, 7 dixitque Raphael ad Tobiam: .. 'accede ad patrem tuum *(Tobiam)* .. 11, 8 statimque lini super oculos eius ex felle isto piscis ... et videbit pater tuus lumen caeli'. 12 *Dan.* 10, 4 eram iuxta fluvium, qui est Tigris .. 5 et levavi oculos meos et vidi. 9, 25 animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem .. 15 *Ierem.* 13, 7 abii ad Euphraten .. et tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud: et ecce computruerat lumbare .. 9 haec dicit dominus: 'sic putrescere faciam superbiam Iuda.' 18 *Rudbert. Paschas. carm. IV* 1 *(supra pag.* 52*)* Aoniae nunc non *(sic legendum)* gelida de rupe Camenae | ut veniant petimus: verum te, Sophia virgo. 19 *Cfr. Ecl. III* 85; *IV* 1.

Exulibus patriae miseris absentia sanctae
Venerat in mentem et speciosi culmina Sion;
In quo conspicui steterat prius aula sacelli;
Quod Salomon quondam ter cocto ornaverat auro;
Quo Parius lapis et hiacinthina vela nitebant,
Beselehel docta quae neverat arte peritus
De tenui lana, quam pectunt arbore Seres,
Serica purpureis intexens stamina tramis;
Quo sancta a sacris cortina aurata sequestrat;
Arca ubi de lignis obrizo tecta metallo
Cum tabulis manna servans virgamque Aaronis,
Quae cum flore nucem peperit, sine semine fructum:
Nucleus ex virga genitus de virgine Christus.
Sic patriarcha Iacob tres nudat cortice virgas,
Ut varios ovium foetus conceptibus edat,
Dum pastae ad potum monitu pastoris aguntur:
Qui sitit huc veniat, quo vitae pocula sumat.
Sed breviter virgas quas diximus arbore sumptas
Expediam, si rite patrum documenta recordor:
Ex platani foliis, umbra quia spiritus alma
Sanctus in umbrata formavit virgine Christum;
Hinc cortex storacis, suaves quia spargit odores
Virgo deum gignens, quem radix signat Iesse;
Virga nucis, Christus quoniam nucis est cibus intus
(Cerne deum nostro velatum corpore Christum).

---

40 *umbram *AE*

22 *Cfr. supra pag.* 613 *ad praefat. v.* 13. 23. 24 3 *Reg.* 6, 20 operuit illud *(oraculum)* auro purissimo .. 22 nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur .. 36 et aedificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum. 26 *Exod.* 36, 1 fecit Beseleel .. 8 feceruntque .. cortinas X de bysso retorta et hyacintho et purpura coccoque bis tincto. 27 *Cf. Ge. II* 120. 28 *Cfr. Fortunat. V. M. II* 88. 29 *Exod.* 26, 33 inseretur velum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, quo et sanctuarium et sanctuarii sanctuaria dividentur. 30 *Exod.* 37, 1 fecit Beseleel et arcam de lignis setim .. 2 vestivitque eam auro purissimo. 31 *Exod.* 16, 34 posuit illud *(man)* Aaron in tabernaculo reservandum; *Numer.* 17, 10 dixit dominus ad Moysen: 'refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi'. 32 *Numer.* 17, 8 *(Moyses)* invenit germinasse virgam Aaron et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. 33 *Pseudo-Melito ed. Pitra Spicileg. Solesm. II* 378 nuces incarnatio: 'et virga germinavit nuces' *(cf. Sabatier Biblior. sacror. lat. version. antiq. I* 297*)*. 34 *Gen.* 30, 37 tollens Iacob virgas populeas virides *(Hieronym. quaest. in genes. l. c. ed. Migne* 23, 984 quamquam LXX *[non populeas, sed]* styracinas .. habeant; *Cyprian. ed. Peiper genes.* 983 storaci mox altera *[virga]* dempta est*)* et amygdalinas et ex platanis, decorticavit eas .. 38 posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas et in aspectu earum conciperent. 39 factumque est, ut oves parerent maculosa et varia. 37 *Ioh.* 7, 37. 40 *Pseudo-Melito l. c. pag.* 109 umbra . incarnatio dei: 'et virtus altissimi obumbrabit tibi' *(Luc.* 1, 35*)*. 43 *Ies.* 11, 1. 44 *Augustin. serm.* 245 *(ed. Migne V* 2196*)* quod haec virga *(Aaron)* nuces produxit, imago dominici corporis fuit. nux enim trinam habet in suo corpore substantiae unionem: corium, testam et nucleum ... in corio nucis carnem significat salvatoris, quae habuit in se asperitatem passionis, in nucleo interiorem declarat dulcedinem deitatis. 45 *Cfr. infra II* 67.

Sed tamen, ut coeptum repetam iam carmine planctum,
Captivus populus cur fleverit, explicet ordo.

II. Rege sub infando Nabugodonosor Nabuzardan,
Miles sive coquus qui nomine, turpior actu
Extitit et raptor, quo non sceleratior alter.
Hic domini templum toto venerabile saeclo
Iure ministerii spoliavit et ignibus arsit.
Aurea vasa dei ferventis ab igne culinae
Immundis manibus tractabat, spurcus ut ollas,
Ex quibus ardentes rapiebat furcifer escas.
Partem vasorum rex abstulit; iste reliquit
Improbus intactum nil et nihil inviolatum.
Principibus fretus septenis rex prius urbem
Obsedit clausit patefecit diruit arsit;
Iste manus audax nec ab ipso altare removit.
Hic capitella, bases confregit ad usque columnas;
Iste etiam vitreum mare transtulit in Babylonem
Et labrum ac ciatos, fialas lebetesque creagras.
Iste sacerdotes et septem consiliares
Bellacesque viros et scribas atque eunuchos
Tyronesque probos iugulavit fudit abegit,
Rex quibus infandus (sed huic feritate secundus)
Clemens ante fuit; nulla hic pietate pepercit
Crudelis cunctis, solo hoc laudabilis actu:
Pauperibus nudis vacua in tellure relictis.

III. Mystica cuncta tibi lectori haec lectio signat.
Rex ferus est zabulus, cuius coquus impietatis
Illud erit vitium, quod gastrimargia fertur,
Ecclesiae in populos quae vastos suscitat ignes.

---

73 castrimargia *et sic deinceps A*

48—70 4 *Reg.* 24, 11 venit Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem *(Ierusalem)*. 13 et protulit inde omnes thesauros domus domini .. et concidit universa vasa aurea .. 14 et transtulit omnem Ierusalem .. nihilque relictum est exceptis pauperibus populi terrae; *Ierem.* 52, 12 venit Nabuzardan princeps militiae (*ἀρχιμάγειρος LXX, cf. Augustin. quaest.* 127 *in genes.* nolunt quidam praepositum coquorum interpretari, qui Graece *ἀρχιμάγειρος* dicitur, sed praepositum militiae .. nam sic appellatus est ille, quem Nabuchodonosor misit, penes quem potius invenitur primatus fuisse militiae) .. 13 et incendit domum domini. 17 columnas aereas, quae erant in domo domini, et bases et mare aereum (vitreum *unde Milo sumpserit, ignoro*), quod erat in domo domini, confregerunt Chaldaei .. 18 et lebetes et creagras et psalteria et phialas et mortariola et omnia vasa, quae in ministerio fuerant, tulerunt; et hydrias et thymiamateria et urceos et pelves et candelabra et mortaria et cyathos .. tulit magister militiae 20 et columnas (et bases 4 *Reg.* 24, 16) .. 22 et capitella .. 24 et tulit .. sacerdotem primum .. et secundum 25 et .. eunuchum, qui erat praepositus super viros bellatores, et septem viros, qui videbant faciem regis, .. et scribam principem militum, qui probabat tirones, .. 27 et percussit eos rex Babylonis. 58 principes septeni, *quia praeter gastrimargiam septem sunt vitia principalia* 72—81 *Isidor. Allegor.* 127 *(Migne* 83, 116) Nabuchodonosor rex typus diaboli fuit, qui haereticorum plebem erroris captivitate devictam de Ierusalem, i. de ecclesia, in Babyloniam, i. in ignorantiae confusionem, abduxit. 128 princeps coquorum, qui muros Ierusalem subvertit, hoc significat, quod omnes, qui ventris desiderio serviunt, virtutes animae destruunt.

Pauperibus parcit, quia his dominatur egestas;
Divitibus patulas in fauces ingerit offas.
Dicam, quod dolor est: sacratis impia vasis
Turpiter adtactis iam nullum praebet honorem.
Hinc fuit hic luctus, quo nostri carminis ordo
Coeperat; hoc fixum lector sibi mente recondat.
Quod Babylon signat, scelerum confusio nostra est,
Robustus contra dominum quam struxerat hostis,
Qui zabulum pingit cuiusque superbia turris
Cum structore suo lapso lapsura per aevum,
Qui cupit humanas iugiter venarier escas.
Fluminis hic fluxus, quod mundi ab origine fluxit;
Iste locus salicum, quo multus surgit amaror;
Organa quo cessant, quia tristia plura resultant.
Has Babylonis aquas meretrix aurata retentat,
Exul quod vidit domini sinmista Iohannes,
Qui gustum melioris aquae de pectore Iesu
Hausit et in totum ructavit pocula mundum,
Laetificatque dei hic fluminis impetus urbem.
Sic missi Siloe vadit piscina silenter,
Ad quam missus abit caecus genetrice creatus,
Hac quoque fotus aqua remeat visumque reportat
Et docet indociles; synagoga pulsus Iesum
Invenit in templo, credit veneratur adorat.
Nos Evae ex utero caecos generatio fudit;
Tunc oculos clausit, cum delectabile pomum
Vidit et acceptum morsu cum morte momordit.
Sed pia lux Christus, quae mundum illuminat omnem,
Venit et amissum iam lumen reddidit orbi.

IIII. Exulibus nobis paradisi sede fugatis
Si venit in mentem patriae mutatio nostrae,
Flebilibus lacrimis vita plangamus in ista,
Laetius antiquos donec redeamus ad hortos.

82—85 *Gen.* 10, 9 *(Nemrod)* erat robustus venator coram (contra *Augustinus*) domino. ob hoc exivit proverbium: quasi Nemrod robustus venator coram domino. *Isidor. Allegor.* 17 *(Migne* 83, 103*)* Nemrod gigas diaboli typum expressit, qui superbo appetitu culmen divinae celsitudinis appetivit. *Augustin Civ. dei XVI* 4 *(Dombart tom. II pag.* 131, 1*)* sic ergo intellegendus est 'gigans' iste 'venator contra dominum'. quid autem hic significatur hoc nomine, quod est 'venator', nisi animalium terrigenarum extinctor? erigebat ergo cum suis populis turrem contra deum, qua est impia significata superbia. 86 *Cfr. Gen.* 2, 14. 87 salicibus *amaritudinem significari non inveni ante Petrum Capuanum (ap. Pitra Spicileg. Solesm. II* 365*).* 89. 90 *Apoc.* 17, 1 meretricis magnae, quae sedet super aquas multas. 4 .. mulier erat .. inaurata auro. 91 *Ioh.* 13, 25 cum recubuisset ille supra pectus Iesu. 93 *Psal.* 45, 5 fluminis impetus laetificat civitatem. 94—98 *Ioh.* 9, 1 Iesus vidit hominem caecum a nativitate. 7 et dixit ei: 'vade, lava in natatoria (piscina Siloa *inscribitur Prud. Ditt.* 33) Siloe' (quod interpretatur missus). abiit ergo et lavit et venit videns .. 15 iterum interrogabant eum Pharisaei, quomodo vidisset. ille autem dixit: .. 'lavi et video' .. 34 eiecerunt eum foras .. 38 at ille ait: 'credo, domine'. et procidens adoravit eum. 99—103 *interpretatio praecedentis miraculi sumpta ex Sedulii Carm. pasch. IV* 251—270.

Hoc lamento etenim quisquis modo flere recusat,
Flebit in aeternum, cum iusti gaudia habebunt.
Nos sibi templa pius Salomon rex ille paravit.
Pacificus, pacis qui foedera liquit alumnis,
Nos tenues auro sensus ditescere fecit:
Non peregrina petens, sed corpus ad aethera librans,
Dum limum fragilem caelestem duxit ad aulam,
Argenti servis tractanda talenta reliquit:
Nos sumus hi servi, pretio quia sanguinis empti.
Perforet ista tuas aures, o lector, inauris,
Ista philacteria et tibi timpora frontis adornent,
Lamina compta tibi lapidum fulgore corusco
Non oculis absit, non pilleus iste capillos
Deserat: ut canos sensus in pectore gestes,
Ut manibus libros, ut nigros semine campos
Ore legens et mente tenens sis plenus odoris
Frugiferi spinisque carens sis culmus opimus,
Quo granum superi condaris in horrea caeli.

V. Disce igitur repetens formati ab origine mundi,
Sobrietatis honos quantum viguisse legatur
Ingluviesque simul quantum damnosa probetur.
Primus Adam manibus formatus cunctipotentis
Ieiunus, paradise, tuus fuit incola felix.
Punicei post haec captus dulcedine pomi,
Dum nimis indulget seductae mollior Evae,
Elisiis fugiens, peregrinus et exul, ab oris
Milibus annorum flevit sub Tartara quinque.
Haec Christus veniens damnosa piacula solvit;
Pro temere acceptis ex ramis arboris escis
Fellea gustavit clavisque ad cornua ligni
Transfixus palmis loetum persensit amarum;
Tartaream sedem penitrans primum inde parentem
Extulit et noto iam tandem reddidit horto.

VI. Hystoricus Moyses, dum patrum digerit actus,
Monstrat inauditas prius hac ratione figuras
Inque superficie clausam tenet ille medullam,

---

113 *Nos peregrina petens et corpus *AE* 140 orto *AE*

110 *Isidor. Allegor.* 91 *(Migne* 83, 113*)* Salomon Christi praenuntiat figuram, qui aedificavit domum deo in caelesti Ierusalem non de lignis et lapidibus, sed de sanctis omnibus *(Milo legit* hominibus*)*. 111 *Ioh.* 14, 27 pacem relinquo vobis. 113—116 *Isidor. Allegor.* 199 *(Migne* 83, 124*)* homo peregre proficiscens, qui tradidit bona sua servis suis *(= Matth.* 25, 14*)*, Christus est, qui post resurrectionem suam ad caelos regrediens tradidit euangelicam gratiam euangelicis negotiatoribus fenerandam. 116 1 *Petr.* 1, 18 scientes, quod non .. argento vel auro redempti estis .., 19 sed pretioso sanguine. 122 nigri campi *sunt membranae atramento sulcatae, cfr. pag.* 578 *ad v.* 448. 125 *E. g. Matth.* 13, 30. 126—140 *Gastrimargiae originem multi ex Adam repetiverunt, inter quos Ambrosius, Cassianus, Gregorius.* 134 *Anni sunt Hieronymiani.* 141—172 *Cfr. Ambros. de Elia et ieiunio* 5. 141 *Prud. Hamart.* 339 historicus | Moyses.

Quam veniens dominus legislatorque retexit,
Hordea qui fregit, dum turbas pane refecit.
Noe iustitiae merito servatus in arca,
Dum cataclismus aquis totum desaevit in orbem,
Extitit inlaesus, mundo pereunte superstes.
Aptatam ternis cameris distinctius arcam
Explicat; haec homines, volucres pecudesque ferasque
Continet hisque gradus meritorum insignia reddunt.
Longum est multiplices versu monstrare figuras
Et triplices sensus trimoda cantare Camena:
Disce, precor, vitae documentum, lector, honestae:
Ingluvie ventris per foeda cadavera corvus
Discurrens avido dum complet guttura rostro,
Ulterius non vult intra arcae claustra teneri.
Non homo, non serpens, non reptile, non leo frendens,
Non elephas grandis membris gibberque camelus
Est ausus patulis arcae prodire cavernis,
Usquequo deficeret transacti causa pericli;
Facta in amore gulae velox oblivio vitae
Servatae: sic gastrimargia reddita mundo.
Quam prior hic corvus docet impietate magistra,
Sobrius ille Noe dum claustris conditur arcae;
Ut tamen evasit mundo iam liber aperto,
Insolito dum mutat aquas per labra Liaeo,
Tegmine nudatus nato derisus ab uno
Hic prior excepit, quid Bacchica munera possent.
Evigilans Noe (lector, vigilare memento:
Dormit enim graviter, qui potibus ilia complet)
Auditu didicit, quae Cham sibi filius egit.
Non tamen auctorem scelerati iniuria facti
Cham patrem tetigit: Chanaan maledictus abivit.
Perfidiae, Iudaea, tuae cognosce figuras,
Quae Christo moriente tuis maledicta precaris
Reliquiarum avidis dimittens fragmina natis:

---

147 catacl/^{s}mus *A* 169 bacchica *sic A* 172 sibi *E*] *om. A*

145 *E. g. Matth.* 15, 32—38. 146 *arca, quam Noe iussus est facere, teste Augustino (Civ. dei XII* 26*) Christus est.* 149 *Gen.* 6, 16 deorsum coenacula et tristega facies in ea (= inferiora bicamerataet tricamerata facies *apud Augustinum*). 149. 150 distinctius explicat *sc. Moyses.* 151—155 *animalibus iis, quae arca continuit, quamquam pro eorum indole terna significatio assignari potest (i. historica typica moralis, cfr. Gregor. Moral. ep. miss.* 3 *apud Migne* 75, 513*), tamen quia tot figuras enarrare longum est, unum eligo corvum, cuius libido inhonesta tibi documento sit, ne in idem vitium incurras.* 155—164 *Augustin. contra Faust. XII* 20 *(corvus)* significat homines in inmunditia teterrimos. 155. 156 *Prud. Ditt.* 3, 11 corvus enim ingluvie per foeda cadavera captus; *Sedul. C. p. I* 172 corvus .. rapinis| deditus atque avido saturans cava gutture rostro | nunc bonus Heliae, qui perfidus antea Noe. 172—176 *Isidor. Alleg.* 15 *(Migne l. c. pag.* 103*)* Cham Iudaeos significat, qui Christum incarnatum atque mortuum derident. 16 Chanaam, filius eius, qui pro patris delicto maledictione damnatur, posteritatem indicat Iudaeorum, qui in passione domini damnationis sententiam exceperunt, clamantibus Iudaeis: 'sanguis eius super nos et super filios nostros' *(Matth.* 27, 25*).*

Uvam quam mandis, qua nati dente stupescunt,
Uva haec est Christus; mors est iuvenilis acerba.
VII. Hinc Sodomita satur nimiisque gravatus in escis,
Quem cremat ignito lutulenta ardore libido,
Pro merito periit, quia sulphure coctus et igne est,
Totaque pentapolis fervens ardore putente
Usque hodie praebet monimenta tuentibus ipsam,
Dum gignit fructus incerto tempore inertes.
Figmentumque salis coniunx mutata sapores
Mentibus infundit; cuius meminisse necesse est,
Si mundum refugo cupias post linquere tergo.
Laudabo et plangam te, Loth, patriarcha beate,
Vincere praevaluit quem non Sodomiticus ardor,
Non ignis, patriam qui totam absumpsit avitam:
Dum Segor a vitula post consternante recedis
Ad montem aufugiens virtutum, culmine in ipso
Sterneris, heu nimio dum figis bassia Baccho,
Et tales generas natos natabus ab ipsis,
Ecclesiam domini qui non intrare merentur.
VIII. Dic, saetose Esau, plena confise pharetra,
Dum redis esuriens, venabula cassa reportans,
Primitiva tua quae vendere causa subegit:
Vile holus anne cicer seu lentis coctio rubrae?
Ingluvies ventris, quae gastrimargia Achivo

178 quam] quae (*quod item habet E*) *corr. A* 194 Steneris *A*

178 *Ezech.* 18, 2 proverbium istud: patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt. 179 *Pseudo-Melito* 102 *(Pitra Spicil. Solesm. II* 455*)* uva Christus. 181 *Prud. Ps.* 87 lutulenta (luculenta *male Dressel*) libido (*sc. Sodomitarum*). 183 *Sap.* 10, 6 haec iustum a pereuntibus impiis liberavit fugientem descendente igne in pentapolim. 7 quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra et incerto tempore fructus habentes arbores et incredibilis animae memoriae stans figmentum salis. 188 *Isidor. Allegor.* 32 *(Migne* 105*)* uxor Loth eorum tenuit typum, qui per gratiam dei vocati postmodum retro respiciunt. 192 *Hieronym. Hebr. quaest. in genes.* 19, 30 respondebimus veram esse illam Hebraeorum coniecturam de Segor, quod frequenter terrae motu subruta Bale primum et postea Salisa appellata sit; *id. ad* 14, 3 tradunt Hebraei hanc eandem in alio scripturarum loco Salisa nominari dicique rursum *μόσχον τριετίζουσαν* i. vitulum conternantem (consternantem *codd. aliquot apud Martianaeum*). 197—213 *Gen.* 25, 21 *(dominus)* dedit conceptum Rebeccae. 22 sed collidebantur in utero eius parvuli; quae ait .. 'quid necesse fuit concipere?' .. 23 *(dominus)* respondens ait: .. 'maior serviet minori' ... 25 qui prior egressus est, .. erat totus in morem pellis hispidus vocatumque est eius nomen Esau. protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu et ideirco appellavit eum Iacob. .. 27 .. factus est Esau vir gnarus venandi .. 29 coxit Iacob pulmentum; ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait: 'da mihi de coctione hac rufa'. .. 31 cui dixit Iacob: 'vende mihi primogenita tua' ... 33 et *(Esau)* vendidit primogenita. 34 et sic accepto .. lentis edulio .. abiit. 27, 1 .. Isaac .. vocavit Esau .. et dixit ei ... 3 'sume .. pharetram .. et egredere foras .. 4 fac mihi pulmentum' .. 5 quod cum audisset Rebecca *c. q. s.* 27, 36 *(Esau ait)*: 'iuste vocatum est nomen eius Iacob: supplantavit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit et nunc secundo surripuit benedictionem meam.' *Augustin. Civ. dei XVI* 37 ubi discimus in vescendo non cibi genere, sed aviditate inmodesta quemque culpandum.

Dicitur eloquio, quam princeps ille coquorum
Signat templa dei qui polluit ignibus arsit,
Turpiter addictum stravit; minoravit abegit
Nobile pulmentum: benedictio vendita, Iacob
Quam meruit, fratris qui plantam in ventre prehendit:
Victus in hoc bello, quia muro clausus amico
Exiit ille foras iam doctior arte, secundo.
Lente avidum stravit captumque legumine pavit;
Ultime deceptum materna fraude subegit,
Quae pelles hirtas leni superaddere pelli
Arte laboravit domini consulta recordans,
Disceret ut maior frater servire minori.

VIIII. Plurima praeteriens ad te iam sermo meabit,
Plebs Hebraea, iuges augens peccamine noxas.
Post iter insolitum in pelagus Pharaone subacto
Cum ducibus cunctis et equis ad bella iugatis,
Pocula post saxis, post escas imbribus actas —
Manna, tibi, cibus ille levis, quo nausia facta est —
Dum quaeris fartas Aegypti carnibus ollas
Et venit ad mentem cucumis porrique pepones,
Non prius a solito cessasti murmure, donec
Turbinis inpulsu veniat tibi crassa coturnix.
Heu! male quaesitas rodebas dentibus escas,
Nec cibus ille tuo defecit ab ore cupitus.
Iam gravis ille furor divinae caelitus irae
Te super exarsit fecitque intrare sepulcra
Donastique loco quod habet hodie usque vocamen.
Sole quater deno post haec spoliata magistro,
Qui domino asstabat super alta cacumina montis,
Ut legem accipiat pro te ieiunia ducens,
Ipsa thoris recubans montis radice sub ipsa,
De quo divinas voces audire solebas,
Immemor occumbis tantorum facta bonorum:
Torquibus et bullis raptis et inauribus aureis
Lascivam vitulam camuris in cornibus Isim

---

203 pulluit *A* 224 aes'cas *A*

207. 208 ille *(Esau)* in hoc ⟨*inter fratres*⟩ bello secundo victus, quia doctior arte ⟨*venandi*⟩ foras exiit muro amico clausus *(i. exiit domo paterna)*. 216. 217 *Exod.* 14. 218 *Exod.* 17. — *Sedul. C. p. I* 151 et in imbribus escas. 219 *Exod.* 16, 13—36. 220 *Exod.* 16, 3. 221 *Num.* 11, 5. 222 *Num.* 11, 1. 224—228 *Num.* 11, 31 ventus .. coturnices detulit .. 33 adhuc carnes erant in dentibus eorum *(Israelitarum)* nec defecerat huiuscemodi cibus et ecce furor domini concitatus in populum .. 34 vocatusque est ille locus 'sepulcra concupiscentiae'. 229 *Exod.* 24, 18. 234—261 *Exod.* 32, 1—28 videns populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, ... dixit: .. 'fac nobis deos' .. 2 dixitque ad eos Aaron: 'tollite inaures aureas' .. 4 quas cum accepisset, .. fecit ex eis vitulum conflatilem ... 8 .. et adoraverunt .. 15 et reversus est Moyses de monte .. 19 cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros .. 20 arripiensque vitulum .. combussit et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam et dedit ex eo potum filiis Israel. ... 28 feceruntque filii Levi iuxta sermonem Moysis ceciderunt in die illa quasi viginti tria milia hominum. 236—248 *Cfr. Serv. ad Aen. VII* 790. 236 *Cfr. Ge. III* 55.

Formasti, quam prona iacens veneraris et oras,
Quatinus hostiles Chanaan tibi subiuget enses
Collaque te faciat regum calcare subacta,
Ducat et in terram te lacte et melle fluentem
Fidaque bellatrix crabrones mittat Evaeis,
Quae percussa gravi stimulo pungentis asili
Longius a Graeca fugiens regione remota est.
Forsitan eius erit custodia cautior in te,
Centenis oculis quam Argus servare nequivit?
Non aliquis pudor inde tibi, gens saxea, venit
Hanc coluisse deam, quam vespa irata repellat
A patria et fluctus faciat transnare marinos,
Voce prophetali sanctus quod et exprobrat Osee?
Iamque choris factis summis concentibus hymnos
Aptabas, Moyses quibus alto a culmine montis
Auditis linquens sublimia venit ad ima,
Aurea quo stabat cornuta fronte iuvenca
Nulli aptanda iugo neque sinum ad lactis agenda.
His dux accensus, radiis cornutus et ipse,
Insolita fervens feritate cucurrit et illam
Arripuit fregit combussit sparsit aquavit;
His quoque te potavit aquis, ut scire valeres
Posse deum nullum, qui mansus et haustus, haberi.
Tunc quoque Leviticos sensisti durius enses
Mactatis satians inferni milibus Orcum.
Sic parcus Moyses et amicus sobrietatis
Ieiunans feriensque reos virtute subegit,
Ut servare modum discas, si vivere curas.

X. Ambidexter Aoth vitans servire tyranno,
Ingluvies amplum cui grandis fecerat alvum,
Israhel et multis famulantem presserat annis,
Accinctus gladio crassum sic perculit Eglon,
Ut per secretam naturam stercora abirent
Servitiique iugum hostilia colla referrent.
Virtus nos teneat, quam dux Aoth iste figurat,
Quae scindat hostem, vitium quae sternat enorme.

---

250 ymnos *A* 265 tiranno *hic A*

238—241 *Exod.* 33, 2; 23, 28. 242 *Cfr. Ge. III* 147. 249 *Osee* 8, 5; 13, 2. 254 *Ecl. VII* 33 sinum lactis. 255 *Exod.* 34, 29. 265—272 *Origen. Homil. in Iudic. a Rufino translat.* 3, 5 *(Migne gr.* 12, 965*)* 'et servierunt filii Israel Eglon regi Moab XVIII annis' (= *Iud.* 3, 14*: haec veteris translationis fragmenta apud Sabatarium non inveniuntur*) .. 'clamaverunt filii Israel ad dominum et suscitavit eis salvatorem Aioth (Aod *Vulgata*) .. virum ambidextrum' (qui utraque manu pro dextera utebatur *Vulg., ubi haec sequuntur:* qui fecit sibi gladium ancipitem .. obtulitque munera Eglon .. erat autem E. crassus nimis .. ingressus est Aod ad eum .. et tulit sicam de dextero femore suo infixitque eam in ventre eius .. statimque per secreta naturae alvi stercora proruperunt) .. Moabitae interpretantur fluxus vel effusio: huius igitur fluxae et dissolutae gentis princeps qui potest videri alius nisi sermo illius philosophi, qui summum bonum iudicat voluptatem? quem interficiat euangelicus sermo, qui gladio comparatur.

XI. Te neque praeteream, Samson fortissime, solem
Nomine qui signas, Christum ratione figuras
Melque vorans sumptum rabida de fauce leonis
Ostendis, vitio quam sit contraria virtus.

XII. Sic Samuheli oblatus Agag, pinguissimus hostis,
Concisus gladio moriens exempla reliquit;
Cuique Saul parcens divinam pertulit iram,
Sobrius et parcus vates per frusta secavit.

XIII. Heliam referam zeli fervore calentem.
Peccantis populi inplacabilis ille reatum
Edomuit, clauso cum caelo continet imbrem,
Quique famem patitur, quam plebs scelerata meretur.
Hic tamen, ut viduae iussus pervenit ad escas,
Multiplicat plenum farris virtute pugillum.
Inclita sobrietas modico contenta paratu,
Angelicis post haec limphis et pane refecta,
Fortior his escis montem pertendit ad Horeb
Nulla quater denis capiens alimenta diebus.
Esurienti equidem virtus divina prophetae
Largifluos sumptus et deliciosa Croesi
Ferre ministeria et concas offerre marinas
Praevaluit; sed ob hoc sancta haec scriptura renarrat,
Ut nos discamus, virtutis gratia quae sit.
Qua tantus vates paradisi ad amoena revectus
Iuniperi iam fasce carens, cum fulgidus instar
Sideris, ipse suo quod nomine signat, abiret,
Militiae aeriae nimio cessere timore,
Curribus in celsis dum sic mirantur euntem:
Igneus hunc refugit, quem fortior ignis adurit.

XIIII. Nec Helisaeus erit tantorum alienus honorum,
Cui solitae virtutis opus non invidus ille
Inclitus Helias et pallia sacra reliquit,

---

304 Incl/tus *A*

273—276 *Isidor. Allegor.* 80 *(Migne* 111*)* Samson salvatoris nostri mortem et victoriam figuravit, .. quia de faucibus diaboli gentes quasi favum ab ore leonis abstraxit *(cfr. Iudic.* 14, 8. 9*). Hieronym. interpr. Hebr. nomin. (ed. de Lagarde* 33, 23*)* Samson sol eorum vel solis fortitudo. 277—280 1 *Reg.* 15, 9 pepercit Saul .. Agag .. 10 factum est autem verbum domini ad Samuel dicens: 11 'poenitet me, quod constituerim Saul regem'. ... 32 oblatus est ei *(Samueli)* Agag pinguissimus ... 33 et in frusta concidit eum Samuel. 281—301 3 *Reg.* 17, 1—16; 19, 3—9; 4 *Reg.* 2, 11. 297. 298 *Sedul. C. p. I* 184—187 quam bene fulminei praelucens semita caeli | convenit Heliae: meritoque et nomine fulgens | hac ope dignus erat, nam si sermonis Achivi | una per accentum mutetur littera, sol est. 302—316 4 *Reg.* 2, 13 *(Eliseus)* levavit pallium Eliae, quod ceciderat ei ... 4, 42 vir quidam venit deferens viro dei .. viginti panes hordeaceos ... at ille dixit: 'da populo, ut comedat'. .. 44 qui comederunt et superfuit; 4 *Reg.* 4, 38 erat fames in terra .. dixitque pueris suis: 'pone ollam et coque pulmentum filiis prophetarum'. .. 39 et egressus est unus .. et collegit colocynthidas agri ... 40 cumque gustassent de coctione, clamaverunt: 'mors in olla' .. 41 at ille 'afferte' inquit 'farinam'. cumque tulissent, misit in ollam .. et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.

Scanderet aetherias caeli cum liber ad auras
Flammigeris bigis raptatus et igne coruscus.
Discipulum laudare bonum laus ampla magistri est:
Inter multa etenim, quae parcitatis amicus
Mira dedit terris, bis deno pane refecit
Multiplicem plebem, non tempore prodigus illo,
Quo tribuit multis pulmentum vile prophetis.
Cum caperent esum coloquintide virus acerbum
Loetiferoque cibo fera mors regnaret in olla,
Vis tamen ardentis tanti est extincta veneni
Farre prophetali, quo gustus condiit atros.
Cui deus est venter, pulmento hoc vivere discat.

XV. Sic Danihel parcus tenuique legumine pastus,
Vino et pane carens neque carnibus ora resolvens
Oblatas sibimet regales respuit escas.
Ingenio prudens, quo non sapientior alter,
Dum fundit cineres pavimenta per omnia cribro,
Pontifices Beli fidentes dente voraci
Vidit sub mensa ut mures prodire cavernis
Et docuit regem, quod non deus ille voraret
Has epulas, quoniam limo formatus et aere
Nullam divinae effigiem virtutis haberet.
Quique draconis item dum claustris gutturis offam
Inicit ingentem, ruperunt pabula pestem.
Pascitur ille escis Abacuc portante paratis
Inque lacu exultat laudat veneratur adorat.

XVI. Nunc meminisse iuvat laudandam carmine Iudith,
Quae post defunctum primaevo in flore maritum
Clausa cubile suo cum sobrietate sorore

---

306 *Cfr. Sedul. C. p. I* 179. 316 *Philip.* 3, 19 quorum deus venter est. 317—330 *Dan.* 1, 8 proposuit Daniel in corde suo, ne polluereturque de mensa regis neque de vino potus eius. .. 12 'dentur nobis legumina ad vescendum'. .. 14, 3 dixitque ei rex 'quare non adoras Bel?' .. 4 ait ei: 'quia non colo idola manu facta'. .. 13 rex posuit cibos ante Bel; praecepit Daniel pueris suis et attulerunt cinerem et cribravit per totum templum .. 14 sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam et comederunt omnia ... 26 *(Daniel)* fecit massas et dedit in os draconis et diruptus est draco. .. 30 miserunt eum in lacum leonum ... 36 et clamavit Habacus ..: 'Daniel, tolle prandium, quod misit tibi deus'. 37 et ait Daniel: 'recordatus es mei, deus'. 331—385 *Iudith.* 8, 4 erat Iudith .. vidua .. 5 et in superioribus domus suae fecit sibi secretum cubiculum, in quo .. clausa morabatur. .. 6 ieiunabat omnibus diebus vitae suae .. 8 et erat in omnibus famosissima. .. 10, 16 duxerunt illam ad tabernaculum Holofernis. 17 cumque intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes .. 19 videns Iudith Holofernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura et auro et smaragdo et lapidibus pretiosis intextum (cortinae *mentio fit* 14, 13) ... 12, 10 in quarto die Holofernes fecit cenam servis suis. .. 15 *(Iudith)* ornavit se vestimento suo et ingressa stetit ante faciem eius. 16 cor autem Holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia eius ... 20 bibitque vinum multum nimis. .. 13, 10 *(Iudith)* percussit bis in cervicem eius et abscidit caput eius et abstulit conopeum eius a columnis et evolvit corpus eius truncum. .. 14, 1 dixit autem Iudith ad omnem populum: 'suspendite caput hoc super muros nostros'. .. mox autem ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis ... 17 et tremor cecidit super *(Assyrios).* 333 *Fortun. C. VIII* 3, 304 sobrietas Iudith vincere sola facit.

Iura pudicitiae socialis amica retentans,
Tempore non ullo violans ieiunia mansit
Pulchra, venusta, decens, viduatis norma salubris;
Cuius terra satis districto vomere arata
Sexagena ferens grana ad caelestia misit.
Sed quoniam longum est huius percurrere laudes,
Supprimo plura tacens praeconia digna relatu.
Haec oblata duci castissima femina moecho,
Non captiva quidem, quoniam virtutis in arce
Liberior stabat plures habitura triumphos.
Ille graves oculos et lumina torva reflectens
Femineos vultus speciemque tuetur honestam —
Totaque concussi tremuerunt intima cordis —
Excipiens solitos ardore libidinis ignes.
Cuius per patulas fera mors ingressa fenestras
Iam victum domuit captumque ad vincula traxit.
Historica ratione vocor perquirere versu,
Haec matrona thorum sic aspernata virilem
Pomposas vestes ad quos servaverit usus.
Credo equidem, nec vana fides: quae rite futura
Praesciit omnipotens, haec ordine digerit apto,
Consilium vario variat qui tempore numquam.
Omnigenis vitiis dux, milite fultus et omni
Sederat ad mensas spoliis pompisque superbus,
Praedo ferox mundi, viduae iam praeda futurus;
Impiger intrabat meritae confinia mortis,
Quique nimis sumptum dum ducit ad ora Liaeum,
Procurat, minus ut geminatos sentiat ictus.
Iudith casta suum celans simulamine vultum
Atque tegens animum muliebri in veste virilem
Non negat Assyrium se velle intrare cubile,
Texta topaziacis ubi pulchra aulaea lapillis
Pendebant, mixtis pretiosa canopea gemmis,
Regifico luxu cui plurimus ille paratus
Deliciosa nimis convivia ferre solebat,
Omne hoc, pompiferi quod gignit machina mundi.
Inclita bellatrix semotim accumbere iussa
Multimodis pollens virtutibus associatis.
Certatim curant caeco contendere bello:
Foetida decertat torrente ardore libido,

---

364 assirium *hoc loco A* cupile *A*

338 *Isidor. Numerorum lib.* 26 *(Migne* 83, 199*)* hi sunt quibus et ille in euangelio *(Matth.* 13, 8*)* sexagesimus fructus permittitur, qui divinis mandatis perfecti agonem adversus carnis concupiscentiam gerunt, sed idcirco sexagenarium percipiunt fructum, quia ad hanc usque aetatem congressio exultat libidinum; *Pseudo-Melito Numer.* 22 *(Pitra Spicil. Solesm. III* 288*)* sexaginta ad fructum viduis vel virginibus debitum *etc.* 348 *Ierem.* 9, 21 quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. 353 Credo equidem nec vana fides *Aen. IV* 12. 364 *Prud. Ps.* 60 Assyrium .. thalamum. 365 *Cfr. Fortun. C. VIII* 3, 273. 367 Regifico luxu *Aen. VI* 605. 369 machina mundi *e. g. Aldhelm. Laud. virg.* 196.

Subiuget ut captam solita feritate puellam;
Illa econtra ardet nimio virtutis amore,
Auferat ut summum hostili a corpore culmen.
Perque dies quinos haec altercatio ducta est;
Ebrietas tandem facta est occasio caedis:
Sic est illa sui nocturna in tempora custos
Aspera sobrietas: caput a cervice recidit,
Abdidit et velo truncum sine nomine corpus.
Haec in nocte gerens orto iam sole revexit
Civibus illa suis tam magno ex hoste tropaeum,
Suspensumque caput murorum in turribus altis
Assyrios turbat, Hebraeis gaudia praestat.
Sic Iahel, uxor Aber, Sisaram post bella fugacem,
Quae male nongentis falcatis curribus egit —
Qui dum poscit aquas, lac accipit — hospita amico
Asperior solito clavo terebravit acuto
Pertractans in fronte locum; mors iuncta sopori est.
Sobrietas ductrix lac praebuit atque reatum
Sacrilegi pugnax audaci perculit ulna
Femineasque manus fabrorum malleus auxit.

XVII. Hester reginam ieiunia sobria regi
Fecerunt gratam, quam non sua forma suasit
Terribili feritate suo se offerre marito:
Lamentum gemitus luctus suspiria saccus
Verterunt urnam cunctasque ex ordine sortes.
Haec humilis deiecit Aman regina superbum,
Sub rege Asuero populus quem cunctus honorans
Orabat genibus telluris in aequore flexis,
Extulit et ligno iam spe meliore levatum,
Quod quinquagenis cubitis altum ipse pararat
Mardocheo humili; finis fuit iste superbo.

---

392 pertulit *A* 399 deicit *A* 402 ligna *A corr. Neff*

381 sine nomine corpus *Aen. III* 557. 383 *Prud. Ps.* 64 *de Iudith:* famosum mulier referens ex hoste tropaeum. 384 et turribus altis *Aen. IX* 468. 386–393 *Iudic.* 4, 13 *(Sisara)* congregavit nongentos falcatos currus .. 15 perterruitque dominus Sisaram, ut .. fugeret ... 17 fugiens pervenit ad tentorium Iahel uxoris Haber ... 19 dixit ad eam: 'da mihi paululum aquae' .. quae aperuit utrem lactis et dedit ei bibere. 20 dixitque Sisara ad eam: 'sta ante ostium tabernaculi et, cum venerit aliquis dicens: numquid hic est aliquis, respondebis: nullus est.' 21 tulit itaque Iahel clavum tabernaculi, assumens pariter et malleum et ingressa abscondite posuit supra tempus capitis eius clavum percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti consocians defecit et mortuus est. 389 *Cfr. Aen. III* 635. 394–410 *Esther.* 2, 9 *(Esther)* placuit ei *(Assvero)* .. 15 erat enim formosa valde ... 3, 2 cuncti servi regis flectebant genua et adorabant Aman ... 7 missa est sors in urnam coram Aman, quo mense gens Iudaeorum deberet interfici. .. 4, 3 planctus ingens erat apud Iudaeos, ieunium, ululatus et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. .. 15 Esther haec Mardochaeo verba mandavit: 16 .. 'ieiunabo et tunc ingrediar ad regem'. .. 7, 9 dixitque unus de eunuchis: 'en lignum, quod paraverat Mardochaeo, .. habens altitudinis L cubitos'. cui dixit rex: 'appendite eum in eo'. 10 suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochaeo. .. 9, 12 interfecerunt Iudaei alios X filios Aman.

Spectavere decem pendentem in stipite nati,
Quod genitor passus, passuri sorte reatus.
Sic cadit in foveam commenti fraudibus instans;
Inlaqueatur enim, nodos qui nectit iniquos.
Sic ruit ascendens ventosa superbia fastum;
Invidia occumbit, genitrix quae facta diabli est.

XVIII. Antiochus saevus nulli feritate secundus
Septem germanos una genitrice creatos
Eleazar seniore pio praebente ducatum,
Dum vitant vetitas carnes gustare suillas,
Per varias mortes laeta cum matre peremit.
Impietas signat vitiorum monstra tyranni;
Haec mulier virtutis habet fortissima normam,
Quae propriam loeto mavult occumbere prolem
Quam figi coeno et porcorum vivere more.
Naturale suis figmentum terrea quaerit,
Ast homo subrectos ad caelum gestat ocellos;
Ergo illo decet ut tendat, quo conditus extat.

XIX. Exclamare libet laudumque efferre Camenas.
Inclita sobrietas, paradisi facta habitatrix,
Digna pudicitia, caeli quae regna mereris,
Qua vos laude canam, verbis quibus ora resolvam?
Materie fandi series panegyrica abundat,
Copia sed potior fastidia grandia gignit.
Quisque a principio viguit laudabilis actu,
Per vos ad summum pervenit culmen honorum.
Virtus cum vitiis, est ex quo conditus orbis,
Inter se egerunt multo certamine agones.
Angelicum scelerata superbia perdidit agmen;
Primus Adam ternis cecidit vitiis superatus;
Protomartyrem Abel patientia sancta beavit;
Invidiae vitio Cain maledictus in aevum
A facie domini profugus fuit incola Naith;
Enoch cum domino gradiens translatus in Eden
Vivit adhuc senior neque solvit debita loeto;
Diluvio eripuit vitae perfectio Noe;
Fert risu genitoris avi maledicta Canaan;
Sancta fides patrem te fecit gentibus, Abram;
Te, Loth, hospitii virtus salvavit ab igne

---

407 *Psal.* 7, 16. 410 *Cfr. Sap.* 2, 24. 411—419 2 *Mac.* 6, 18—31; 7. 420—422 *Cfr. Boll in Jahrbücher f. class. Philologie Supplement. XXI pag.* 148 *et* 240. 431—432 *E. g. Isidor. Sentent. II* 37 *(Migne* 83, 638). 433 *De Lucifero cfr. Prud. Hamart.* 159 *et Aldhelm de octo vitiis* 285 *seqq.* 434 *Gregor. Homil. in ev. I* 17 *(Migne* 76, 1136) antiquus hostis contra primum hominem in tribus temptationibus se erexit, quia hunc videlicet gula, vana gloria et avaritia temptavit .. sed quibus modis primum hominem stravit, eisdem modis secundo homini temptato succubuit. 435 patientia: *nam Abel vincitur a Cain, qui typus irae est.* 436 *Aldhelm. l. c.* 276—279. 437 *Gen.* 4, 16 *ante Hieronymum legebatur* et habitavit in terra Naid. *quam lectionem Milo nescio an petiverit ex Hieronymi Hebr. quaest. in gen. (Migne* 23, 945, *cfr. Sabatier ad Gen.* 4, 16). 438. 439 *Hebr.* 11, 5. 440. 441 *Cfr. supra v.* 174. 442 *Gen.* 22, 18. 443—444 *Cfr. supra v.* 189.

Angelicaque manu Sodomis abductus abisti;
445 Insons innocuum patientia reddidit Isaac;
Ismahelem feritas sua depulit aede paterna
Cautaque simplicitas benedici fecit Iacob;
Primitiva Esau gula vendere turpis adegit,
His quoque privavit sceleris lascivia Ruben;
450 Iosehp innocuum fraterna fraude subactum
Aegypti dominum virtus sibi conscia fecit,
Livoris vitium fratres dedit esse nocentes;
Mansuetudo homines Moysen super extulit omnes;
Iure sacerdotii dominum placavit Aaron,
455 Hebraeam plebem ne incendia saeva vorarent;
Dux Iosue fortis caelestia sidera fixit:
Zelo ardente perit Zambri seu filia Cozbi,
Quo merito Finees fit heres pontificatus;
Irriguam terram suspirans Axa meretur —
460 Inriguos nobis tribuat compunctio fletus —;
Credulitas Gedeonis item nova bella peregit;
Sic mulieris amor caecatum lumine Samson
Stravit, quem rediens virtus ex hostibus ulta est;
Victorem Satanae sua Iob patientia fecit;
465 Sic Samuhel mitis caelestia fulgura movit;
Invidia ardescens Saul se morte peremit;
Mens humilis David solium ad regale levavit;
Luxuries stravit Salomonem commaculatum;
In duo divisit Roboam insipientia regnum;
470 Zelus pro domino Heliam ad caelestia vexit;
Discipulum tanti subiectio digna magistri
Texit Helisaeum duplicis virtutis amictu;
Lepra philargiriae Giezi cum semine vastat;
Ille dei cultor Danihel domat ora leonum,
475 Angelico obsequio delatas suscipit escas;
Acta pudicitiae te, Iudith, laude bearunt;
Lumen elemosinae Tobiae inluxit ocellis:
Dum se extollit, Aman crucifixus ad alta levatur,
Mardocheum humilem regalis purpura vestit;
480 Scriba in lege dei doctissimus extitit Hesdras,
Doctrinae studio qui illam renovavit adustam;
Tres pueros fidei virtus salvavit ab igne,
Corpora qui vitans attingere vincula rupit.

---

448 esu[a]// *A* 479 porpura *A*

445 *Gen.* 25, 11. 446 *Gen.* 21, 9—15. 447 *Cfr. Gen.* 18, 18. 448 *Cfr. supra v.* 197. 449 1 *Par.* 5, 1. 450—452 *Gen.* 37; 39—50. 453 *Num.* 12, 3. 454. 455 *Num.* 16, 46—48. 456 *Iosue.* 10, 13. 457. 458 *Num.* 25, 7—15. 459 *Iosue.* 15, 18—19. 461 *Iudic.* 7, 7—24. 462. 463 *Iudic.* 16, 6—31. 465 1 *Reg.* 12, 18. 466 1 *Reg.* 18, 9; 31, 4. 468 3 *Reg.* 11, 4. 469 3 *Reg.* 12, 8. 470 *Cfr. supra v.* 281. 471. 472 *Cfr. supra v.* 302. 473 4 *Reg.* 5, 25—27. 474. 475 *Supra v.* 317. 476 *Supra v.* 331. 477 *Supra v.* 9. 478. 479 *Supra v.* 394. 480. 481 2 *Esdr.* 8; *cfr. Isidori Chronic. ad a.* 4773 *(ed. Mommsen Auct. antiq. XI* 447*).* 482. 483 *Dan.* 3, 8—93.

XX. Et si respicias mundani exordia saecli,
Primus Abel cum fratre Cain, cum regibus Abram,
Ismahel atque Isaac, Esau certavit Iacob
Distraxitque pium fraterna malitia Iosehp;
Iob pius et patiens falsis contendit amicis;
Debellat Moyses Amalech, Iosue Chananaeos;
Florens virga Aaron reprobat Chore, Dathan, Abiron;
Perfodit incestos Finees fulgente machera;
Abimelech moritur muliebri turpiter ictu;
Sic Gedeon Madian, sic Iepthe percutit Ammon;
Scindit Aoth Eglon, Sisaram per tempora Iahel;
Vincitur heu Samson, moritur sed victor in hostes;
Sic Samuhel concidit Agag parvoque lapillo
David adhuc iunior, tereti quod iecit habena,
Ingentes animos fregit frontemque Goliae;
Innocuum Esaiam secat impius ille Manasses;
Sacrilego pius ille Naboth lapidatur ab Achab,
Ultio digna reo: canibus datur inde tyrannus;
Zacharias domini moriens altare cruentat;
Flaminibus Baalim Helias intulit enses;
Sanguineas Helisaeus aquas decurrere fecit,
Hostibus et captis mira pietate pepercit;
Hieremias moritur populo lapidante prophetes;
Rumpitur ore draco, Danihelis dum vorat offas;
Rex Ozias Amos transfixit tempora vecte;
Portavit terris alienis belua Ionam;
Angelus eripuit Tobiam piscis ab ore.
Ex his ergo aliqui, quorum libavimus actus,
Victores facti vitiis iam iure subactis
Nobile sumpserunt prostrato ex hoste tropheum.
David forte ruit, quem mox correctio fixit:
Ut bellum reparent, lapsis exempla reliquit.
Ast alios in tantum animi constantia fortes
Fecit, ut intrepidi mortem patiendo subirent
Martyriique decus salva virtute referrent.
Hinc alios mentis trepidos ignavia fecit,
Istis ut vitiis obnoxia colla iugarent.
Haec a principio mundi altercatio ducta est.

---

513 protrato *A* 519 *tepidos *A*

485 *Gen.* 14, 14—15. 489 *Exod.* 17, 9—13. 490 *Num.* 16; 17. 491 *Cfr. supra v.* 458. 492 *Iudic.* 9, 53. 493 *Iud.* 7; 11. 494 *Cfr. supra v.* 265 *et* 386. 495 *Supra v.* 273. 497 *Aen. XI* 579 Et fundam tereti circum caput egit habena. 499 *Hieronym. in Isai.* 57, 2 *(Migne* 24, 546*)* Iudaei arbitrantur .. Isaiam de sua prophetare morte, quod serrandus sit a Manasse serra lignea, quae apud eos certissima traditio est. 500 3 *Reg.* 21, 1—13. 501 3 *Reg.* 22, 38. 502 2 *Par.* 24, 20; *cfr. Matth.* 23, 35 *et Luc.* 11, 51. 503 3 *Reg.* 18, 40. 504 4 *Reg.* 3, 22. 505 4 *Reg.* 6, 22. 506 *Isidor. de ortu et obitu patr.* 38 *(Migne* 83, 142*)* Ieremias .. ad ultimum apud Taphnas in Aegypto a populo lapidatur. 507 *Vide supra v.* 317. 508 *Isidor. de ortu etc.* 43 *(Migne pag.* 144*)* novissime Ozias filius eius *(Amasiae)* vecte per tempora transfixo crudeli morte necavit *(Amos).* 514 2 *Reg.* 11; 12.

XXI. Has tibi, lector, ovans morali lege figuras
Pinge, precor, mentisque tuae has inde cruminis.
Porticibus constat piscina probatica in istis,
Qua purgantur oves divinis dignius aris;
Haec Siloae piscina oculos inluminat orbos;
Hoc fecit Moyses labrum e speculis mulierum
(Scilicet exemplis, dum scripsit gesta priorum,
Lex divina docens nos expiat), ut mereamur
Mundatis manibus pedibusque ad sancta venire:
Actio namque manus nostra est, perfectio gressus.
Calciamenta tegant patrum vestigia nostra,
Ne coluber Satanas infigat vulnera plantis.
Isti nos clipei tueantur ab hoste maligno,
Quos habet excellens per propugnacula turris,
Quam David typicus sublimi sustulit arce.
In Salomonis enim quisquis bellator habetur
Aedibus ense micans rutilo, mucrone coruscans,
Terribiles acies animis ad bella paratis
Appetit et gladiis nocturnos deicit hostes.
Armatura dei cuius latus ambit honestum
Iustitiaeque thorax pectus defendit ab ictu
Et capiti cassis sidit cristata salutis,
Ex humero pharetra ignitis iam plena sagittis
Pendet et inradians castum femur alligat ensis.
Omnis christicola, cuicumque est ista voluntas,
Ut zabulum vincas, vitio qui pugnat in omni,
Perpende hoc animo, haec nocte dieque revolve:
Si servis hosti, tormenta aeterna subibis;
Si Christo, ut dignum est, caelestia regna tenebis.

XXII. Est opus, ut discas famulatus iura superni,
His notis quoniam levior structura sequetur
Turris ad aetherei scansura cacumen Olympi.

---

526 occulos *A* 540 deiicit *A*

522—550 *De armatura dei quae apud patres Christianos inveniuntur, ea ex sententiis Paulinis (Ephes.* 6, 10 *seqq. et locis similibus, cfr. Mone Lat. Hymnen I* 369*) profecta sunt; ex patribus quem hic et in aliis poematis partibus Milo ducem secutus sit, me adhuc latet.* 524. 525 *Ioh.* 5, 2—11; istis *(item* haec 526, hoc 527, isti 534*) sc. quae moraliter (*522*) intellegenda sunt.* 526 *Cfr. supra v.* 94. 527 *Exod.* 38, 8 fecit et labrum aeneum de speculis mulierum. 529 *Pseudo-Melito (Spicil. Solesm. III* 162*)* specula praecepta divina sive exemplum praecedentium patrum. 533 *Gen.* 3, 15. 535—536 *Cant.* 4, 4 turris David .., quae aedificata est cum propugnaculis; mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium. 537—538 3 *Reg.* 9, 22. 541 *seq. Cfr. ad v.* 522. 551—558 *Cassiodor. ad Psal.* 60, 3 *(Migne* 70, 425*)* per 'turris fortitudinem' ipsum dominum significat salvatorem. turris enim .. irruentes hostes ex alto vulnerat. .. sed turris illa virtutibus est plena, non gladiis; 1 *Cor.* 3, 10—13 ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem super aedificat ... fundamentum nemo potest ponere praeter id, quod positum est, qui est Christus Iesus. siquis autem super aedificat super fundamentum aurum argentum lapides pretiosos, ligna faenum stipulam, unius cuiusque opus manifestum erit: dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, et unius cuiusque opus quale sit ignis probabit.

Huic qui sufficiant sumptus, tractare necesse est,
Quos superimponas coepti in fundamine muri,
Quod positum Paulus monstrat signanter Iesum.
Aedifices pretiosa super si, vilia condas,
Ultimus ardescens opus hoc rogus ille probabit.
Hos tibi nunc sumptus de sacris collige libris,
Unde fidem rectam teneat cor, lingua loquatur
De genitore et ab hoc genito, de flamine sancto:
Personis tribus his unum constare vigorem.
Non aliquem maiore gradu, non inferiore
Constituas, quoniam tres hos substantia in una
Credimus, oramus colimus veneramur amamus.
Si pelagus mundi sulces hac rite carina,
Non nocitura tibi canibus succincta marinis
Scilla, miser sed non miserabilis Arrius ille,
Qui spoliare volens patrem bonitate sueta
Posse aut nolle negat similem sibi gignere natum,
Omne bonum velle est cuiusque potentia summa est.
Obvius his meritam tanto pro crimine mortem
Incurrens scelus et cuncta intestina cacavit
Latrinisque dedit, putida quod mente recepit.
Parte alia scopulus scelerisque Sabellius auctor
Naufragium minatur iners ut vasta Caribdis,
Dum vult esse deum non personaliter unum,
Sed patrem et natum, sanctum quoque flamen eundem.
'In patre sum, pater est' ait 'in me' filius ipse.
Quo fulti doctore 'sumus' dicemus et 'unum'.
Hos ergo et reliquas pestes de corpore Christi
Iudicio patrum fidei mucrone resectos
Respue et a pueris, qui iam secreta cubilis
Cum domino intrarunt, panes tres prende canistris:
Scilicet illorum libris attentius instans,
Ut mediteris in his, hos nocte dieque revolvas,
Unde fidem rectam et morum ornamenta capessas;
Spemque bono de patre, metum de iudice habeto.

XXIII. Tertia, quae maior, karitas te ad celsa petentem
Subvehat ut, geminis librato examine pennis
Primam redde deo tota virtute creanti,

---

557 pre/tiosa *A* 570 *voluit* Posse aut velle

554 *Luc.* 14, 28 quis ex vobis volens turrem aedificare, non prius sedens conputat sumptus, qui necessarii sunt, si habet ad perficiendum? 566—580 *De Arrio et Sabellio cfr. Sedul. C. p. I* 299—333 *et Arator Act. apost. I* 917—930. 567 *Cfr. Ecl.* 6, 74—77. 573. 574 *Cassiod. Hist. tripart. III* 10. 576 vasta Charybdis *Aen. VII* 302. 579 *Ioh.* 14, 11. 580 *Ioh.* 10, 30. 583—587 *Isidor. Alleg.* 209 *(Migne* 83, 125*)* homo, qui media nocte postulabat ab amico tres panes *(Luc.* 5, 11*)*, similitudinem exprimit cuiusque in media tribulatione dominum postulantis, ut det ei scientiam trinitatis. 589—632 *Quae de gemina dilectione et veste eius Milo protulit, sumpta esse videntur ex Gregorii papae Homil. in Evang. II* 38, 10—14 *(Migne* 76, 1288*) et Radberti Paschasii De caritate* 3 *seq.* 589 1 *Cor.* 13, 13 manet fides, spes, caritas, tria haec: maior autem his est caritas. 590—594 geminae pennae *cari-*

Condignum poterit cui nullus reddere amorem;
Non modus ullus in hac, quia totum quaeritur ex te.
Ala secunda dehinc dilectio fratris habenda.
Huic datur hic limes: 'hunc dilige non minus ut te'.
Haec eget hoc verbo, sincerus amor sit ut iste:
'In te disce prius, tua si dilectio iusta est.'
Psalmus enim recinens 'qui diligit' inquit 'iniqua,
Odit inique animam, quam Tartara ad impia mittit'.
Unde iste affectus hoc glutine nectat utrosque,
Actibus ut iustis regnum caeleste capessant.
Lex omnis domini paxillis pendet in istis.
Hoc geminum tenuere decus karitatis inaures,
Quas pia suscepit patientia dicta Rebecca
Appensas geminis aequo libramine siclis;
Armillae deno in numero praecepta decem sunt
Legis, quae quondam tabulae gessère gemellae,
Quas fregit Moyses populo spectante rebelli
Et reparavit item nostrosque remisit ad usus
Christicolis tribuens, quas cultor sprevit Isidis.
Psallit item sanctus decacordo carmina plectro:
Omnibus his tactis dulcis simphonia surgit;
Nulla hic corda vacet, si vis bonus esse melodus.
Namque decem iuncti tali ratione duobus
Efficient plenam numeris et pondere libram,
Constat apostolicus bis seno ut milite coetus.
Quattuor in lignis vestis texenda tenetur:
Non secus haec karitas tali ratione paratur.
Quod super est, prius est: 'dominum tu dilige summum';
Quod iacet inferius: 'tibi proximus extat amandus';
E regione sudes gemini de cespite surgunt:
'Quod non vis fieri tibi, hoc aliis inferre recuses',

---

606 *Armillas *A* 622 aliis *delet Neff, sed heptameter videtur excidisse poetae*

tatis (*v.* 590, *unde* prima *sc. penna* 591, ala secunda 594) *ab Augustino, si is est scriptor, commemorantur in Homil.* 27 (*tom. X* 105 *K ed. Venet.* 1550).

593 *Matth.* 22, 37. 595 *Matth.* 22, 39. 598 *Psal.* 10, 6 qui diligit iniquitatem, odit animam suam. 600 gluten: *cfr. Augustin. in psal.* 62, 9. 602 *Matth.* 22, 40 in his duobus mandatis universa lex pendet; *cfr. Gregor. Homil. in Ezech. II* 3, 17 *(Migne* 76, 967*) tabernaculi paxillos interpretantem.* 603 *Pseudo-Melito De numeris (Spicil. Solesm. III* 283, 9*)* duo ad duo praecepta caritatis. 603—606 *Gen.* 24, 22 protulit vir inaures appendentes siclos duos et armillas totidem pondo siclorum decem. 604 *Hieronym. (Onom. sacra ed. Lagarde* 9, 23*)* Rebecca .. patientia. 606—613 *Pseudo-Melito (ibid.* 286*)* decem ad decalogum: 'in psalterio decem chordarum psallite illi' *(Psal.* 32, 2*).* 607. 608 *Exod.* 32, 15; 19. 609. 610 *Exod.* 34, 1; 28; *cfr. supra ad v.* 236. 611 *Psal.* 143, 9. 614—616 *Pseudo-Melito (ibid.* 286*)* duodecim ad apostolos. 617—624 *Gregor. Homil. in ev. l. c.* 10 sciendum, quia sicut in duobus lignis, superiore videlicet et inferiore, vestis texitur, ita in duobus praeceptis caritas habetur: in dilectione sc. dei et proximi .. 11 sciendum quoque, quod ipsa dilectio proximi in duobus praeceptis subdividitur, cum quidam sapiens dicat *(Tob.* 4, 16*)* 'omne quod tibi odis fieri, vide ne ipse alteri facias' et per semet ipsam veritas praedicat dicens *(Matth.* 7, 12*)* 'quae vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis'.

'Quae tibi vis tribui, reliquis praestare salubre est.'
In his ergo tibi variatam confice vestem.
Si conviva cupis regali accumbere mensae
Neve foras pelli manibus pedibusque ligatis,
Bis tinctus rubeat coccus bissusque retorta,
Fulgeat obrizus petalis et brattea filis;
Caerula hiacinctus commixto splendeat ostro,
Stamina cum tramis oloserica tota venustis.
Veste hac ornatus poteris vere esse sacerdos,
Si baptisma nitet, primo ceu tempore sumptum est.
Quod si forte aliquo maculasti crimine vitam,
Caprarum pilis asper sit carnis amictus:
Hos etenim lex prisca alia inter xenia quaerit;
Teque foras missum pluvias portare necesse est:
Namque suum facinus Petrus hoc deluit imbre,
Fudit et hos protoplasti pro crimine fletus.
Hoc ardens poterit frigescere rore machera,
Quam prius extinxit crucifixi a corpore fusus
Dulcis aquae rivus cum sanguine mixtus opimo.

XXIV. Quisque huius virtutis honorem habitumque requirit,
Invidiam fugiat genitam de felle diabli.
Hoc scelus immensum, quo mors intravit in orbem;
Hunc imitantur et hi, Satanae qui in parte tenentur.

---

625 acumbere *A* 638 *protoplastus *A* 642 *honos *A corr. Neff: cfr. infra* 940

624 in his *sc. lignis.* 625—632 *Gregor. Homil. in ev. l. c.* 10 duo haec necesse est ut caritatis praecepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat ... hinc est, quod cortinis tabernaculi intexi coccus bis tinctus iubetur ... coccus quippe ignis speciem habet: quid vero est caritas nisi ignis? sed ista caritas esse bis tincta debet, ut tingatur et per amorem dei et per amorem proximi; *sequitur apud Gregorium interpretatio duorum versuum evangelii sec. Matth.:* amice, quo modo huc intrasti non habens vestem nuptialem (= *Matth.* 22, 12) *et:* tunc dixit rex ministris: 'ligatis manibus eius et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores' (= *Matth.* 22, 13). 627—631 *Exod.* 28, 6 facient *(frater Aaron eiusque filii)* autem superhumerale de auro et hyacintho et purpura coccoque bis tincto et bysso retorta, opere polymito. 634 *Gregor. Moral.* 7, 27 *(Migne* 75, 786*)* pilosi nomine cuiuslibet peccati asperitas designatur. 635 *Exod.* 35, 5 separate apud vos primitias domino. omnis voluntarius offerat eas domino: aurum et argentum et aes, hyacinthum et purpuram coccumque bis tinctum et byssum, pilos caprarum pellesque arietum. 636—641 *Hraban. ad Numer.* 8, 7 *(Migne* 108, 636*)* ostendit, quo modo purificari debeant, antequam ad divinum ministerium accedant. primum eos iubet aspergi aqua lustrationis, quam possumus intelligere sive baptismi sacramentum seu etiam lacrimarum effusionem, per quas maculae peccatorum rite abluuntur. deinde, ut radant omnes pilos carnis suae ... pili carnis sunt quaelibet superflua humanae corruptionis. 636 *Pseudo-Melito (l. c. II* 86*)* pluvia praedicatio vel gratia; *similiter Gregorius ceterique, qui sacrae scripturae verba allegorice explicant, interpretantur* imbrem *(v.* 637*) et* rorem *(v.* 639*).* 637 *Matth.* 26, 75. 639 *Luc.* 2, 35 tuam ipsius animam pertransibit gladius (machaera *Iuvenc. I* 212). 640. 641 *Ioh.* 19, 34 continuo exivit sanguis et aqua. 642—664 *Invidiae comitem esse superbiam, solum remedium caritatem, primum exemplum Caini facinus scriptores ecclesiastici posuerunt multi (cfr. Gregor. Moral. V* 46*); omnia quae Milo protulit qui persecutus sit invidique incessum contulerit cum cancro (nisi forte morbus significatur), novi neminem.* 642—645 *Sap.* 2, 24 invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. 25 imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

Quippe soror scelerata huic superbia iuncta
Transtulit angelicum saevos in daemonas agmen.
Haec miseros penitrans fraternum rumpit amorem,
Quae documenta dedit quondam nimis impia Cain,
Displicuit cui nil aliud de fratre benigno,
Quam sua dedignans melioris munera misso
Caelitus igne deus flammis sibi grata probavit:
Non donum in causa est, sed cor donaria abegit.
Haec tenet incessum quodam simulamine cancri
Retrorsum gradiens, depascitur intima cordis
Ossaque perstringens putrescere fortia praestat:
Quo felix alter, hoc infelicior iste est.
Antidoto poterit karitatis enorme venenum
Curari invidiae, si ius servetur amoris,
Quem Christus docuit, quem conditor indidit almus
Pectoribus hominum, si se redamando vicissim
Debitus affectus fratrem coniungat utrumque.
In hoc nosse suum monstravit discipulatum,
Si servum conservus amet, dilectus amantem.

XXV. Principiumque mali, quae criminis omnis origo est,
Decidat erecto ventosa superbia collo
Insanusque tumor radicibus erutus imis
Pellatur: multi documenta dedere ruinae:
Confisi virtute sua cecidere superbi,
Surrexere humiles: domini verissima vox est:
'Qui tumet, ille cadit; sed pauper corde levatur.'
In solidis planisque locis persistere tutum est,
Ardua pulsa gravem patiuntur turbine lapsum.
Quem primum caelum tenuit, quem terra creatum,
Hoc vitio cecidere, et ob hoc confusio linguis
Missa, per ignotas divisa est terra loquelas,
Cum strueret celsam lapsura superbia turrem,
Diluvio tumidos cum iam periisse gigantes,
Tempore et ablatos possent meminisse recenti.
Quisquis christicola est, regnum ut sublime capessat,
Discat habere humilem summo de vertice mentem.
Quicquid in assumpta pro nobis carne peregit,
Seu divina, legas, seu sint humana, retractes.
Quod iacet in cunis tectus velamine panni,
Quod loquitur, quod agit, quod celsa atque infima tractat:
Hac, de qua sermo est, nimium virtute coruscant.
Perspice, quam placido zabulum sermone repellit:

---

646 huic scelerata *A corr. Neff* 667 radibus *A* 675 ob *sic A* 678 penisse *A* 687 re/pellit *A*

647 *Cfr. supra* 433. 656 *Prov.* 14, 30 putredo ossium invidia. 659—664 *Ioh.* 13, 34 mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. 35 in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. 671 *Matth.* 23, 12; 5, 3. 675—677 *Cfr. supra* 81. 678 *Gen.* 6, 4; *Augustin. Serm.* 12 *ad Fr. in eremo (ed. Migne VI* 1255) superbia gigantum linguas divisit et confudit. 684 *Cfr. Sedul. C. p. II* 58. 687—689 *Matth.* 4, 4.

Verbis pacificis et ab omni felle remotis
Dicta refert legis nec quicquam reddit acerbum.
Saevit in hoste furor, dum non agnoscitur auctor.
Percipe, quantum humili genitori voce loquatur,
Quas grates reddit, cui totum deputat, ex quo est.
Quam pius et mitis, suavi quam corde benignus
Approbat illud opus, cum se praecinxit amictu
Acclinis dominus famulis vestigia tingens.
Iure recusantem tranquillo famine Petrum
Terrificat minitans, se cedat ut ille lavari,
Si se participem tanto velit esse clienti.
Cum capitur, miserum quam dulci famine Iudam
Alloquitur; fratrem velut amplectatur amantem,
Suscipit oscula dans et amica mente receptat.
(Heu nimis experto tantae bonitatis Iesum,
Cum reliquis ut signa daret larvasque fugaret
Ac mensae adscitus recubans conviva sederet,
Unanimis homo, dux notus pariterque sodalis
Consensu simili divina ad templa venirent,
Illius et curae loculos mandaret habendos.)
Hoc pietatis opus tanto de fonte redundans
Auriculam evulsam, quam fortius ense micanti
Excussit tua, Petre, manus, manus illa probavit,
Quae tetigit, sanam Malchoque refixit habendam.
Mitis inauditae dum fert ludibria mortis,
Ignosci petit his et ab isto crimine solvi
Excusatque patri ignaros nescire reatum,
Quorum tanta furit rabies, ut claustra sepulcri
Militibus positis saeva obsidione tenerent
Nec parci vellent tanta feritate sepulto.
Quis locus audendi post tanta exempla superbis?
Quis furor inflavit, quae tanta insania mentes,
Ut meminisse obitus proprii monimenta recusent?
Nunc homo mox limus fiat, ex quo conditus extat,
Vermibus esca datus; domus ampla sit urna sepulcri;

---

688 pacifis *A* 697 lauacri *corr. A* 702 IHm *A* 704 *post* 707 *posui* recub/ conuiua *A*

690 *Cfr. e. g. Gregor. Moral. II* 24 *(Migne* 75, 576) antiquus hostis redemptorem humani generis in mundum venisse cognovit .. tamen prius, cum hunc passibilem cerneret, omne quod de eius divinitate suspicatus est, ei fastu suae superbiae in dubium venit. nil quippe nisi superbum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, deum esse dubitavit. 691 *Matth.* 11, 26; 26, 39 *cet.* 692 *Ioh.* 11, 41. 693 *Matth.* 11, 29. 694—698 *Ioh.* 13, 5—8. 701 oscula *(i.* os *ut apud Iuvenc. IV* 515*) cfr. Matth.* 26, 48—50*; Luc.* 22, 48*; Marc.* 14, 45. 702 *Vae Iudae, qui id scelus commisit, quamquam Iesum tantae bonitatis virum expertus est.* 707 *Ioh.* 13, 29 loculos habebat Iudas. 708—711 *Struendum est:* manus *Christi*, quae tetigit auriculam Malcho evulsam (quam *auriculam* tua, Petre, manus excussit) sanamque *ei* habendam refixit *(Luc.* 23, 49—51*; Ioh.* 18, 10*)*, probavit hoc pietatis opus de fonte *caelesti* redundare. 714 *Luc.* 23, 34. 716 *Sedul. C. p. V* 302 *de Christi sepulchro:* saevaque locum obsidione tenere. 719 *Lucan. I* 8 qui furor, o cives, quae tanta insania *(Priscianus,* licentia *Lucani codd.)* ferri.

Quae facies nunc grata nitet, post palleat horrens.
Quisque legis, perpende animo, quam vilia sensit
Alloquiis dignus domini sanctissimus Abram:
'Sum cinis et pulvis'; simili quoque corde iacebat
Rex David humilis: pulicem se ex pulvere sumptum
Atque canem memorans dicit se morte putentem
Pacificatque ferum miti sermone Saulem.
Iactanti meritum Pharisaeo corde superbo
De templo domini iam iustior ille recessit,
Confessus facinus humili qui pectore flevit.
Hostem habet ille deum, quisquis feritate tumescit;
Perdit opus virtutis agens iactantius illud.
Quod tumet, insanum est; inflat quod ventus, inane est:
Punctus acu modica rigor hic vanescit in auras.
Deprimat ergo opus est animum mens ima ferocem
Seque homo penset humum: sic corde et corpore pronus,
Amisit, poterit, quod mens inflata, mereri.
Audax Eleazar elefantem stravit enormem,
Victor sub pedibus victi qui victus obivit:
Non secus occumbit, qui de virtute superbit.
Pulvis ut in vento, virtus sic mixta tumori est;
Caecatur gravius, qui se putat esse videntem.

XXVI. Extat adhuc vitium, cum quo luctamen habendum,
Impia avarities ardens sine fine modoque.
Omne malum mundi ratione et tempore cessat:
Haec radix sceleris cremento grandior extat;
Copia quo maior, hinc amplior ardor edendi;
Morbus hic intercus, gravis idrops, grande veternum.
Ecclesiae sedes venales ista columbas,
Praecones mutos caecosque duces dat haberi.

---

738 sic *manus aequali add. A* 743 uti vento *Neff*

725. 726 *Gen.* 18, 27 Abraham ait: quia semel coepi, loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis. 727—729 1 *Reg.* 24, 15 quem persequeris, rex Israel? canem mortuum persequeris et unum pulicem. .. 17 cum autem complesset David, dixit Saul: 'numquid vox haec tua est, fili mi David?' et levavit Saul vocem suam et flevit. 730—732 *Luc.* 18, 10—14. 736 *Ov. Her. I* 79 *et XII* 85 tenues vanescat in auras. 739—744 *Gregor. Moral. XIX* 21 *(M.* 76, 119*)* Eleazar in proelio elephantem feriens stravit, sed sub ipso quem exstinxit occubuit (1 *Mac.* 6, 46). quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsa, quae subigunt, superbiendo succumbunt? .. perit omne, quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. 748—750 *Inter Christianos (nam apud paganos simile usitatissimum est, cfr. R. de Scala Die Studien des Polybios I* 333*) ararum cum hydrope compararunt Augustinus et Gregorius papa.* 751 *Gregor. Homil. in ev. I* 17 *(M.* 76, 1145*)* cur non ante mentis oculos revocatis, quod templum redemptor noster ingressus cathedras vendentium columbas evertit et nummulariorum effudit aes (*Ioh.* 2, 14—16)? qui namque sunt in templo dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in ecclesia pretium de impositione manus accipiunt? .. columba venditur, quia manus impositio, per quam spiritus sanctus accipitur, ad pretium praebetur. sed redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, qui talium negotiatorum sacerdotium destruit *e. q. s.* 752 *Isai.* 56, 10 speculatores caeci omnes, nescierunt universi (*Matth.* 23, 16

Regibus haec aufert in deteriora volutis
Nomen et officium, dominetur ut ipsa tyrannis.
Omnes ista gradus meritorum dote venustos
Circuit et quaerit, quo gressum figere possit.
Ipsam quin etiam naevo maculare cucullam
Nititur, immemores ut voti lucra relicti
Respiciant mundi iurataque iura resolvant.
Haec miserum penitrans saxorum grandine pressum
Stravit Achar; vallis tenet inde perenne vocamen.
Ista etiam adduxit primis orientis ab oris
Insanum vatem, cui doctior obstat asella
Humana stolidum castigans voce Balaam;
Pergit ob augurium, ter septem circuit aras,
Adversante deo nimium persistit avarus,
Ardens quo capiat promissi lucra metalli.
De tribus hoc unum vitium, quo corruit Adam.
Hoc temptator adit Christum, cum culmine in alto
Regna hominum, pretiosum et quicquid in orbe tenetur,
Promisit fallax, si se submissus adoret.
Traditor hoc amens periit fervente veneno
Nomen et officium sortitus iure priorum:
Primus enim innocuum Iudas distraxit Ioseph,
Vendidit univocus cuius sceleratus Iesum
Iscarioht ex stirpe Isachar, qui iure vocatus
Est merces, quoniam lippa genetrice creatus,
Pomorum pretio quae lecto adscivit Iacob
Praesagio signans synagogae semine Iudam
Venturum, vili pretio qui venderet illum,
Sanguine qui proprio salvaret venditus orbem.
Furax ille miser marsuppia sacra cavando
Ad tantam rabiem pro lucri ardore volutus,
Invidus ad mulieris opus dum nobile myrrum,

---

756 gressum *sic A* 771 Promisit *A* 776 styrpe *A*

vae vobis, duces caeci): canes muti non valentes latrare; *Gregor. Homil. in ev. II* 40 *(M.* 76, 1302*)* nonnumquam solent in sacro eloquio per canes praedicatores intellegi *e. g. s.*

759 *Aen. IV* 27 tua iura resolvo. 760. 761 *Ios.* 7, 24 tollens Iosue Achan (Achar *LXX et quidam Latini ante Hieronymum*) .. duxerunt eos ad vallem Achor .. lapidavitque eum omnis Israel. 762—767 *Num.* 22—24. 768—771 *Cfr. supra ad v.* 434. 774 *Gen.* 37, 26 dixit Iudas fratribus suis: 'quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum?' .. 27 melius est, ut venumdetur Ismaelitis. 776 *Hieronym. Onom. (ed. Lagarde* 62, 7*)* Iscarioth memoriale domini . quod si voluerimus Issacharioth legere, interpretatur 'est merces eius'. 777—779 *Gen.* 30, 16 redeunti ad vesperam Iacob de agro egressa est in occursum eius Lia et 'ad me' inquit 'intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei'. 779 *Isidor. Allegor.* 28 *(M.* 83, 105*)* Lia synagogae figuram habuit, quae infirmis oculis (*Gen.* 29, 17 Lia lippis erat oculis) cordis sacramenta dei speculari non potuit. 784—786 *Marc.* 14, 3 venit mulier habens alabastrum unguenti et fracto effudit super caput eius. 4 erant autem quidam (*Ioh.* 12, 4 dicit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Scariothis, qui erat eum traditurus): 'ut quid perditio ista unguenti facta est? poterat enim unguentum istud veniri plus quam trecentis denariis' .. 6 Iesus autem dixit .. 8 'quod habuit, haec fecit: praevenit unguere corpus meum in

Quo pie praeveniens Christum perfudit humandum,
Denariis taxat trecentis, vilius ipsum
Vendit, in arbitrio pretium qui ponit ementum.
Non tamen hic finis sceleris: reus ille reatum
Flagitio cumulans aptavit in arbore vinclum
Adstringens tereti furialia guttura nodo.
Viscera rupta cadunt scisso de ventre nefando,
Quae tantum peperere dolum; diffusa per auras
Infelix anima ingreditur penitrale gehennae.
Miles avarus item, dum servat claustra sepulcri,
Quo Iudaea manus clausit crudelis Iesum,
Ore refert plenum Christi de morte tropheum:
Visibus angelicis conceptum corde pavorem,
Se iacuisse solo, remeat dum vita sepulto, —
Veridicus testis, si praemia nulla darentur.
Vertit ab hoc cupidum data multa pecunia vero:
Ablatum referens nocturno in tempore Christum,
Dum sopor ignavus iam fessos occupat artus.

XXVII. Huius avaritiae vitium didicere cavendum
Discipuli Christi, tunicae dum simplicis usu
Contenti peram portare vetantur et aera.
His vacuata pii tanta virtute refulsit
Dextra Petri, ad portam dum claudus debilis orans
Poscit elemosinam, gressum celeremque meretur.
Hac medicatus ope, iacuit qui pluribus annis
Ante fores templi, dono meliore levatus
Exilit ingreditur laudat veneratur adorat.
Denique quantum auri qualemque pecuniae amorem
Christicolae primi tenuere, haec gesta probarunt:
Quod sibi contulerat distractis venditor agris,
Calcavere suis pedibus nec tangere dextris
Dignati propriis inopum sparsere per usus.
Venditor Annanias, dum partem fraude retemptat,
Coniuge cum propria periit heu! morte citata:
Exitiale malum merita sic falce recisum.
Lerna palus anguem tenuit, de vertice cuius

791 sci/so *A* 793 gennae *A* 802 ignauus *sic A*

sepulturam'. — *Hieronym. Prolog. galeat. (Vulgat. ed. Tischendorf pag. XXVIII)* vos famulas Christi rogo, quae domini discumbentis pretiosissimo fidei myro *(sic Amiat.)* ungitis caput.

787 *Matth.* 26, 15 'quid vultis mihi dare? et ego vobis tradam'. at illi constituerunt ei triginta argenteos. 788—793 *Matth.* 27, 5; *Arator. I* 444 fusa ruit Arrius alvo Infelix plus mente cadens letumque peremptus Cum Iuda commune tulit, qui gutture pendens Visceribus vacuatus obit. 794—802 *Matth.* 28, 11—15. 802 *Cfr. Ge. IV* 190. 803—805 *Matth.* 10, 9 nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via neque duas tunicas: *cfr. Arator. I* 286. 806—811 *Act.* 3, 1—10. 812—818 *Act.* 4, 32—5, 10; *Arator. I* 405 rutili quod pompa metalli Ponitur ante pedes sacris non debita dextris; Destitui debere probant, quod tangere vitant Calcandumque docent, quod subdunt gressibus aurum. 820. 821 *Cfr. Serv. ad Aen. VI* 287 *compilatoresque eius a Thilone citatos.*

Ortos multiplices ydros antiqua loquuntur:
Proles avaritia haec multa ex genitrice creatur:
Fraus furor invidiae violentia cura tumultus
Anxietas maeror periuria furta rapinae
Durities commenta dolus fallacia discors,
Sollicitudo cupido tenax usura voluptas
Et dolor amissis et gaudia vana receptis,
Civilis rabies germanos inter et ensis
Dulcia disiungens natorum pignora patri.
Arpiae hac tres matre satae, quarum prior Aellon,
Altera et Oquipete, post tertia dira Celeno,
Dum rapiunt celeres, aliena et tegmine celant.
Ex hac et furiae Allecto Thisiphone Megera,
Cerberus inde trifaux, Fineus fenore caecus.
Haec iecur ut vultur rostro conrodit obunco,
Ut dypsa mordente sitis, haec addita crescit.
Hoc malum aureolum Discordia scissa deabus
Iecit, quod tenuit Veneris damnosa voluptas.

XXVIII. Haec portenta opus est ipsa cum matre recidi,
Ne nobis vitii dominetur turba nefandi,
Ut nil quaeramus super id, quod postulat usus,
Tegmine contenti et parco moderamine victus.
Quod super extat, inops capiat mendicus egenus,
Crescat elemosinae culmus, sit largus avarus,
Caelica terrestri mercentur praemia limo.
Transfer ad aetherii thesaurum culmen Olympi:
Quicquid egens sumit, Christum accepisse memento.
Qui dator, hic custos, largitor et ipse receptor,
Debitor ipse deus: non perdes fenus, avare.
Da huic, quicquid habes: non fur hoc tollat iniquus,

---

825 fallatia *manu aequali corr. A* 827 *post* dolor *locus vacuus A* 850 Da huic *sic A*

822—829 *Gregor. Moral. XXXI* 45 *(M.* 76, 621*)* de avaritia proditio fraus fallacia periuria inquietudo violentiae et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur; .. tristitia quoque ad avaritiam derivatur. 830—832 *Fulgent. Myth. I* 8 *(unde pendent Mythographi Vaticani)* Harpyias tres inferis Vergilius deputat: Aello Ocypete Celaeno *(Verg. Aen. III* 211 quas dira Celaeno*)* .. hoc signare, quod primum sit alienum concupiscere, secundum cupita invadere, tertium celare quod invadit(ur). 833 *Furias (quarum nomina poterat sumere e Fulgentio Myth. I* 6*) avari pati finguntur apud Serv. ad Aen. III* 209*; apud Aldhelmum (de VIII vitiis* 189*) Iram comitantur.* 834 *Aen. VI* 417 Cerberus .. latratu .. trifauci; *Fulgent. Myth. III* 11 Phineus in modum avaritiae ponitur et a fenerando Phineus dictus est; ideo caecus, quod omnis avaritia caeca sit, quae non videt sua. 835 *Aen. VI* 597 rostroque immanis voltur obunco | immortale iecur; *cfr. Fulgent. II* 9. 836 *Isidor. Orig. XII* 4, 13 dipsas genus aspidis, quae Latine situla dicitur, quia, quem momorderit, siti perit. 837 *Aen. VIII* 702 *(cfr. Vit. Amandi III* 25*)* et scissa gaudens vadit discordia palla; *Fulgent. Myth. III* 7 discordia malum aureum iecisse dicitur i. cupiditatem. 838 *Pont. I* 10, 33 Veneris damnosa voluptas. 841. 842 1 *Tim.* 6, 8 habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus. 847 *Matth.* 25, 40 quam diu fecistis uni de his fratribus minimis, mihi fecistis. 849 *Prov.* 19, 17 feneratur domino, qui miseretur pauperis. 850—851 *E. g. Matth.* 6, 19.

Tinea non sulcet vestem, non rodat aratam.
Esuriens socius mensae iungatur, amictu
Frigidus, et pateant peregrino tecta vianti;
Carceribus clausis solamen praebe loquelae.
Intuleras mundo nil, nil auferre valebis:
Illa tibi servata fient, quae miseris astris.
Si longinqua petis rediturus tempore certo,
Ne desint sumptus tibi, plurima ferre necesse est:
Ad patriam properas iugiter mansurus in illa —
Perpendas opus est, quae sis habiturus ibidem.
Hac euangelicus laudatur vilicus arte
Prospexisse sibi et stipendia fraude parasse,
Quae sibi sufficerent deiecto sorte futura,
Providitque sagax formica ut farris acervum
Atque oleum, miserantis opem, fomenta laborum
Et tegumen vestis, victum hospitiumque laremque
Ac breviter tactus citius sibi tanta paravit,
Pauperies illum premeret ne dira senectae,
Duceret et torquens aliena per ostia egestas:
Hoc exemplo animos tangat concussio nostros.
Nos nimis heu! miseri, lacrimarum flumine flendi
Virtutum granum nullum nec habemus olivum,
Quae superare famem valeant per saecla futuram.
Iam iudex rediturus adest, iam comminus instat,
Cui ratio reddenda gravis, cui sermo ferendus,
Cui nihil occultum, cui cuncta obscura patescunt
Nuda et aperta oculis, cui fraus nulla inficiatrix;
Teste eget hic nullo: qui cognitor, ipse relator.

XXIX. Istis temporibus doctrinae incumbit egestas;
Ora sacerdotum damnosa silentia servant;
Qui petat est rarus, tribuat qui, rarior, esum:
Hancque famem typicam carnalia gesta figurant.
Cum petit Helias tribui sibi fragmina panis,
Ecclesiae normam mulier viduata retentat,
Quae duo ligna crucis rectum versumque requirit,
In quibus illa coquat vitalem polline panem,
Nempe illum, vitam qui cuncto praebuit orbi:
Non oleo caruit, quam sanctus spiritus unxit.

---

861 euuangelicus *A* 877 fraux *A* 876 nichil *A* 878 qui *sic A*

855 1 *Tim.* 6, 7 nihil intulimus in mundum, haut dubium quia nec auferre quid possumus. 861—870 *Luc.* 16, 1—8. 864 *Aen. IV* 402 ac velut ingentem formicae farris acervum | cum populant hiemis memores tectoque reponunt. 876 *Luc.* 12, 2 nihil opertum est quod non reveletur neque absconditum quod non sciatur. 877 *Prudent. Psychom.* 630 fidei fraus inficiatrix. 879—909 *Gregor. Moral. VI* 27 *(M.* 76, 753*)* sicut fames carnis est substractum subsidium corporis, ita fames mentis est silentium divinae locutionis. 883—888 *Isidor. Allegor.* 95 *(M.* 83, 113*)* Elias Christum demonstrat .. 96 vidua, ad quam mittitur pascendus (3 *Reg.* 17, 10—16), ecclesia est, ad quam per fidem venisse legitur Christus; cuius farinae et oleo benedicitur et non deficit, i. gratia corporis Christi et chrismatis unctio, quae toto mundo quotidie impenditur et numquam minuitur.

Non aliud signant Helisaei tempora vatis,
Cui mulier clamans sibi crescere vidit olivum
Vascula perfundens, summas dum surgit ad oras:
Servitio geminam prolem liberrima solvit.
Ista prophetalis virtus; haec gratia Iesu,
Solvit loetiferi qui vincula saeva diabli,
Pro pomo vetito cui se constrinxerat Eva
Coniugis assensu cuncta cum prole ligata.
Paulus ad aethereum iam nunc sublatus Olympum,
Mane vorans praedas qui vespere dividit escas,
Circuiens mundum divinum semen in omnem
Sparsit et ad fidei pertraxit gaudia gentes.
Hoc chorus ille sequax sermone et sanguine signans
Distribuit populis transmissas caelitus escas.
Manna datum nimbis mirabile quisque cupiscat,
Colligat inde gomor, cui vivere constitit ardor,
Atque die sexto duplices sibi praeparet esus.
Israhelitae aliqui egressi per sabbata castris
Quaerere manna sibi vacui rediere gravemque
Persensere famem, qui sexto ferre laborem
Neglexere pium, macie tenuante subacti.
Aetas quippe suo currit iam sexta meatu;
Septima sancta quies sanctis sine fine feretur:
Non labor ullus erit, nec erunt tunc tempora arandi,
Nulla ibi spes segetis, quia semina nulla serentur,
Quippe feret meritis aequalia lucra maniplis,
Qui modo stertit iners, mendicus habebitur illic.

XXX. Dirige, Christe, tuos, in tanta messe, ministros,
Qui resecent lolium, vitiorum monstra recidant
Cum radice sua, ne horum torpore valescens
Crescentes spicas circumliget atterat urat.
Dirige, qui fundant de plenis tela pharetris:

889—892 4 *Reg.* 4, 1 mulier clamabat ad Eliseum dicens .. 'ecce creditor venit, ut tollat duos filios ad serviendum sibi' ... 2 cui dixit E. 'quid habes in domo tua?' ad illa respondit 'non habeo quidquam in domo mea nisi parum olei' ... 3 cui ait 'vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca .. et mitte inde in omnia vasa haec' ... 6 cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium 'affer mihi adhuc vas'. et ille respondit 'non habeo'. stetitque oleum. 7 venit autem illa et indicavit homini dei . et ille 'vade' inquit 'vende oleum et redde creditori tuo: tu autem et filii tui vivite de reliquo'. 898 *Isidor. Allegor.* 46 *(M.* 83, 107) Beniamin Pauli apostoli imaginem praetulit, quia et novissimus et minimus omnium apostolorum fuit electione et de tribu eius descendit: iste est lupus rapax, mane persecutor diripiens, vesper doctor pascens *(Gen.* 49, 27). 903—909 *Exod.* 16, 16 hic est sermo, quem praecepit dominus: 'colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita' .. 22 in die sexta collegerunt cibos duplices, i. duo gomor per singulos homines ... 25 dixitque Moyses 'comedite illud hodie, quia sabbatum est domini: non invenietur hodie in agro' ... 27 venitque septima dies, et egressi de populo, ut colligerent, non invenerunt. 28 dixit autem dominus ad Moysen 'usquequo non vultis custodire mandata mea et legem?' — *Gregor. Moral.* 31, 14 manna quippe est verbum dei. 910 *Sextam quam nunc agimus aetatem aeterna sabbata sequuntur.* 916 *E. g. Matth.* 9, 36.

Tempus adest pugnae, geritur luctamen agonis;
Qui stimulos acuat nobis, faber omnis abactus.
Ut legimus gestum regnante Saule profano,
Israhelita latet vitiorum conditus antris
Inque tenebrosis impuro corde cavernis.
Rarus, qui reptet manibus pedibusque, Ionathes,
Horteturque suo rediviva ad classica flatu,
Corruat allophilus cuius mucrone necatus,
Ducat et audaces inimica per agmina turmas
Vibret et ardentes adversa in pectora contos,
Liberet Hebraeos, animas mentesque fideles,
Armiger anticipans divini spicula verbi
Suggerat et iaciat curvatis arcubus ictus.
Spiritus adveniens fervorem sensibus indat,
Ut versus gladius vitalis pectora fratrum
Perforet excindat percurrat transeat intret,
Ut bellum reparent neque collum sub iuga curvent;
Quippe rogat curvari animas, ut transeat, hostis.
Est opus, ut spretis vitiis virtutibus almis
Ornemur, quo noster honos habitusque nitescat.
Sit candens poderis vestis, polimita talaris
Multicolora micet haedique in sanguine tincta:
Actio sit sacro Christi redimita cruore:
Vestiat haec nudos, haec finem praestet honestum.
Qui caput est nostrum, limes sit et ipse necesse est:
Incipiat faciat consummet suscipiatque.
Qui zabulum vicit hostem, qui stravit iniquum,
Auferat a nobis dominatum iure tyranni,
Servitiique iugum crescente putrescat olivo.
Nomine signati, illius quoque morte redempti
Non iam nostri erimus, sed sic teneamur ab illo,
Ulterius hosti ne iam subdamur acerbo.
Ut tamen unde meus coepit iam sermo recurrat
Ad te, sobrietas toto laudabilis aevo,

---

921 punę *A* 927 Hosteturque *A* 953 *incipit L*

922 *Pseudo-Melito (Spicil. Solesm. II* 296*)* fabri praedicatores: 'porro faber ferrarius non inveniebatur in Israel' (1 *Reg.* 13, 19). 923–933 1 *Reg.* 14, 11 'en Hebraei egrediuntur de cavernis, quibus absconditi fuerant'. 12 .. et ait Ionathas ad armigerum suum 'ascendamus, sequere me: tradidit enim dominus eos in manus Israel'. 13 ascendit autem Ionathas (Ionathes *apud Hegesippum*) manibus et pedibus reptans et armiger eius post eum. itaque alii cadebant ante Ionatham, alios armiger interficiebat. 22 omnes quoque Israelitae, qui se absconderant .., audientes, quod fugissent Philisthaei, sociaverunt se cum suis in proelio. 935 *Eph.* 6, 17 (assumite) gladium spiritus; *cfr. Hrabani Allegorias (Migne* 112, 940*)*. 940–944 *Isidor. quaest. in vet. testament. Gen.* 30 *(Migne* 83, 272*)* nudaverunt Ioseph fratres sui tunica polymita et talari *(Gen.* 37, 3; 31*)* et Iudaei Christum per mortem crucis expoliaverunt tunica corporali . polymitam autem, i. decoratam omnium virtutum diversitate . resperserunt autem tunicam haedi sanguine, quia falsis cum testimoniis accusantes in invidiam deduxere populi omnium peccata donantem; *Apoc.* 1, 13 similem filio hominis, vestitum podere. 949 *Cfr. ad* 889.

In te claudetur series perducta Camenae.
Hoc tamen exemplo monstrari rite valebis,
Quam speciosa mices, quam pulchro flore virescas,
Quod dulcis Ionathas, Davidis amator amantis,
Dum te servavit, per te sic fortiter egit,
Hostilis cunei ut fugientia terga feriret
Et populi innumeri iuvenis virtute subirent
Ense necem, ruerent fusae per prona catervae.
Sic victor, postquam summae gestamine virgae
Mella favi fluvidi libavit et attigit ore
Ac tenui gustu ieiunia iussa resolvit,
Versa sorte, Achias dum non consulta sacerdos
Ulla refert, reus est habitus, qui vicerat hostes:
Sic cassata suo victoria coepta tropheo.
Sobrietas violata citum cum morte periclum
Inferret iuveni, si non obstacula regi
Irato offerret popularis contio vulgi.
Sic memorant loetale malum virusque veneni
Serpentum humana superari ex ore saliva:
Hoc humore gravi mox illum posse necari,
Ieiunus colubri si hanc infuderis ori.
Sic vigor hic hominis facit illum occumbere morti,
Sic perimunt Satanan ieiunia sobria dirum.
Virtus viva valet vitiorum vincere virus:
Quae servata suos servat, quae perdita perdit,
Illa caput facta est, finis sit et ipsa libelli:

LAUS SIT, CHRISTE, TIBI, QUONIAM ISTA EST CLAUSULA PRIMI.

CONSEQUITURQUE BREVIS TITULATIO RITE SECUNDI.

I. Praeconia dei genetricis Mariae debita devotione celebrantur.
II. Annae pudicitia exemplo turturis commendatur.
III. Iohannis mira abstinentia praedicatur.
IIII. Passio ipsius et saevitia Herodis refertur.

---

957 spetiosa *et similia saepius L* 964 fluide *L* 968 tropęo *hic et paucis locis A* 972 letale *hic illic A* 977 satana *A* || I. Preconia *et sic raro* e *pro* ę *L*

958—971 1 *Reg.* 14, 24 adiuravit Saul populum dicens 'maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis' .. 26 ingressus est populus saltum et apparuit fluens mel .. 27 Ionathas non audierat, cum adiuraret pater eius populum, extenditque summitatem virgae, quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis et convertit manum suam ad os suum ... 36 et ait sacerdos (*Achias* 14, 18) 'accedamus huc ad deum'. 37 et consuluit Saul dominum .. et non respondit ei in die illa ... 42 et ait Saul 'mittite sortem inter me et inter Ionatham' .. et captus est Ionathas .. 43 et ait *(Ionathas)* 'gustans gustavi in summitate virgae .. paululum mellis et ecce ego morior' .. 45 dixitque populus ad Saul 'ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel?' .. liberavit ergo populus Ionathan, ut non moreretur; *cfr. Gregor. Moral.* 30, 18 *(M.* 76, 557*)*. 972—975 *Ambros. Hex. VI* 4 medicamentum quaeris et ieiunium fugis, quasi maius aliud remedium reperire possis: ieiuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur . vides, quanta vis ieiunii sit, ut et sputo suo homo terrenum serpentem interficiat et merito spiritalem.

V. De malitia mulierum et quod ex saturitate libido nutriatur.
VI. Quod Christus nobis via, veritas et vita factus temptatorem superans superabilem fecerit.
VII. De ebrietate et quod plurima ex ea mala oriantur.
VIII. De pugna carnis et animae.
IX. Ne in adventu Christi gulae servientes inveniamur.
X. De quattuor virtutibus principalibus.
XI. Exempla sobrietatis de Christo et apostolis illius.
XII. Brevis descriptio textus euangelici et quia Christus pax nostra est.
XIII. Quod lex divina omnibus habilis sit et de pane, pisce et ovo a patre petendis.
XIIII. Ut lapsi per paenitentiam et confessionem resurgere discant.
XV. De filio prodigo, qui patre relicto porcos pavit.
XVI. Quod per paenitentiam revertens misericorditer receptus sit.
XVII. De laude pudicitiae et virginitatis et de verbo incarnato.
XVIII. De inpudicitia carnalium sacerdotum.
XIX. De habitu sacerdotali et pauca de hypogrisi.
XX. De laude et doctrina bonorum sacerdotum.
XXI. Lacrimabilis planctus auctoris huius opusculi.
XXII. Luctuosae preces eiusdem et quantus pavor vel quae fiducia in die mortis.
XXIII. Finalis invocatio, ut sibi in iudicio severitatis obviet miseratio pietatis.
XXIIII. Epilogus totius opusculi cum signaculo.

FINITIS TITULIS URANIA MUSA BOABIT
ECCE SECUNDUS HIC EST DE SOBRIETATE LIBELLUS.

I. Hactenus antiquos descripsi carmine patres,
Nunc euangelicas est par temptare Camenas.
Virtutum inprimis titulos in versibus istis,
Virgo Maria, tuos qua possum laude beabo.
Altithroni genitrix, laus mundi, gloria caeli,
Per te diffusa est in totum gratia mundum:
Fons signatus aquae, purissima vena salutis,
Hortus conclusus quo fons processit honestus,
Caedrus cypressus platanus nux myrtus oliva,
Myrra storax calamus thus balsama cassia nardus,
Onyx cristallus prasius berillus iaspis,
Ianua clausa, domus qua solus conditor exit,
Tu portas paradisi aperis, quas clauserat Eva,
Loetiferum vetita dum carpit ab arbore malum;
Sed crucis in ramis pomo pendente salubri
Progenito de carne tua, tu planctibus instans,

post V. *tituli et duo versus titulis subscripti folio uno exciso perierunt L* IX. De in aduentu *A* XI. illius *manu aequali add. A* XIX. hypogrisi/ *A* || 9 mirtus *A* 13 paradysi (*et sic semper*) *L*

7. 8 *Aldhelm. de Maria Laud. virg.* 1737 hortus conclusus *(Cant.* 4, 12) florenti vertice vernans | fons quoque signatus *(Cant. ibid.)* caelesti gurgite pollens | nec non et turtur tremulus, cui praescius infit | angelus 'en sobolem generabis, virgo, perennem'. 9 cedrus *Salzer Sinnbilder und Beiworte Mariens Linz* 1893 *pag.* 151; cypressus *ibid.* 153; platanus *ibid.* 140. 10 *Cfr. Salzer l. c. pag.* 157 *et passim.* 11 *Cfr. Salzer pag.* 199. 12 *Salzer pag.* 28. 13 *Salzer pag.* 29.

Gaudia quis mundo veniunt, iam clave recepta
Ducis adoptivos ad caeli culmina natos.
Quicquid iure sacrum, quod nobile, quod pretiosum
Huius quadrifidi tenuit constructio mundi,
Exsuperas, sanctosque viros virtutibus altos,
Angelicos etiam vincit tua gratia coetus.
Qua te voce canam, quibus et sermonibus aequem?
Garrula lingua iacet, mundi laus omnis in imo est.
Pluribus in sanctis virtus laudabilis una est:
In te largifluis fulgent carismata donis.
Te tua sancta fides fidei superextulit Abrae,
Cui deus ipse loquens gignendum spondet Isaac,
Qui ridens dubitat, dum centum computat annos;
Zacharias nutat, tu credula 'sic fiat' inquis.
Sed minus est geminis genitoribus edere prolem,
Virgine quam genitrice viri sine semine gigni —:
Mente humilis mater legeris famulamque fateris.
In te quanta fuit mentis constantia, miror:
Cum Gabrihel solio veniens archangelus alto
Exuviis rutilus, vultu et sermone verendus
Iunxit amicali tecum sermone loquelas,
Non tamen inde gravem cepisti corde pavorem.
Vir fortis Danihel caelestibus ille suetus
Angelico vultu terretur et haeret in imis
Surgere non ausus, prius hunc quam dextra levaret;
Iacob ille, deo forti dum certat agone,
Claudicat — et, pia virgo, modum de prole requiris.
Margarita micans, praecellens unio gemmas,
Cum te debuerim ter cocto ornare metallo,
Sit veniale mihi, quia clausi indoctior aere.
Attrectare tamen tantae praeconia laudis
Sufficiat voluisse pie, tu cetera parce;
Tu mihi protectrix dominatrix auxiliatrix
Adsis, posco precor, decus altae virginitatis.

---

38 coepisti *L* 47 Attra(a *ex* e)ctare *L* 50 Assis *L*

27—29 *Gen.* 17, 17 cecidit Abraham in faciem suam et risit dicens in corde suo 'putasne centenario nascetur filius?' 30 *Luc.* 1, 18 dixit Zaccharias ad angelum 'unde hoc sciam? ego enim sum senex'. — *Luc.* 1, 38 dixit Maria 'ecce ancilla domini: fiat mihi secundum verbum tuum' et discessit ab illa angelus. 33 legeris *sc. in evangeliis;* famulam: *cfr. ad* 30. 39—43 *Gregor. Moral. IV* 33 *(M.* 76, 674*)*. 39—41 *Dan.* 10, 8 ego relictus solus vidi visionem grandem hanc et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me et emarcui, nec habui quicquam virium .. 10 et ecce manus tetigit me et erexit me super genua mea. 42. 43 *Gen.* 32, 24 ecce vir luctabatur cum eo usque mane. qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris eius et statim emarcuit. .. 31 *(Iacob)* claudicabat pede. — *Luc.* 1, 34 dixit Maria ad angelum 'quo modo fiet istud, quoniam virum non cognosco?' 44 *Salzer l. c. pag.* 224. 47 *Paneg. ad Messall.* 177 tantae praeconia laudis; *quam clausulam unde Milo mutuatus sit, ignoro (cfr. Petschenig Literar. Centralblatt* 1895 *pag.* 498*)*.

Sobria vita tibi, cuius dator editus ex te est:
Hanc nobis comitem tua sancta oratio reddat.
Alba columba ferens ut ramum detulit arcae
Ore suo viridem, dum pacem nuntiat orbi,
Sic, pia, Christicolas, qui te venerantur amanter,
Paci concilia, genitam quam ventre beato
Ad nostram felix fudisti, virgo, salutem.

II. Nunc Annam viduam laetis cantabimus odis,
Quae sibi praerepto immatura morte marito
Ulterius nullum ceu turtur casta iugalem
Coniugio dignata suo viduata remansit.
Sic octogenis et quattuor insuper annis
In templo domini ieiunia sobria ducens
Ardentes motus carnis virtute subegit:
Rore pudicitiae tam magnus concidit ignis.
Unde prophetalem merito virtutis honorem
Accipiens tectum velamine carnis Iesum
Cognovit, de quo multo sermone locuta est.
Sic Salomon Christi epithalamia laudibus ornans
Huius avis cantum praenuntius ore revelat:
'Audita est nostra in terra vox turturis' inquit.
Turtur adest, geminis quam vexit gratia pennis,
Anna: nec immerito, sancta haec quia gratia fertur.
Istis turturibus holochausta fidelis Abraham
Obtulit ille deo, cuius haec stirpe creata est,
Cum sibi signa deus, proles qua sorte futura
Ex tanto genitore foret, monstraret amico,
Cum pro regno aries, pro legis fasce iuvenca
Proque gravi scelerum lasciva capella reatu
Atque habitura sua pro simplicitate columba

70—105 *uno folio exciso perierunt L* 80 *columbas *A*

58—85 *Gregor. Moral. XXXII* 3 *(M.* 76, 635*)*. 61—68 *Luc.* 2, 36 erat Anna prophetissa .. 37 et haec vidua usque ad annos LXXXIV, quae non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. 38 et haec ipsa hora superveniens confitebatur domino et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Hierusalem. 67 *Sedul. III* 294 texit adoratam carnis velamine formam. 68—71 *Cantic.* 2, 12 vox turturis audita est in terra nostra. 72. 73 *Hieronym. Onom. pag.* 34, 11 Anna gratia eius. 74 *Augustin. Civ. dei XVI* 24 cum interrogasset Abraham, secundum quid sciret, quod heres eius erit, dixit illi deus *(Gen.* 15, 9*)* 'accipe mihi iuvencam trimam et capram trimam et arietem trimum et turturem et columbam'. .. sive per invencam significata sit plebs posita sub iugo legis, per capram eadem plebs peccatrix futura, per arietem eadem plebs etiam regnatura .. sive aliquid aliud convenientius ista significent, nullo modo tamen dubitaverim spiritales in ea praefiguratos additamento turturis et columbae. .. utraque tamen avis est simplex et innoxia, significans et in ipso Israelitico populo, cui terra illa danda erat, futuros individuos filios promissionis et heredes regni in aeterna felicitate mansuri. 76. 77 *Gen.* 15, 5 'suspice caelum et numera stellas, si potes' et dixit ei 'sic erit semen tuum'. 78—81 *Intellege: per arietem regnum, per iuvencam legis fascis, per capellam scelerum reatus significatur; columba et turtur, qua sunt simplicitate, castorum insignia sunt (habetur enim, ut ait poeta, columba habitura castos et turtur iis non cariturus).* 79 *Ecl. II* 64 sequitur lasciva capella.

Nec castis caritura, velut haec, turtur habetur,
Casta, pudica, vigil nocturna in laude cicada.
Sic gemina virtute cluens facta altera Iudith:
Illa ducem truncans, haec Christum voce celebrans.
Hac vidua viduis sit vitae mundior actus.

III. Quanta pudicitiae virtus, quae sobrietatis
Gratia sit, sanctus docuit baptista Iohannes.
Praeco redemptoris, vox verbi plusque propheta,
Angelus ipse dei, praenuntius ille futuri
Ex utero matris Christum cognovit adesse.
Nomine qui patris taciturna silentia solvit
Monstravitque dei turbis venientibus agnum,
Planans ille vias, prava in directa reducens,
Deiciens colles valles extollit et implet;
Maior enim in natis mulierum nemo Iohanne:
Celsior hoc Christus sacra de virgine natus.
Virtutum generale decus, quod patribus auctor
Distribuit varians specialiter, indidit isti.
Summa fides in hoc: genitor negat, iste salutat;
Ille tacet mutus, hic 'adest nunc' praedicat 'agnus'.
Spe meliore vigens praemonstrat horrea granis;
Inde metum recinens paleis denuntiat ignes,
Qui karitate pios fructus hortatur agendos.
Mente humilis viso Christo baptisma recusat,
Illius et iussu sed mox devotus obaudit.
Praeterea quos sobrietas ad celsa levavit,
Virtutum nutrix, super omnes laude Iohannem
Extulit, inque heremo castissima vita remotum
Longius humanis illum conventibus abdens

---

102 retinens *A* 109 addens *L*

88. 89 *Luc.* 7, 26 quid existis videre? prophetam? utique dico vobis, et plus quam prophetam. 27 hic est, de quo scriptum est 'ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te'. 28 dico enim vobis, maior inter natos mulierum propheta Iohanne baptista nemo est. 90 *Luc.* 1, 41 et factum est: ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius. 91 *Amat. II* 505 taciturna silentia vitet. 92 *Ioh.* 1, 29 altera die vidit Iohannes Iesum venientem ad se et ait 'ecce agnus dei, qui tollit peccatum mundi'. 93. 94 *Luc.* 3, 4 sicut scriptum est in libro sermonum Esaiae prophetae: vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. 5 omnis vallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur et erunt prava in directa et aspera in vias planas. 6 et videbit omnis caro salutare dei. 95 *Vide ad* 88. 99 *Cfr. ad v.* 30 *et* 89. 100 *Luc.* 1, 22 *(Zaccharias)* egressus non poterat loqui ad illos, et cognoverunt, quod visionem vidisset in templo: et ipse erat innuens illis et permansit mutus. — *Cfr. ad v.* 92. 101—116 *Matth.* 3, 4 Iohannes habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliciam circa lumbos suos: esca autem eius erat lucustae et mel silvestre. .. 7 videns autem multos Pharisaeorum .. venientes ad baptismum suum dixit ... 10 'omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. 11 ego quidem vos baptizo in aqua in paenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est .. ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni. 12 cuius ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem conburet igni inextinguibili.' 13 tunc venit Iesus *cet.*

Caelicolis sociat: saliens locusta cibavit
Mellaque de foliis parcum pavere prophetam;
Posthabitis stolis aurato stamine textis
Carnis amictus erat vilis lanugo cameli;
Balteus et rutila gemmarum luce coruscus,
Quo pater usus erat, ceu funis viluit asper,
Zona etenim castos cinxit pellicia lumbos.

IV. Qualis in hoc virtus, constantia quanta, probavit
Impius Herodes solita feritate calescens.
Qui sibi de thalamis fratris sine lege iugalem
Abstrahit inlicitoque thoro conubia iungens
Turpis adulterii crimen facinusque reportat.
Non tulit hoc fidei fervens ardore propheta:
Arguit Herodem verbis pietatis iniquum,
Quatinus incestae curet rescindere vinclum
Et sibi prospiciens scelerata cubilia solvat.
Talia tractanti rex impius obstruit aures,
Aspidas ut fama est surdescere carmine Marsi,
Doctoremque suae solita impietate salutis
Constrictum vinclis tenebroso in carcere claudit.
Non dispar pater huic et nomine et impietate,
Dum monstrante mago natum cognoscit Iesum,
Spondet adorandum simulata callidus arte,
Non tamen effectum sceleris habiturus; id ipsum
Incurrit facinus perversi prava voluntas.
O lupe saeve vorax, tibi lex specialiter infit:
'Matris ab uberibus non hedum in lacte coquendum'.
Aegypti ad patriam iam Ioseph vexerat illum,
Quem tu dente fremens vicina per oppida quaeris,
Ingluviemque tuam puerorum mortibus exples,
Dumque ex te genitis crudelius ingeris enses,
Ut vivat sub te nato securior est sus.
Hic basiliscus adest colubro ferus editus ex te,

---

118 Impetus herodis *L* 124 Quatenus *L* resindere *L* 131 nato *corr. L* 140 crudelibus *A* 142—249 *tribus foliis excisis perierunt L*

114. 115 *Exod.* 29, 8 indues tunicis lineis cingesque balteo 9 .. eruntque sacerdotes mihi religione perpetua. 117—129 *Matth.* 14, 3; 4. 126 *Aen. IV* 440 placidasque viri deus obstruit aures. 127 *Ps.* 57, 5 furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdae et obturantis aures suas, 6 quae non exaudiet vocem incantantium. 130—140 *Matth.* 2, 16—20. 135. 136 *Exod.* 23, 19 non coques hoedum in lacte matris suae. 140. 141 *Macrob. Sat. II* 4, 11 cum *(Augustus)* audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudaeorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait melius est Herodis porcum esse quam filium *(haec Parisinus videtur praebere,* mallem H. porcus e. q. filius *Bambergensis); verborum structura est:* est, ut sus sub te securior nato vivat. 142—188 *Marc.* 6, 21 Herodes natale suo cenam fecit principibus et tribunis et primis Galilaeae. 22 cumque intro isset filia ipsius Herodiadis et saltasset et placuisset Herodi simulque recumbentibus, rex ait puellae 'pete a me quodvis et dabo tibi, licet dimidium regni mei'. 24 quae cum exisset, dixit matri suae 'quid petam?' et illa dixit 'caput Iohannis baptistae'. 25 cumque intro isset ad regem, petivit dicens 'volo, ut protinus des mihi in disco caput Iohannis'. 26 et contristatus est rex propter ius

Qui in natale suo convivia opima paravit
Principibus cunctis, ducibus populique tribunis:
Convenere locum pariter properanter ad unum.
Rex aderat, pomposa satis quem mensa receptat;
Mollibus in fulcris stratisque sedilibus ostro,
Mente tumens et veste nitens, diademate fulgens
Praecipit auratos sibi deservire ministros.
Quot gazis pollet, vitiis tot et ipse redundat:
Fervet avarities gremiique extendit hiatum,
Luxuria enervat discinctos fetida lumbos,
Adsidet et lateri ventosa superbia dextro.
Miratur stupidus fulgentia vasa satelles
Atque merum bibit in pateris rutilansque Falernum.
Quo pudor omnis abest, verecundia longius acta est,
Non ibi lex, non fas, non ius, non quicquid honestum est.
Plena domus vitiis et gastrimargia in omnes
Discurrens mensas pinguem distenderat alvum,
Exudans satiare nequit quam turba coquorum,
Ebrietas luxus petulantia, lusus inanis,
Harpa lirae cytharae psalteria fistula musae
Cimbala sambucae simphonia timpana sistra.
Organicumque melos aptabat filia mortis,
Vipera vipereo saltatrix germine creta.
Sibilat ut serpens, ut, regulus, ore volucrem
Sorbeat, ad caput haec tendit fera bestia vatis;
Fraude dolos versans, praestructus et arte maligna
Herodes iurat se praemia cuncta daturum,
Quaeque puella petat, quae matre edocta magistra.
Nec mora nec requies, quin a cervice resectum
Discus inauditum scelus inter fercula portet;
Nec satis ad facinus, si in carcere colla secentur,
Ni caput invisis mensis ponatur edendum,
Silvicolae velut est apri monstrarier usus.
Impius impurus sceleratus spurcus iniquus
Tristatur vultu, sed gaudet corde tyrannus,
Quod tractata diu facta est occasio caedis.
Ne tamen innocuum maculent periuria regem,
Insignemque virum titulis et laude priorum
Degenerem patri fallendi infamia reddat,
Lictorem mittit, referat qui dona lyciscae.
Ille caput flexum gladio fulgente recidit
Convivisque feris rorantia fercula portat

---

162 fitula *A* 163 sin(n *corr. ex* m)phonia *A* tin(n *corr. ex* m)pana *A* 171 refectum *A corr. Harster* 173 id facinus *Neff* 182 lycissae *A*

iurandum ... sed misso spiculatore praecepit adferri caput eius in disco. 28 et decollavit eum in carcere et adtulit caput eius in disco et dedit illud puellae, et dedit matri suae.

152. 153 *Iuvenc. III* 54 *de Herode* luxuriae quoniam coniuncta superbia gaudet. 162. 163 *Cfr. Dan.* 3, 15. 171 Nec mora nec requies *e. g. Ge. III* 110.

Purpureosque thoros et candida gausapa lino
Sanguine perfundit russo, miserabile visu.
Filia laeta capit donum exitiale suaeque
Fert matri madidis stillante cruore capillis.
Attamen hac melius vivit nunc morte Iohannes,
Quippe suo occubuit genuino Herodes iniquus.
Alterutris compar meritorum reddita sors est:
Hic moritur nascens moriensque renascitur ille;
Gastrimargus et incestus perit igne gehennae,
Sobrius et castus caelesti in lumine gaudet.
Risimus et iubilo cordis cantavimus hymnum,
Quem David cecinit, teneris abductus ab agnis
Cum torsit teretem nimio stridore lapillum
Et stravit celsum membris animisque gigantem,
(Non secus annosam qui sternit robore quercum).
Risimus infandum quem Iudith casta Holofernem
Truncavit, vitium quia virtus sancta subegit:
Nunc tempus flendi lamentaque fundere amara,
Flagitii impietas tantum quod robur adepta est,
Ut caput auferret saltatrix simia vatis.
Martyris eximii est haec passio sancta Iohannis,
Haec inlaudati scelerum monimenta tyranni.

V. Hic mulieris amor, hic cantus, sibilus est hic:
Ista est forma placens, quae ad Tartara mittit amantes;
Liliolum candens morbo veniente putrescens;
Haec rosa flore rubens, sed post urtica perurens;
Lanigeris ovibus tribuli isti vellera tollunt.
Hac deceptus Adam seclusus ab arbore vitae est;
Sic Emor et Sichem Dina periere subacta;
Hebraei mixti scortis coluere Priapum;
Turpavit meretrix Sanson saxoque molari
Addixit — moluisse tamen scrutare quid hoc sit —;
Hae bis septenos Iacob servire per annos
Fecerunt, noctesque dies ferventior aestus
Mitigat ardentem sub cancri sidere solem,
Dumque fugit, Ioseph moechae sua pallia linquit.

---

199 *an* *quis ? 200 quem *in loco raso A*] cum *Desplanque*

190 *Herodes ut serpens (v.* 142*) dente suo perisse fingitur. Hegesipp. Bell. Iudaic. II* 5 Herodes, qui Iohannem neci tradidit, perfidiae et crudelitatis suae pretium luit deiectus regno atque exilio datus. 195–199 *Cfr. ad I* 496*; hoc loco Milo respexit ad psalmum* 151 *(qui in Latinis exemplis inscribitur* hic psalmus sibi proprie scriptus est David extra n. CL, cum pugnavit cum Golia, *Sabatier II* 287*), quem tamen incertum est utrum ipse in codice legerit an noverit per scriptorem antiquiorem.* 208 *Aen. VI* 543 ad impia Tartara mittit. 213 *Gen.* 34. 214 *Hieronym. Onom. pag.* 101, 28 Beelfegor *(Num.* 25, 3*)*, quod interpretatur simulacrum ignominiae. est autem idolum Moab cognomento Baal super montem Fogor, quem Latini Priapum vocant. 215. 216 *Iudic.* 16, 21 clausum in carcere molere fecerunt: 216 *Milonem ad allegoricam interpretationem respicere, qualis extat apud Gregor. Moral. VI* 18*, non crediderim, sed iocatur in molendi significationem obscenam.* 219. 220 *Prae uxoris Putiphar libidine in dies magis aestuante solis Aegyptii ardor (*sub sidere cancri *Ecl. III* 68*) mitis videbatur.*

Huius amor gemino maculavit crimine David,
Dum nimis indulget mulieribus inlaqueatus;
His sapiens Salomon est factus apostata flendus;
Hac timidus Petrus accusante negavit Iesum.
Promptum est historias veterum percurrere versu,
Sed, quia perlongum est, non haec intacta relinquam:
Ingluvie ventris plures concrescere pestes
Multiplicemque uno de semine surgere prolem.
Luxuries ardens hac amplius accipit ignes,
Non aliter flammae quam si quis spargat olivum.
Liber et alma Ceres Veneri nutrimina praebent,
Quis sine frigescit fervens extincta libido,
Suntque suo vicina satis genitalia ventri.
Filia sanguisugae haec, Salomon quam concinit, una est,
Altera avarities, amor insatiatus habendi.
'Sufficit' ignorant geminantque frequentius 'adfer,
Adfer adhuc': istis nulla est mensura modusque.

VI. Mors et vita tibi, lector, clarissima iam sunt,
Dextrum iter et laevum monstrat scriptura patenter:
Iam vetus atque novum profert tibi scriba peritus
Ille euangelicus, qui miscet tristia laetis,
Supplicium miseris et praemia digna beatis:
Prende viam quamvis, sed dextra salubrior illa est —
Fert iter ad caelum —, quam quae demergit in imum.
Recta via est Christus, qua pergunt rite viantes;
Ille nihil fallens est summa scientia veri;
Hic quoque vita vigens, dux, doctor, vivificator;
Omne bonum per quem, cum quo, felicibus in quo:
Se iubet ille peti et quaeri, se praestat haberi.
Ille dator legis, per quem benedictio venit,
Qua queat impleri lex, praecipit adiuvat auctor.
Qui nos cum vitiis docuit certamen inire
Et sibi congressum ternis conflictibus hostem
Reddidit enervem, stravit calcavit abegit,
Colla tyrannorum ceu quondam ductor Iesus,
Quo superare queas pugna leviore subactum.

---

225 Pruptum *A* 245 christo *A* 252 cum] con *A*

221. 222 *Reg.* 2, 11. 223 *Cfr. ad I* 468. 225 *Nimis circumcise; voluit:* promptum est historias percurrere, sed, quia perlongum est, non percurram: hanc tamen non praetermittam. 228 *Ge. II* 14 pars autem posito surgunt de semine. 230. 232 *Ex Hieronymo proverbia novit: cfr. Otto Sprichwörter d. Römer pag.* 253 *et* 366. 231 Liber et alma Ceres *Ge. I* 7. 234—237 *Prov.* 30, 15 sanguisugae duae sunt filiae dicentes 'affer affer'. tria sunt insaturabilia et quartum, quod numquam dicit 'sufficit'. 238—299 *Ioh.* 14, 4 'et quo ego vado scitis et viam scitis'. 5 dicit ei Thomas 'domine, nescimus quo vadis et quomodo possumus viam scire?' 6 dicit ei Iesus 'ego sum via et veritas et vita'. 250 *Ps.* 83, 8 benedictionem dabit legislator. 253—271 *Matth.* 4, 1—11; *Luc.* 4, 1—13. 255 *Iosue.* 10, 24 ait *(Iosue)* ad principes exercitus qui secum erant 'ite et ponite pedes super colla regum istorum'. *Isidor. Allegor.* 72 *(M.* 83, 111*)* Iesus Nave imaginem salvatoris expressit, qui nos in terram repromissionis induxit et in regnum caelestis gloriae collocavit.

Prima tulit hostis prisci temptamina Christus,
Esuries cuius suspectum fecerat illum;
Accedens temptator ait: 'si filius es dei,
Haec panes saxa esse iube'; cui protinus ille
Moysaycae legis responsum reddidit atque
Saxea tractantem ceu saxo perculit ipsum.
Nec tamen absistit primo hoc certamine victus,
Donec ad solitum nota feritate duellum
Viribus ille suis audens maiora rediret.
Mille dolos versans, animas tres mente resumens,
Ter prostratus humi, captus simul ore trifauci
Imperium mundi liquit, quod fraude tenebat.
Sicut enim lentus graditur per saxea serpens
Post sua non monstrans ullum vestigia sulcum,
Non secus in Christo peccati vulnera fixit
Hostis: in hoc primo victoria coepta, sed illo
Tempore perfecta est, quo crux Calvarie fixa est,
Cuius in ancistro fortem Leviathan aduncans
Extulit elatum mira virtute triumphum:
Fortia per geminos extendens brachia ramos
Omnia pertraxit, pedibus quoque strata subegit.
Qui genus humanum in radicis origine tactum
Ore venenato colubri pietate redemit,
Sanguinis ex pretio chyrographi debita solvit
Affixitque cruci dominantem fraude tyrannum
Evacuans, hostile iugum a cervice reiecit:
Victus ab hoc zabulus superabilis inde tenetur,
Victoris si colla iugo subdantur amico.
Ille iubet, si quod facimus, si iure petamus
Auxilium, ne, quod facimus, bona nostra putemus:
Nemo cadit gravius, quam qui virtute superbit,
Deterius nullus, quem desperatio frangit.
Omne etenim donum desursum pervenit in nos,
Omne malum ex nobis vel quod male suggerit hostis:
Sic deus est summis, sic limus surgit ab imis.
Haec est nostra fides, hanc quaerimus inde salutem,
Terrea qui celsis, caelestia miscuit imis,
Dum procul actus homo a paradiso redditur astris.
Hac mercede placent primi commissa parentis:
Si caelum capiam, levis est amissio terrae.
Materies infirma sumus, sed fortior hoste est,

259 di *A* 261 Mosaycę *L* 268 liquid *L*

274. 275 *Gregor. Moral. XXXIII* 20 *(ad Iob* 40, 20 an extrahere poteris Leviathan hamo*)*. 280. 281 *Coloss.* 2, 14 delens quod adversus nos erat chirografum decretis, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. 289. 290 *Iacob.* 1, 17 omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum; *Iacob.* 1, 13 nemo, cum temptatur, dicat, quoniam a deo temptatur. 295 *Lucan. I* 37 iam nihil, o superi, querimur: scelera ista nefasque | hac mercede placent.

Quo stamus miserante, gravi quo fasce levamur,
Quo linquente nimis ruimus pressique iacemus.
VII. Hostilis cunei dominatum foeda retentat
Ingluvies, mundum quae iam sibi vindicat omnem;
Rarus in orbe satus, quem haec non illicit hostis.
Perspice fumantes iam nocte dieque culinas
Sudantesque coquos tetra fuligine nigros,
Fercula portantes, pallentes fasce ministros.
Stat pincerna potens iam lassus in aede reclinis,
Alternis vicibus varians vestigia stertit
Et tacita ventri maledicit fauce capaci:
'Vae' quibus Esaias duplicatum assignat utrisque.
Heu nimis obstrusae monitis caelestibus aures:
Dixit Iesus discipulis: 'attendite vobis,
Ebrietas ne corda gravet, ne ventre referto
Incoctis escis dominetur crapula turpis
Sicque repentinae finis ruat ultimus horae.'
Turpe est ebrietas, si te tibi subtrahat ipsum:
Illa nocens animae nostraeque inimica saluti
Commaculat corpus, mentem subvertit et aufert,
Consilium perimit; caput huc illucque rotatu
Assiduo vergit, titubant vestigia gressu,
Pallent ora et lingua latrat visusque negatur,
Vixque dies alter sensum restaurat eundem.
Vinum etenim nimium sic fit loetale venenum,
Debilitas quippe hoc sumpto fera pluribus orta est;
Hoc furor insanit, hoc flamma libidinis ardet.
Piscis enim hamo pandit velut oris hiatum,
Ardens ille gula, quo captam gluttiat escam,
Sic avidas intra fauces qui suscipit illud,
Sentiet hostiles fervente in corpore motus.
Hinc Salomon, docuit sua quem Sapientia mater:
'Ne capiaris,' ait 'flavum cum vitra colorem
Scintillante gerunt per vascula clara Lyaeo:
Quod blande ingreditur, coluber mordebit ut asper,

---

298 leuantur *corr. L* 301 uendicat *L* 302 *satis *AL: cf. infra v.* 611 309 isaias *L* 326 glutinat *L* 331 lieo *et sic semper A* 332 blandet *A*

300—365 *Multa congruunt cum Augustini personati sermonibus* (293. 294) *de ebrietate (ed. Migne V* 2303*), alia cum Ambrosii verbis de Elia et ieiunio cap.* 12 *seq.* 309 *Isai.* 5, 11 vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis; *ibid.* 5, 22 vae qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem. 311—314 *Luc.* 21, 34 attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae et superveniat in vos repentina dies illa. 325 *S. Basilii Admonit.* 14 *(Migne* 103, 695*)* sicut piscis cum avidis faucibus properat, ut glutiat escam, et repente hamum inter fauces reperit hostem, ita ebriosus intra se vinum suscipit inimicum, quod intra eum morans impellit ad omne opus foedissimum. 329—338 *Prov.* 23, 31 ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande; sed in novissimo mordebit ut coluber et sicut regulus venena diffundet ... 34 et eris sicut dormiens in medio mari et quasi sopitus gubernator amisso clavo. 35 et dices 'verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me et ego non sensi: quando evigilabo et rursus vina reperiam?'

Ut basiliscus item diffundet acerba venena:
Utque gubernator clavo sopitus abacto
In medio pelagi recubans haec verba loqueris:
"Verbere non dolui necque tractus somnia rupi;
Nunc vigilans ubi vina petam? capitisque dolorem
Unguine quo pellam? quibus escis ora resolvam?"'
At nunc post satiem, quo plus quam posse bibatur,
Undantes calices memorant caritatis amores.
Sumitur aestate, ardentes ut temperet aestus,
Nec minus in hieme, quo pellat frigora brumae,
Praebeat atque citum media iam nocte soporem:
Viribus alternis algori atque inde calori
Prospicit et totum sic Bachus regnat in orbem,
Temporibus variis dum totum continet annum.
Pluribus increvit — sed non laudabilis — hic mos:
Post nimium vinum, quo se usque ad guttura complent
Et tremebunda suo quatiuntur menbra Lyaeo,
Sic medicos adhibere modos, ut vina resumant,
Nocturnas oriens cum sol discusserit umbras,
Excludique putant repetita peste tremorem,
Ut liquor ardores et fauces proluat ustas.
Sic sceleri scelera accumulant, sic noxia noxis,
Sic morbum morbo, sic febrem febre repellunt.
Horreo, sordidius quod multis contigit unum:
Multiplicata prius non Bachica pocula cessant,
Quam nimis impletus revomat, quas hauserat, offas
Venter et immixto fundantur stercora vino,
Quo malus ingressus, gravior sit ut exitus illi
(Perifrasin vito, quia multis cognita dico).
Hos, sibi quae servent orandi tempora, posco;
Lectio qualis erit? quo sensu mystica quaerent?
Quale opus in manibus? benedictio qualis in ore?
Nam scriptura monet haec omni tempore habenda.

VIII. Excidit auditus his sermo propheticus ille:
'Ad vocem domini durescere corda cavete.'
Seria Loth verba ad generos sunt ludicra visa,
Ob quod et ardentis Sodomae periere sub igne.
Virtutum montem mundum fugiendo subire
Divinus nos sermo docet: patriarcha figuram
Huius habet; ne nos saeclo pereunte ruamus,

---

358 Qua *L* 367 cor/ cauete *A* 368 loht *A* 371 patriarka *A*

349. 350 *Ambros. l. c.* 17 quid memorem sacramenta, quae violare nefas arbitrantur? bibamus, inquiunt, pro salute imperatorum .. et haec vota ad deum pervenire iudicant, sicut illi, qui calices ad sepulcra martyrum deferunt atque illic in vesperam bibunt; *Augustin. serm.* 294. 366 *Ps.* 34, 7 hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. 368 *Gen.* 19, 14 egressus Lot locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, et dixit 'surgite, egredimini de loco isto, quia delebit dominus civitatem hanc'. et visus est eis quasi ludens loqui. 369—373 *Cfr. Isidor. Quaest. in vet. testament.* 15 *(M.* 83, 245*)*. 370 *Cfr. ad I* 193. 372. 373 huius *et* hic: *sc.* sermo divinus.

Haereat hic nostris et sidat mentibus imis.
Hostiles abigamus aves, ne grana reportent,
Quae sator ecclesiae Christus respersit in agros.
Semina, quae in spinis ceciderunt, fruge carebunt;
Haec equidem surgunt citius, sed divitiarum
Cura gravat mentes et deliciosa voluptas,
Ne spicas referant, teneras internecat herbas.
Has spinas nobis maledictio prima creavit,
His caro luxurians fructusque afferre suaves
Detrectans tribulis nos undique pungit acutis.
Naturalis enim cunctis est insitus ignis:
Non eget accendi fornax Babylonica stuppa,
Malleolis, piceis escis et potibus amplis.
Intra nos gerimus, cum quo luctamen agamus:
Lex est in membris, quae mentis legibus obstat;
Bella animae et carnis plus quam civilia surgunt,
Pertulit ut pugnas angusto in ventre Rebecca.
Qui cupit ergo sibi servilem subdere carnem,
Castiget ventrem, famulatu deprimat artus,
Ut domina excelsam retinens dicione cathedram
Imperio terret famulas vernasque loquaces
Lascivosque iocos et molles durius ausus.
Est opus, ut Christum, qui pax est summa, petamus,
Subiuget ancillam, dominae quo serviat, Agar;
Libera sit rectrix, Aegyptia sit famulatrix;
Haec ferat in scapulis utrem, haec flere suescat,
Deliciis careat, humorem gustet aquosum

375 aecclesiae *L* 384 babilonica stu/pa *A* 387 membris *L* 392 ditione *L* 394—466 *duobus foliis resectis perierunt L*

374—379 *Matth.* 13, 4 dum seminat, quaedam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres caeli et comederunt ea. .. 7 alia autem ceciderunt in spinas (spinis *ante Hieronymum*) et creverunt spinae et suffocaverunt ea. .. 22 qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum, audit et sollicitudo saeculi istius et fallacia (voluptas *ante Hieron.*) divitiarum suffocat verbum et sine fructu efficitur. 383—385 *Dan.* 3, 22 fornax succensa erat nimis. .. 46 et non cessabant ministri regis succendere fornacem naphtha et stupa et pice et malleolis. 387 *Rom.* 7, 23 video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. 388 *Cfr. Lucan. I* 1. 389 *Cfr. supra ad I* 197. 390—407 *Isidor. Quaest. in vet. testament.* 17 *(M.* 83, 248*)* centenarius Abraham genuit ex Sara uxore sua filium. hunc cum vidisset mater ludentem cum Ismael, dixit ad Abraham 'eice ancillam et filium eius, non enim heres erit filius ancillae cum filio meo'. nunc igitur quaerendum est, cur antea Sara voluit maritum de ancilla suscipere filium aut cur nunc cum matre iubet expelli domo, quod fecit non zelo accensa, sed mysterio prophetiae compulsa. Agar quippe, secundum quod ait apostolus *(Gal.* 4, 22*)*, in servitute genuit carnalem populum; Sara vero libera populum genuit, qui non est secundum carnem, sed in libertatem vocatus est, qua libertate liberavit eum Christus, *cetera quibus explicantur Gen.* 21, 14—19: surrexit itaque Abraham mane et tollens panem et utrem aquae imposuit scapulae eius tradiditque puerum et dimisit eam. .. cumque consumpta esset aqua in utre, abiecit puerum subter unam arborum .. et sedens contra levavit vocem suam et flevit. exaudivit autem deus vocem pueri vocavitque angelus dei Agar de caelo dicens: .. 'noli timere' .. aperuitque oculos eius deus: quae videns puteum aquae abiit et implevit utrem deditque puero bibere.

Et nudis toleret plantis fera frigora brumae;
Aspera sit vestis, quae sidat in ossibus imis,
Sit somnus modicus, sit tellus herbida lectus.
Si sic ergo tuam dominatu presseris Agar,
Audiet angelicas voces puteumque salutis
Hauriet et dominam tandem cognoscere Sarram
Mente humili incipiet modica cum prole reversa.
Unde tibi famulus venter, sit serva libido.
Aethiopissa etiam, pro qua contendit Aaron
Mansueto cum fratre suo, nova iurgia gignit.
IX. Sobrietas victrix in caeli rege triumphans
Nos sibi consociet patriosque reducat ad hortos,
Divinae legis domino ducente columna
Praecedat gressus et nostros dirigat actus.
Ante oculos nostros hanc proponamus euntes,
Quae gemina facie tenebrosa et lucida fulgens
Claudit iter pravis, mare rubrum pandit amicis.
Fit via per pelagus populo, qui pastus amaris
Lactucis et pane humili: quo sobrie discas
Vivere, viventum cupias si tangere terram.
Ebrietas magnum scelus est scelerumque creatrix:
Inferciri escis nimiis vinoque gravari
Non Christi dogma est, porci sed secta Epicuri.
Quale sit hoc, lector, perpende animoque revolve,
Prandia si cumules cenis potioribus illo
Tempore, quo iudex venturus creditur orbi
Christus cunctipotens metuendus ab aethere summo,
Terribiles turmae caelique exercitus omnis,
Militiae angelicae nimio terrore tribunal
Stipabunt: capient cuncti, quod quisque meretur.
Sic ait ipse loquens: 'ut quondam tempore Noe
Pocula sumebant et prandia opipara agebant
Hi populi, qui tunc liquidis periere sub undis,
Diluvio insolito cum mors inopina veniret,
Sic erit, extremae veniet cum terminus horae.
Non secus infandi Sodomitae prandia agebant
Securi tutique suae sub moenibus urbis;
Loth miserante deo cum porta exivit aperta,
Sorte repentina sic fuso caelitus imbre

438 Morte *Desplanque*

408. 409 *Num.* 12, 1 locuta est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem eius Aethiopissam. 410—419 *Exod.* 12, 8 edent azymos panes cum lactucis agrestibus; 13, 21 dominus praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. 422 *Hor. Epl. I* 4, 16 Epicuri de grege porcum. 430—440 *Luc.* 17, 26 sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus filii hominis. 27 edebant et bibebant .. usque in diem, qua intravit Noe in arcam et venit diluvium et perdidit omnes. 28 similiter sicut factum est in diebus Loth: edebant et bibebant .. 29 qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur de caelo et omnes perdidit. 30 secundum haec erit, qua die filius hominis revelabitur.

Interiere rei'; meritis par reddita poena est:
Ardor inexpletus torrente ardore repressus.

X. Quisque igitur tales usque huc duravit in actus
Servivitque gulae, iam tandem devia linquens
Vertat iter gressusque agiles ad moenia sanctae
Sobrietatis agat; hanc postulet ipse magistram,
Hanc colat ut dominam, hanc corpore corde receptet,
Discat ab hac servare modum licitumque tenere;
Prima magisterii sit haec doctrina venusti.
Quattuor inter enim virtutes portio quarta est,
Quae nimis omne tribus reliquis auferre suevit.
Illa modum ponit, ne plus sapiendo superbus
Incurras heresim Graeco sermone vocatam.
(Secta Latine quidem, sed nominis huius origo
Vertitur in duplicem certa ratione loquelam:
A sectando etenim, cum quod vult quisque sequatur;
Alter erit sensus: quia dissonat, esse secandum
Corpore ab ecclesiae, nimium qui devius errat;
Scinditur unde aliquid, haec portio secta vocatur:
Si sequeris, secta est, si scinderis, inde secaris.)
Alter erit limes, ne multum iustus agaris:
Sic etenim rigidum clementia digna relinquet.
Tertia ab hac virtus sumit documenta magistra:
Saevitiam fugias, dum vis ceu fortis haberi.
'Sufficit' ista docet, 'satis est, iam parce ferire';
Ista quaterna probat Hebraeam fimbria vestem,
Emoreusa quidem tetigit quam credula Christo
Percepitque citam filo pendente salutem
Incolumis remeans, furto medicata fideli.

XI. Sobrietatis enim Christus documenta reliquit:
Cuius discipuli dum hunc per culta sequuntur,
Vellebant culmis spicas manibusque fricantes
Esuriem explebant nimiam talique paratu
Contenti satiare avidas per sabbata fauces.
Dum primae aetatis cupiunt reparare vigorem,
Frugalis vitae specimen tribuere salubre.
Quique fatigatus mortalis tegmine carnis

---

460 *dementia *A* — 464 quater/na *A* 475 Quisque *A*

441—467 *Sobrietas (vel Temperantia), quae est inter virtutes principales quarta, trium reliquarum magistra est: docet iustum modum non excedere Prudentiam* (450—458), *Iustitiam* (459. 460), *Fortitudinem* (461. 462); *quibus si minus moderatur, prudentes facile fiunt haeretici, fortes saevi, iusti iniusti: unde prudentiae clamat 'sufficit', iustitiae 'satis est', fortitudini 'parce ferire' (v.* 463); *quatuor virtutes quasi vestimentum Christi sunt, temperantia eius vestimenti quasi fimbria, quam si quis tetigerit, salutem statim percipiet.* 453 *Sic Papias in vocabulario distinguit* secta a divisione dicta quasi sectio *et* secta a sequendo dicta. 464—467 *Matth.* 9, 20 mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur XII annis, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti eius. 22 .. et salva facta est mulier ex illa hora. 469—474 *Luc.* 6, 1 factum est in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas et manducabant confricantes manibus. 475—479 *Isidor. Allegor.* 235 *(M.* 83, 128) mulier Samari-

Discipulos urbis mercantes moenibus escas
Cum sedet expectans, mulier Samarita propinquat;
Christus ab hac sitiens modicum sibi postulat haustum
Frigidae aquae: dedit illa fidem Christusque salutem.
Concinit hoc factum quadam ratione figurae
Antiquae, dum servus aquae portante Rebecca
In scapulis vas ad puteum sibi pocula poscit:
Cum tribuit potum sitientibus illa camelis,
Haurit aquas et mox sponsalia dona reportat.
Christus item divina docens, mortalia gestans
Ad Solymam properat ficumque tuetur onustam
Fronde comis foliis, pomis fructuque carentem,
Esuriens in hac esum non repperit ullum:
'Nullus' ait 'fructus de te nascatur in aevum';
Ficus inanis enim gens est Iudaea rebellis,
Ille fidem cuius ceu dulcem quaesiit escam,
Quae legis foliis umbrosa volumina claudens
Detrectat fidei suaves nunc gignere fructus.
Haec sitis atque fames est nostrae causa salutis.
Pascit item multum paucis de panibus agmen,
Piscibus et geminis; quo facto monstrat utrumque:
Et virtutis opus vitaeque exempla salubris.

XII. Haec humana probant hominem discrimina verum:
Nascitur offertur crescit fugit, ubera lambit,
Ieiunat toleratque sitim, temptamina vincit,
Lassatur dormit sedet ambulat et lacrimatur,
Stringitur in vinclis, flagris laceratur amaris,
Traditur, irrisus fel gustat, haurit acetum,
Postulat auxilium patris queriturque relictum,
Figitur ille cruci, patitur moriturque, resurgit.
Pro nobis haec cuncta gerit toleratque libenter,
Ut nos conciliet patri; pax ipse sequestra est,
'Nostra' ut Paulus ait 'pax est, qui iunxit utrumque',
Caelica terrenis, Hebraeos gentibus addens.

---

477. 483. 801 Dum *L* 477 propinquant *A* 486 solimam *A* 496 munstrat *A* 499 sugit *L* 501 lacr/matur *A* 503 acaetum *et saepius* ę *pro* e *L*

tana *(Ioh.* 4, 5*)* mystice intellegitur synagoga .. quam misericorditer dominus provocat haurire aquam vivam, lavacri sc. percipere gratiam vel secretam intellegentiam.

476 *Iuvenc. II* 248 discipulique escas mercantes moenibus urbis | passim dispersi solum liquere magistrum. 481—484 *Gen.* 24, 15 Rebecca egrediebatur .. habens hydriam in scapula sua .. 17 occurritque ei servus et ait 'pauxillum aquae mihi ad bibendum praebe' .. 18 quae respondit 'bibe domine .. 19 quin et camelis tuis hauriam aquam' .. 22 postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas *cet.* 485—489 *Sedul. IV* 45 ecce autem mediis adstans sublimis in arvis | frondea ficus erat, cuius in robore nullum | repperit esuriens lustrato stipite pomum | arboreisque comis iam nunc ex germine vestro | nullus ait fructus reliquum generetur in aevum. 490 *Pseudo-Melito Spicileg. Solesm. II* 372 ficus Iudaei. 495—497 *Ioh.* 6, 9; *Sedul. III* 211 carnis opima dedit, geminis modo piscibus auxit. 507 *Aen. XI* 133 et pace sequestra. 508 *Ephes.* 2, 14 ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Pax apices, scindit quos simplex sillaba, iungit:
Hi tres sunt, quia tres personae essentia in una;
Litterulis ternis aptantur nomina terna:
.P. patrem, qui non aliunde hoc accipit ut sit,
.A. genitum signat, quod Graecus nominat alfa
('Alfa ego sum primus sermone, novissimus ω sum,
Ipse ego principium', prior .a. vocalis apexque est)
.X.que duplex, ab utroque venit quia spiritus almus,
Tertia fine apicum, ad reliquos quia rite recurrit
Compar et aequalis patri natoque coaevus
(Aevum cum dico, non tempore sentio coeptum,
Quo mihi, cum fluvius scripturae porrigit haustum,
Impia non heresis loetales misceat undas).

XIII. Alveus est altus pelagoque profundior omni
Lex divina, rigat quae montes imbribus altis,
Ex quibus ad nostros guttatim labitur haustus.
Ipsa polos scandit solemque et sidera tangit,
Tartara perlustrat, terras et gramina pascit,
Abdita perquirit moresque informat honestos.
Agnis illa vadum dat, barris unda natatum;
Lac praebet teneris, solidas et fortibus escas.
Dulce quidem eloquium, dum fundit verba palato,
Visceribus ventris sed hoc generatur amaror.
Scribitur illa foris, dum narrat gesta priorum,
Nec minus interius, dum mystica signa revelat.
Dat lamenta reis, ut plangant crimina vitae,
Felices laudes et carmina digna beatis,
'Vae' miseris, sine fine ferent quod carcere Averni.
Omnia ab hac nobis veniunt documenta magistra:
Haec docet, ut dominum, qui nos plasmavit, amemus;
Illa fidem rectam certo sermone fatetur
Distinguitque creaturam virtute creantis;
Haec iubet omne bonum, haec noxia cuncta recidit.
Panem piscem ovum docet ut de patre petamus:
Panis hic est karitas, quia cunctis eminet escis
— Non dabit oranti lapidem cordisque rigorem —;
Piscis erit fidei sacrae venerabile donum
— Perfidiae furiale malum serpentis habetur —;
Spes, ovo foetus quoniam speratur ab illo
— Huic hostile nimis fert desperatio loetum,
Ex stimulo caudae ceu figit scorpius ictum —.

---

519 et *delevit A* 521 porrigat *L* 526 sydera *L* 527 *gramina pangit *AL*

510—519 *Memini me eandem explicationem apud scriptorem ecclesiasticum legisse; sed ipsum locum nequeo reperire.* 515 *Apoc.* 22, 13 ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis. 543—550 *Luc.* 11, 11 quis autem ex vobis patrem petit panem: numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? 12 aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem? — *quo in loco explicando Augustini sermonem 105 (ed. Migne V 618) Milo sequitur.* 546 venerabile donum *Aen. VI* 408. 547 *Aen. VII* 375 Serpentis furiale malum.

XIV. Muniat ergo pedes patrum doctrina priorum,
Conterat unde caput colubri tua planta maligni
Allidatque petrae Babylonica germina Christo.
Nam, quae prima tibi temptamina suggerit hostis,
Si reseces, minor hinc veniet iactura sequentum.
Quodsi forte aliquem furiali dente momordit
Inflixitque reo mortali crimine vulnus,
Huic opus, ut multo curet medicamine plagam
Compensetque pio damnosa pericula lucro.
Felix ille quidem, qui vastum navigat aequor
Fertque redundantes cumulato fenore gazas
Illaesus veniens optatae ad litora terrae;
Fluctivagumque alius pelagus dum lintre resulcat,
Heu miser incurrit Scillam rabidamque Caribdim
Confringitque ratem, merces quoque perdit opimas
Et tabulae innisus portatur ab aequore nudus
Expoliumque animae grata mercede reservat.
Non secus ille, sui qui plangit damna reatus:
Praeveniat lacrimis venturi iudicis iram,
Sentiat amissam Christo ut miserante medelam,
Lamento et lacrimis qui vult commissa piari.
Istis addatur confessio pura reatus,
Ut tanto medico peccata occulta reveles.
In cruce pendentem cum Christo cerne latronem,
Percepit celerem qui uno sermone salutem
Et paradisiaco sub hora est redditus horto;
Perspice perfossum geminato vulnere David
Lamentoque brevi veniam meruisse piacli;
Inspice apostolico lapsantem culmine Petrum
Ad galli cantum tristem sumpsisse dolorem
Respectuque gradum Christi reparasse priorem.
Gallus nocturnae custos et nuntius horae,
Gnarus doctor erit discernere voce suetus,
Quae tormenta rei referant, quae praemia iusti.
Succinctis lumbis dum tractat pulpito in alto,
Auribus intendens, humili quoque corde receptans,
Quid referat doceat iubeat, quid nuntiet, audi:
Si lamenta canit, dignis tu planctibus insta,
Gaudia si profert, laeta haec tu mente retracta.
Ille sagax si doctor erit, miscebit utrumque,

556 furiale *A* 561 redondantes *A* 564 scyllam *L* caripdim *A* 576 orto *L*

552 *Gen.* 3, 15 ipsa conteret caput tuum. 553 *Ps.* 136, 8 filia Babylonis misera .., 9 beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram; *Pseudo-Melito Spicileg. Solesm. II* 326 petra Christus. 560—564 *Cfr. Hieronym. Epl.* 14 *(Migne* 22, 350). 566 *Id. Epl.* 130 *(M. pag.* 1115) verum nos ignoremus poenitentiam, ne facile peccemus. illa quasi secunda post naufragium miseris tabula sit: in virgine integra servetur navis. 574—576 *Luc.* 23, 42—43. 577—578 2 *Reg.* 12. 580—590 *Gregor. Moral. XXX* 3 *(M.* 76, 528) gallus succinctus lumbos *(Prov.* 30, 31) i. praedicatores sancti inter huius noctis tenebras verum mane nuntiantes *cet.*

Ut lex prisca iubet, typico hoc sermone figurans,
'Non auferre molam ex geminis pro pignore cuiquam.'
Inferior metus est, metuenda est quippe gehenna;
Quae super excurrit, spes est, quae ad celsa levatur.
Haec duo si socies, capies ex polline panes;
Si tollas unum, reddetur inutile utrumque.
Plurima sunt, lapsos possunt quae ad summa referre:
Fructus elemosinae lacrimaeque, oratio perpes,
Mens humilis parcusque cibus, ieiunia, saccus:
Ista cicatrices quibunt obducere hiantes.
Planctibus et lacrimis a sorde Maria piata est,
Quae largo fletu Christi vestigia tinxit;
Flagitiosus Achab dum paenitet, ultio tardat;
A Babylone redit compunctus corde Manasses;
Crimina pauperibus miseratio facta resolvit:
Iustificatur in his, quod signat nomine, Zacheus.
Ut scriptura docet, quantum peccata cavenda,
Sic etiam, lapsis correctio qualis agenda.
Haec est herba boriht, nitrum mordacius hoc est,
Hoc malagma potens, haec est resina salubris.
Nullus in orbe satus peccato immunis ab omni:
Delictis levibus facili medicamine agendum,
Vulnus enorme nimis ferro curetur et igni.
XV. His breviter tactis brevius quod restat agamus:
Nunc unum referam, quod utrumque probare valebit,

---

592 pignere *L* 609 borith *L*

592—596 *Gregor. Moral. XXXIII* 12 *(M.* 76, 687) 'non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam' *(Deut.* 24, 6) .. superior autem et inferior mola est spes et timor: spes quippe ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit. sed mola superior et inferior ita sibi necessario iunguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. in peccatoris itaque pectore incessanter debet spes et formido coniungi *e. q. s.* 601. 602 *Luc.* 7, 38 stans retro secus pedes eius lacrimis coepit rigare pedes eius. 603 *Gregor. Homil. in Ezech. I* 10, 44 Achab rex iniquus a propheta reprehensus, cum contra se divinam sententiam audisset, pertimuit et magno maerore depressus est ita, ut prophetae suo dominus diceret 'nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius (3 *Reg.* 21, 29).' .. sic ei in reprobo poenitentia placuit. 604 2 *Par.* 33. 605. *Luc.* 19, 8 Zachaeus dixit ad dominum 'ecce dimidium bonorum meorum, domine, do pauperibus et, si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum'. *Hieronym. Onom. sacr.* 63, 16 Zachaeus iustificatus. 609 *Ierem.* 2, 22 si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit dominus deus. 610 *Sap.* 16, 12 neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, domine, sermo; *Ierem.* 51, 8 subito cecidit Babylon: tollite resinam ad dolorem eius, si forte sanetur. 614—704 *Narrat et explicat parabolam de filio prodigo (614—624, 640—657, 675—704) interniscens ei alteram parabolam de 'saucio', i. eo qui cum in latrones incidisset curatus est a Samaritano (625—639), et typum de Abrahae vitulo et Sarae panibus ad ilicem Mambre oblatis (659—674); typo rursus inseritur tertia parabola de muliere fermentum abscondente (660—663).* 614—624 *Luc.* 15, 11 homo quidam habuit duos filios. .. 13 adulescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. 14 .. et ipse coepit egere. 15 et abiit et adhaesit uni civium regionis illius, et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. 16 et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi

Quae sit sobrietas quamque hanc servare salubre est
Et turpem ingluviem quantum vitare necesse est,
Qualiter aversi redeant lapsique resurgant:
Prodigus exemplo quod monstrat filius uno.
Omne bonum sibi conlatum pietate paterna
Perdidit ille miser meretricibus inlaqueatus,
Luxuriosus iners pollutus degener amens,
Dedecus ad tantum lapsus pro fauce voraci:
Porcorum siliquis fervens instabat edendis.
A patria et genitore pio longe ille remotus,
Exul ut antiqua paradisi ab sede fugatus
Primus Adam cum prole sua deserta peragrans
Incidit insidias crudeli in fauce latronum;
Vulneribus fossus, nudatus tegmine honesto
Pellitos habitus sumpsit, quia credidit hosti.
Quem tamen ut quaerat, caelesti ab sede viator
Humanum tractavit iter tandemque repertum
Sustulit in carnis mira pietate iugalem,
Duxit et in stabulum ecclesiae curamque peregit,
Aedibus et superis iam magna ex parte locavit.

617 necesse est] est *om. L* 622 Luxoriosus *A* pullutus *et sic saepius L*

succurre nobis, quaesumus:

11. Ut, quando Iesus venerit
cum carne qua hinc abiit,
non segregemur a tuo,
clemens pater, consortio.

II.

HYMNUS IN LAUDE BEATI AMANDI CANENDUS.

1. Ave, pater, pastor noster,
ave, carus amor noster,
ave, praesul gloriose,
pontifex egregie;
dulce nomen Amande;
semper amantissime.

2. Iure tibi laudum melos
sed condignas tanto patri
corde tamen quod gestimus,
concinendo pangimus;
ferre laudes nequimus;
plectro linguae promimus.

3. A primaevo nempe flore
moribus aevum senile
multis et normam praebere
sacrae pueritiae
visus es attingere,
perfectae iustitiae.

4. Mox signorum gloriosis
triumphalis signo crucis
verbique virtute pellis
muneratus titulis
anguem saevum proteris
Ogiae de terminis.

5. Virtutes excoluisti
ipse sed occuluisti
favor ne daretur tibi,
studio pervigili,
mente semper humili,
sed superno numini.

6. Hinc factus praesul mactusque
ut lucerna ardens fide,
iure celso candelabri
deitatis munere
claro lucens opere
sublevaris stipite.

7. Tu redemptor captivorum,
tuque pater pupillorum,
vigor paraliticorum,
consolator pauperum
tu mater orphanorum,
effugator daemonum.

8. Tu surdis auditum praestas,
lurida tu membra purgas,
verbis simul et exemplis
tu caecos illuminas,
mortuum resuscitas,
animas vivificas.

9. Nostra laus succumbit tantae
dum mundum reples doctrinae
famam diffundens et terrae
tibi datae gratiae,
virtutumque munere
et caeli per cardines.

10. Nunc precamur, pater alme,
et Iesum benignum posce
ac post huius finem vitae
vota nostra suscipe
nobis semper parcere
tecum semper vivere.

8, 3 dulci *B* 9, 4 cadent *corr. K* *post* 11, 4 Deo patri sit gloria eiusque soli filio *add. B*
[II.] *servavit unus B(ruxellensis 8721) fol.* 56ᵛ 3, 1 primeuo *et sic saepius* e *pro* ę *B* 3 iusticię *B*

11. Annue votis poscentum, deus factor omnium,
esse credimus quem trinum atque unum dominum,
manet quem laus ante aevum, nunc et in perpetuum.
amen.

IV.

Audax et modicos Haimino pandere versuS
Incipe, charta, patri, cuius tu, rustica, iussV
Mirandae causae promis nutuque notameN.
Ingenio non fulta licet, non arte salubrI
Nec studio quoquam, tamen aude dicere tandeM:
Vive valeque diu, pater inclite, munere ChristI
Salvatus semper, tendens ad gaudia verA.

Noli, quaeso, pater, munuscula spernere nostra:
Parvula si videas, magna haec dilectio mittit.

V.

Ordine finali titulae kartas breviabit.
Imbre facit caelum solis canescere girum.
Ordine bellorum tinxisti, Karole, ferrum.
Plebs gaudens clerum laudat contra zabulones.
Oro bonum tibi lugenti furtum patienti.
Grus ignem laudat, corvus zetas hiemales.

[IV.] *repetitur ex editione Henschenii A. SS. Febr. I* 805 *(= SS. XV* 405*); acrostichon et telestichon detexit Holder-Egger* 3 *promis nutuque] promisit nempe *Henschenius*

[V.] *primus edidit Gillert N. A. VI* 503 *ad codicem, in quo uno aetatem tulit, P(etropolitanum Q. I 68) olim Carnutensem, ubi intra folia* 9 *et* 91*, quae Usuardi martyrologium continent, duabus paginis primo vacuis relictis saeculo XIII additum legitur, scriptura partim evanida; quas paginas quamquam a doctissimis viris Petropolitanis Iernstedt et Krascheninnikof habeo accuratius collatas et praeterea photographis utor imaginibus, carmen mendosissime scriptum supra paene intactum reliqui, ne aliorum iudicium falsa securitate deciperem* 1 titule (*et semper* e *pro* ae) *P* *karras *P* *an* *breviavit ? 2. 16. 29 ymbre *et* 17 ymber] y *ex* i *corr. 2 m. P* 2 candescere *P corr. Gustafsson* 5 pacienti (*et saepius* ci *pro* ti) *P*

[IV.] *Versus Huberti, presbyteri Atrebatensis, ad Haiminum, eius magistrum (cfr. supra pag.* 557*), cum libello de apparitione S. Vedasti (i.* notamen mirandae causae *v.* 3*) missi.*

[V.] *Carmen obscurius quam quod etiamnunc totum intellegi queat, praesertim cum male traditum sit careatque principio, sed propter hanc ipsam obscuritatem sensusque ambiguos et allegorice interpretandos Milone Amandino haud indignum atque ei a Karolo Gillert fortasse iure addictum, post conventum Confluentinum (Iun.* 860*) scriptum puto ad gratias Karolo Calvo agendas pro causa a monasterio nescio quo obtenta et regio diplomate litem dirimente. Eodem tempore cum terra ab sterilitate caelesti liberata esse videatur, diploma et pluvia ut cunctorum animos maerore solventia inter se a poeta comparantur. Sed singula verba quo modo legenda et interpretanda sint, mihi non constat.*

Blandorum tactus domat errores, probat aurum.
Ut modicos capiat quaestus, hortamur avarum.
Tu, decus extremum, quotiens aurum voluisti?
Milo domum quaerit, habet hostem nomine dotis.
Et iudex audens vix exal... dominarum.
Regis honos hostem nobis extinguit et Iris.
Armiger optat equos, dominorum rex bone Christe.
Negligit errorem sol iustitiae graviorem.
Omina fecisti, dominorum rex benedicte:
Imbre foves caelum solis candore gravatum.
Ornamenta facit tumulo Karolis brevis imber.
Gaudia cunctorum servat concordia fratrum.
Omne bonum turbat lis fratrum: pax gravat illam.
Laedit cor zelus horrendo bonum trabe litis.
Aevum pace gerit: iustum mitescere cernis.
Zelus honestat Adam, turbat dominator eundem.
Quaestus Adam vincit merito, dum quaerit honores.
Aurum non damnat errorem, quaerit amicos.
Vir magnus domini rogitans horrescit honorem.
Nomen emunt zeli mirantes agmine Christi.
Ecce domum regis benedic hostem novitatis.
Esse solet iustis amor, ordo, figura dierum.
Ros brevis imbre nocet consparsis, Karole, gramen.
Orbis fert Karlum, Karli breviatur imago.
Gramina cultorum servat concordia fratrum.
O fur, tange liras bonitatis imagine gratas.
Brunellum serva cognoscendo famularum.
Pugna bonum turbat, luit errorem pietatis.
Gaudia iustorum minuit commotio zeli.
Haeret Adam, tangit, luit Evam, quaerere gestit.
Iustum mors ditat, zelans hereditat aurum.
Uva dat effectum, quotiens Aurora vocatur.
Mi bone rex, hostis aurum non erigit emptum.
Quaerit amor Christi multos, dum regnat iniquus.

---

9 uoluisti *sic P* 11 iudex audēs] dex a *in ras. 2 m. P* exal] *sequitur membranae fenestra, qua 2—3 litterae periere P* *an* *Est i. avidus v. exaltando minorem ? 12 *iras *P* 14 Negligit (*an* *deluit ?) errorem] t err *inras. 2 m. P* 15 *Omnia *P* 17 karolis *sic P* *an* *titulae kartis ? 18 *ante* cunctorum *deletum* con *compendio scriptum P* *an* *Gramina cultorum ? 20 Ledit *sic P* 21 Euum *sic P* mittescere *P* 24 dampnat (*et semper* dampn-) errorem *P: quid lateat, non video* 25 horrescit] sci *in ras. 2 m. P* 26 emunt *sic P* *an* *mercantes regmina ? 29 Ros *sic P* *an* *novat ? 30 Orbis] *incertum, prima littera* O, *ultima* o *videtur P* fert] r *et* t *spatio diremptae P* *an* *Ordo ferit ? ymago (*et sic semper*) *P* 31 Gramina (Germina *legit Gustafsson*) cultorum] *incertum praeter* G—a —orum *P* 32 bonitatis *sic P* 33 B(*vel* G)runellum *lectione admodum certa P* famularum (simulacrum *Gillert*) *P* 36 Heret *sic P* 37 ditat *sic P* 38 *an* *Urna ? 39 Mi *sic P* aurum *sic P* exigit *Gustafsson, an* *erogat ?

14 sol iustitiae *Malac.* 4, 2. 17 brevis imber, qui titulae ornamenta facit, *et* ros brevis, qui imbre novat, *si modo utrumque sic scribendum est, videtur atramentum significare, quo scilicet usus rex praeceptum suum corroboraverit, convenitque talis figura non solum cum similitudine hoc carmine expressa sed cum tota Milonis Amandini dictione, cf. vitae S. Amandi I* 448, *de sobr. I* 122, *ibid. II* 1030.

Kartam novit Enoc titulae, iuvat actio Christi.
Fur damnum reparat: benedic gustum novitatis.
Esse solet Karlus audax operis fabricator.
Causam regnandi benedicimus Iridis ortu.
Collectivorum signasti, Karole, factum.
Grandia blandorum signat collectio florum.
Peccatur furto, tunc luget cordis imago.
Odit fur Karolum, luget bonitatis imago.
Garrulus argentum tangit, capiens furiosum.
Peccat Adam tactu, luit Evam, quae gravat illum
Multa domat zelus, honor argentum u . . . ratur.
Lux aegrum quaerit, hetas iustum metuendo.
Doctor et hortator animam vestigat egentem.
Quaerit amor Christi minimos, dum regnat iniquus.
Aurum novit emens, dominum quaesivit amore.
Christe, foveto domum regni iusto graviorem.
Novit Enoc titulae kartas, audacia Christi.
Argenti curam reddit benedictio gratam.
Ominis effectum sensisti, Karole, furtum.
O flos camporum, lampas, bonitatis imago,
Omne bonum sentis, kartis fratrum placuisti.
Fraude kalendarum languescit concolor Iris.
Gaudeo blandorum tactus curvamine florum.
Pax animum tangit, luget caro luce gementem.
Blandum tange decus: fit pulcher Adam vitiosus.

---

41 *Hortum *P* nouat *P corr. Gillert* xpi *in imagine non apparet* 42 *an* *hostem novitatis? *cf.* 27 43 *an* *velox? 44 *ysidis *P* 47 tunc *sic P* 48 *totum versum om. Gillert* 49 Garrulus *sic P* 51 u(*foramine tres litterae interciderunt*)ratur *sic P*: muneratur *Gustafsson, an* *veneratur? 52 *an* *hebetas istam? 53 ortator *P* *vestigat] uult egit *P* 56 *faueto *P* 57 *karras *P* *an* *iuvat actio Christi? 59 O nimis *Gillert* *an* *effectu lenisti? 61 *an* *servas? 62 yris *P*

65 *Fridolfus Gustafsson de carminis argumento mecum non consentiens Milonem censet aedificium construxisse et pecuniam ad alios usus servandam cepisse, id furtum regem quamvis aegre ferentem probavisse itaque* furtum lugentem passum esse fieri (*v.* 5).

CARMINA SCOTTORUM LATINA ET GRAECANICA.

Scottorum carmina Latina Semigraeca Graecanica, quae undique collecta infra propono ut in uno conspectu collocata facilius inter se comparentur et invicem se illustrent, quem ad modum singula ad nos pervenerint, a quibus viris sint facta, quas res contineant memoratu digniores, suo loco breviter subnotatur; quae carmina quam ob causam huc non admiserim, alio loco demonstrabo.

I.

Dubthach hos versus transcripsit tempore parvo:
Indulge, lector, qui mala scripta vides.
tertio idus Apriles, tribus degitis,
tertio anno decennovennalis cicli, tribus instrumentis:
tertio die ante pascha, penna membrano
tertia decima luna incipiente, atramento,
tertia hora post meridiem. trinitate auxiliatrice.

II.

Scripturae finem sibi quaerunt hic ysagogae:
Parva quidem moles, magna sed utilitas.
..... hunc scripsi glossans utcumque libellum;
Quod, logice si sit, scire legens poterit.

[I.] *E(gmondensis nunc Lugduno-Batavus F. 67) fol.* 7ᵛ, *cf. N. A. IV* 569; *edidit M. Hertz Priscian. I* 13 *et H. Zimmer Gloss. Hibernic. pag. XXII, mihi contulit S. G. de Vries* 1 Dubthach^{h} *E* 2 qui] q̃ *E* mala *sic E* 3 idús *E* degitis *sic E* 4 decenno *E*

[II.] *P(arisinus 12949 saec. IX) fol.* 52ᵛ; *ed. Cousin Ouvrages inédits d'Abélard pag.* 625 *et Traube N. A. XVIII* 105, *contulit mihi M. Bonnet* 2 quide *P* 3 *nomine scriptoris eraso* Icpa *in lacuna scripsit 2 m. P: cf. N. A. loc. cit.* 4 logicę *caudam videtur addidisse 2 m. P*

[I.] *Dubthach (de quo vide Traube Abhandlungen d. bayer. Ak. I cl. XIX* 2 *pag.* 352) *Prisciani periegesi a.* 838 *ab se descriptae hanc addidit subscriptionem.* 3 *Pervulgatus est versus, quem librarii confectis pensis solent subnectere:* Tres digiti scribunt, sed totum corpus laborat *(cf. Delisle Notices et extraits XXXI* 2 *pag.* 157).

[II.] *Subscribuntur versus commentario cuidam in Porphyrii isagogen a Boethio translatam, cf. N. A. XVIII* 104.

III.

Graecarum glossas domino donante peregit
H. tibimet frater servire paratus.
Namque geris vittas longo quo tempore, felix
Pontificale decus multumque tenere salubre,
Exhinc ad caeli valeas conscendere culmen
Ac regem regum cum sanctis cernere Christum.
AMEN.

IV.

ΓΡΑΜΜΑΤΑ ΓΡΑΙΥΓΕΝΩΝ ΚΑΤΑ CΚΗΜΑΤΑ CΟΦΕ ΓΥΝΟCΚΕΙC,
Cerne: labore meo lingua Pelasga patet.
Quisque velit sapiens sapientes gnoscere causas,
Sensibus in sacris sentiat artis opes.
Has euangelicas doctrinas doctor ab astris
Nobis praecipiens contulit ore deus.
Qui regit omne quod est, qui condidit omne creatum,
Qui factor mundi virgine factus homo est;
Principium sine principio, finis sine fine est
Omnipotens dominus, lucis origo, deus.
Lux aeterna, dei verbum, sapientia patris,
Caelestis patriae verba superna dare
Venit in hunc mundum, rex regum rexque sabaoth,
Ipse deus hominum, qui dedit omne bonum.
Fons bonitate potens, fons vitae fonsque sophiae,
Cor mundum famulis da, bone Christe, tuis.
Salvator mundi, qui saecula sordida mundas,
Cum virtute crucis crimina cuncta lavans,
Omnipotens, miserere, mei miserere dolentis:
Sum mihi namque mei causa doloris ego.

[III.] *L(audunensis 444) fol.* 275^{v}: *sex versus notis Tironianis scripti (nisi quod haec verba syllabae litterae minuscula scriptura expressa sunt:* glossas *et* egit *v.* 1, H *et* met *v.* 2, q. *in* namque *v.* 3 *et* multumque *v.* 4, conscendere *v.* 5) *ectypo repraesentantur in* 4°-*Catalogue des départements I* 234, *secundum quod notas solverunt I. C. Gauthey abbas O. S. B Massiliensis et Guilelmus Schmitz Coloniensis N. A. XV* 197 1 Graecarum *('vocum' supplendam esse censet Schmitz) L* 2 H⟨incmaro⟩ *ego (Abhandlungen l. c. pag.* 362) Hincmarus *Schmitz* 5 qulmen *L* 7 ΑΙΒΕΙΓ *(i. e.* amen *scriptum per cryptographiam a Scottis frequentatam, cf. Abhandlungen l. c.) L*

[IV.] *S(angallensis 48 saec. IX) pag.* 395; *utor imagine expressa apud Rettig in editione Codicis Sangallensis Turici* 1836 *pag.* 395 1 ΓΥΝΟCΚΙC *super* Ι *ab eadem manu* ei *posito S* 16 dā *S*

[III.] *Carmen legitur insertum inter idiomata quae dicuntur Latinograeca (edidit ea Goetz in Corpore glossarior. II* 487—506) *et* Graeca Prisciani de XVIII partibus et constructione *a Martino Hiberniensi magistro Laudunensi Latine versa (quae edidit Miller in Notices et extraits XXIX* 2 *pag.* 118—175). 2 H. *episcopus fort. Hincmarus Laudunensis, cf. Abhandlungen l. c.; aliter censet Chatelain, Mélanges Julien Havet pag.* 84. 3 *seq. Quamdiu* (quo tempore longo) *vittas geris,* ⟨*valeas*⟩ *tenere pontificatum* (pontificale decus) *felicem et valde salutarem* (multum salubre).

[IV.] *Carmen Scottice scriptum euangeliorum codici Graecolatino et ipsi a Scottis scripto subiungitur, cf. Traube Abhandlungen l. c. pag.* 347.

Da dolor absistat, da vitam daque sophiam:
Des mihi perpetui, te rogo, regna poli.

V.

Hoc peplum fuerat Hludowici Caesaris olim,
Quod sua perfelix coniunx ornavit Ioda,
Ut sic indutus populis splendesceret heros.
Post quem dum Karolus suscepit regia sceptra
Et patris pallam Paulo sacravit honoro,

[V.] *E(gmondensis nunc Leidensis F. 67) fol.* 1ᵛ—2ʳ, *cf. supra pag.* 685; *ed. Duemmler Zeitschr. f. deutsches Alterthum XIX* 146, *mihi contulit de Vries* 1 cesaris (*item* 9 predicat, 10 preclara) *E* 3 Ut *sic E* spendesceret *E corr. Duemmler* 4 regna *E corr. idem* 5 *paule s. honore *E*

[V.] *Titulus est vel potius duo tituli pallio intexti, quod Romam ad altare Pauli apostoli Karolus Calvus et Irmindrudis miserunt Nicolao I. papa, (a.* 858—867*); pariter ut Petri altare ornarent, vestes versibus distinctas ei consecrarunt Chintila rex Visigotharum (v. Inscr. christ. ed. Rossi II* 1 *pag.* 254*), Karolus Magnus et Hildegarda (v. ibid. pag.* 147 *et Poet. Carol. ed. Duemmler tom. I pag.* 106*), Irmingardis Lotharii I. uxor (v. apud nos supra pag.* 187—188*), Sarhilo eiusque uxor Perahtsvind (v. Duemmler in Zeitschrift für deutsches Alterthum XIX* 146 *et* 148*). Alios similes titulos cum supra ediderim, alterum sabani alicuius, de quo nihil certi constat (pag.* 553*), alterum ab Elpheid filia Ludovici Pii inscriptum cervicali S. Remigii Remensis ab ea acu picto (pag.* 414 *in adn.), data occasione hic eos versus addo, quos sub Remigii archiepiscopatu († 875) Bertham, uxorem Gerhardi comitis Viennensis, pallio S. Stephani Lugdunensis intexuisse testatur Iohannes Maria de La Mure, Histoire ecclésiastique du diocèse de Lyon Lugduni* 1671 *pag.* 292 *cf. Steyert ad Histoire des ducs de Bourbon par J. M. de La Mure Parisiis* 1860 *tom. I pag.* 18 *(indicaverat hos locos versusque exscripserat Ernesto Duemmler Leopoldus Delisle):*

Agne dei, mundi qui crimina dira tulisti,
Tu nostri miserans cunctos absolve reatus.

Hic panis vivus caelestisque esca paratur

Et cruor ille sacer, qui Christi ex carne cucurrit.

Sumat perpetuam pro facto Bertha coronam,
Haec cuius studio palla haec effulgurat auro.

Remigius praesul Christo per saecula vivat,
Exutus vitiis, culparum et tabe piatus,
Hostia viva deo sanctaque in corpore factus.

Cui deus omnipotens, quotiens haec liba sacrabit,
Concedat veniam tantoque in munere partem
Atque suis sanctis societ post funera mortis.

Qui cupit hoc epulum sanctumque haurire cruorem,
Se prius inspiciat cordisque secreta revolvat.
Et quidquid tetrum conspexerit et maculosum,
Diluat offensus omnesque relaxet et iras.

2 *Sub* Ioda *latere* Iudith *intellexit Duemmler.*

Hoc Yrmindrudis totum regina peregit. —
Hoc Karolus magnum veneratur munere Paulum
Pontificis summi Nicolai nomen honorans,
Ut miles Christi, quem totus praedicat orbis,
Pro se proque sua praeclara coniuge pugnet
Nec non amborum prolem serosque nepotes
Protegat et custos regalis stemmatis instet.

VI.

LAMENTUM R⟨EFUGAE⟩ CUIUSDAM.

⟨A.⟩ Nocte dieque gemo, quia sum peregrinus et egens;
Attritus febribus nocte dieque gemo.
Plangite me, iuvenes, animo qui me colebatis;
Rideat hinc quisquis: plangite me, iuvenes.
Magne Columba, roga dominum, ne spernar ab ipso;
Quo reddar tibimet, magne Columba, roga.
Sancte Zeno, famulum miserum ne despice, quaeso;
Redde Columbano, sancte Zeno, famulum.
⟨S. Z.⟩ Ne vacuus redeas, fili, requiesce parumper;
⟨Dic⟩ age, quid referas, ne vacuus redeas.
⟨A.⟩ Quid, pater, hic faciam, careo qui posse misellus?
Nec mihi certa domus: quid, pater, hic faciam?
S. Z. Nonne dei manibus crevisti cuncta levari?
⟨Tu⟩ quoque fretus eris nonne dei manibus?
⟨A.⟩ Est mihi non licitum tecum contendere verbis,
⟨Cer⟩ne⟨re vel⟩ Bobium est mihi non licitum.
S. ⟨Z.⟩ Sco⟨ttigena⟩m recole sanctum quin esse Columbam;
Verbera quo fugias, Scottigen⟨am⟩ recole.

---

6 yrmindeudis *E corr. Duemmler*

[VI.] *B(obiensis inter Vaticanos 5751 saec. X) fol.* 71^{v}: *tota pagina nunc lectu difficillima est nec pauca, quae Maius (Classicor. auctor. V* 458*) adhibita tinctura gallae olim dispexisse videtur, nusquam comparuerunt (= B*^{m}*); de aliis locis Duemmler (= B*^{d}*, cf. N. A. IV* 558*) et Tschiedel (= B*^{t}*) retulerunt Maio accuratius; ego, ubi versuum echoicorum ratio in primis hexametris aut extremis pentametris lectionem reddit certam, discrepantias non subnoto* *R ..... *B*^{dt} 1 A. *B*^{m} egens *B*] aeger *Arevalus* 4 Ridea/t *B*^{t} 6 sibimet *Arevalus* 7 queso *B* 9 S. Z. *B*^{m} 10 *Hic *B*^{m} 11 A. *B*^{m} 14 Tu *B*^{m} 15 A. *B*^{m} 16 Cernere vel *B*^{m} 17 Z. *om. B* Scottigenam *B*^{m} quin esse] in esse *in loco raso B*

6 *De Yrmindrude lanifica cf. supra Ioh. Scott.* II IV *pag.* 533.

[VI.] *Qui lamentum composuit, Scottus erat (cf. v.* 17*) monachusque Bobiensis, sed evadens e S. Columbani monasterio, ut castigationem quandam effugeret, operam videtur dedisse docendis iuvenibus (cf. v.* 3*) apud S. Zenonem Veronae; adscripsit in margine per* A. *suum ipsius nomen, per* S. Z. *sancti Zenonis, item fortasse per* S. C. *sancti Columbae. Scottum saeculo decimo iuvenis quidam Bobiensis, propinquus Petri abbatis (c. a.* 972*: cf. Ughelli Italia sacra* ^{2} *IV* 971*), est imitatus, cuius versus ad codicem Bobiensem nunc Scorialensem Q. II* 15 *edidit Duemmler N. A. V* 622 *non recte distinctos: loquuntur ibi inter se* C(olumbae) G(ermanus) 1—4, S. C(olumba) 5—6, C. G. 7—10, S. C. 11—14, C. G. 15—18, S. C. 19—20, C. G. 21—26, S. C. 27—34, A(bbas) P(etrus) 35—36, S. C. 37—38, A. P. 39—46, S. C. 47—58, A. P. 59—62, A. P. *et* C. G. 63—64, S. C. 65—66.

⟨A. Ve⟩stib⟨us en⟩ careo solitus ⟨n⟩ova tegm⟨ina h⟩abere
Festivitate s⟨ua: v⟩estibus en careo.
S. ⟨Z.⟩ Praesulis in manibus ⟨lacrimas⟩ has pone, ⟨mi⟩s⟨el⟩le;
⟨Hos da ver⟩siculos praesulis in manibus.
⟨A. Tu, pater, eloquere; lacrimas et vota⟩ sodali
⟨Pro me pande tuo: tu, pater, e⟩loquere.
⟨S. Z. ⟨Frater amate, tuis patet agnis ianua semper:⟩
sancto Columbae⟩ Hunc quoque ⟨su⟩me tibi, frater amate tuis.
S. C. Quid faciam misero, constat qui febre peremptus?
Nec habet is meritum; quid faciam misero?
⟨C⟩ond⟨ole⟩t a⟨st animus precibus iam victus amici;⟩
⟨Nulla reo spon⟩det ⟨, condol⟩e⟨t ast animus.⟩
S. Z. ⟨Com⟩putat ipse sibi, plebe pl⟨ectatur ut⟩ an⟨te;⟩
sancto ⟨Columbae⟩ ⟨Ictus ipse⟩ d⟨abit,⟩ compu⟨tat ipse sibi.⟩
A. ⟨In ca⟩put et scapulas me⟨mor⟩ ipse vest⟨raque turba⟩
Interet eme⟨ri⟩tos, in caput et sca⟨pulas⟩.
S. Z. Saepius ergo ⟨quatit flagroque pia⟩cu⟨la pellit;⟩
⟨Vapulet ut merito, saepius ergo⟩ qu⟨a⟩tit.
A. Quid . . . . . .
. . . . . ⟨quid⟩ . . . . . .
S. Z. Expetit . . . . . id . . . . . .
Ne tua . . . . . ⟨expetit⟩ . . . . .
A. Grata, pater, mi⟨himet⟩ sem⟨per tua dicta per annos⟩
Exequar. et votis grata, pater, ⟨mihimet⟩.
⟨S.⟩ Z. Ergo domus tribuens nosti, quod tempore pos⟨sum⟩,
Et largire focos ergo domus tribue⟨ns⟩.
A. Insuper adiciam potusque cibosque ⟨sa⟩lubr⟨es⟩,
Pascere cornipedes ⟨insuper a⟩dicia⟨m⟩.
S. Z. ⟨Vi⟩vere sic poter⟨is⟩, facient . . . . . .
Sed ⟨faci⟩e⟨nt⟩ faci . . ⟨vivere⟩ sic pot⟨eris⟩.

---

19 A. Vestibus en B^m nova tegmina habere (*an* *ferre?) B^m 20 sua B^m 21 Z. B^m lacrimas B^m miselle B^m 22 *Hos quoque versiculos (*typis cursivis significans priora duo vocabula non lecta esse sed coniecta*) B^m 23 *et* 24 *A. Sancte zeno dederam lacrimis (*sic*) et vota sodali | ..... B^m ..... sodali | ..... loquere B^t 25 *om. B: sensum significavi, de nota in marg. a me addita cf. ad* 32 26 *Hunc quoque ... metibi B^t Hunc quoque da mihimet B^m 27 *in marg.* *S. C.] A *B* qui febre *sic B* 28 *habeas (*vel* habens B^t, habeo B^m) merum *B* 29—40 *om.* B^m: *enotarunt fragmenta* B^d *et* B^t, *quae supplevi ut sensus pateret* 31 *ante] .. ā .. B^t 33 *pitempus me B^t 34 Int et B^t caput et uu B^t 35 Sepius B^t 36 *qu . rit B^t 39 Expetit B^t Expia B^d 40 tua B^d tua B^t 41 mihimet B^m semper tua dicta per annos B^m 43 *et* 44 dom' *sic B* 43 possum B^m 45 salubres B^m 47 Vivere sic poteris B^m 48 ....e.. faci B^t facient fa B^m

23 *Petit a Zenone Scottus, ut pro se intercedat apud S. Columbam; cf. versus ex his expressos N. A. V* 623, 31 *seq. Respondet Columba* 27—30. 43 *Quid Zenoni se facturum esse Scottus promittat non intellego.*

VII.

I.

Hinc, cervisa, abeas: vocitatus nomine prisco,
Ut tua praevaleant munera, Bache, veni.

II.

Sume, precor, Bachum ne spernas, munera Bachi:
Quae tragos reperit flumina, nosce petens.

III.

Hic duo sunt fratres, ardens ast angulus unus:
Non satis expellit frigora lusca domus.
Karlomanne, tuis arridet partibus ignis:
Nos vero gelidos urit iniqua hiems.
Vulfadus praestet nostrum flagrare caminum
Dives lignorum, providus ipse rogi.

IV.

Hoc nemus umbriferum crebris de flatibus austri
Componit leni murmure dulce melos.
Iam canit allector praedicens luminis ortum,
Horam, qua Christus prosilit ex Erebo ....

VIII.

I.

Christe, fave votis, salvator maxime mundi:
Tu lux es: tenebras elue, Christe, meas.
Unica lux mundi, salvator maxime Christe,
Expurga tenebras, rex benedicte, meas.
Tu solus nobis sol aureus, alme, coruscas,
In cuius pennis flagrat odore salus.

[VII.] [I. II.] *E(gmondensis nunc Leidensis F. 67) fol.* 2r, *cf. supra pag.* 687*; ed. Duemmler l. c., contulit S. G. de Vries* [I.] 1 *Hinc cervisa abeas vocitatus] Nunc inuisa bonis uocitaris *E* 2 preualeant *E* [II.] 1 spernis *E corr. Duemmler* 2 repperit *E* *nosce] nota *L* petens] s *evanuit E* [III.] *E fol.* 2v 1 *ffs̃ ardens] fonsiuiomdens *E* 2 *lusqua *E* 4 hurit *E corr. Duemmler* 5 *Uulsadus presens *E* flagare *E corr. Duemmler* 6 probidus *E corr. idem* *roget *E* [IV.] *E fol.* 2v—3r 3 predicens *E finem deesse significavi*

[VIII.] *V(ossianus O. 92 inter Lugdunenses saec. X) ed. Duemmler N. A. XIII* 360*, codicem mea gratia inspexit S. G. de Vries* [I.] *fol.* 122

[VII.] [I—IV.] *Ludicra Scotti cuiusdam Suessionibus versantis.* [II.] 2 *Cf. Mythogr. Vatican. II* 61. [III.] 3 *Karlomannus Karoli Calvi filius intra a.* 854*, quo anno est tonsus (cf. Duemmler Gesch. d. ostfr. Reiches* 2 *II* 320*) et* 860*, quo anno factus est abbas Suessionensis (cf. SS. XIII* 80*), ad educandum traditus erat Wulfado abbati Derrensi (a.* 856 *cf. Gall. christ. IX* 911*), mox Suessionensi (a.* 858 *cf. ibid. IX* 412*), postea archiepiscopo Bituricensi (cf. supra pag.* 519 *adn.* 4*).* [IV.] 1 *cf. Ioh. Scotti c.* II IV 49. 4 *Ioh. Scott. c.* II III 48 transacto triduo prosilit ex Erebo.

[VIII.] [I. II. III.] *Versus scripti ab Electo, presbytero Scottico peregrinante, idque intra a.* 855 *et* 901*, si quidem epistulas, quibus extremis adduntur, ad Franconem episcopum Leodiensem datas esse recte opinatus est Duemmler.* [I.] 6 *Malac.* 4, 2 orietur sol iustitiae et sanitas in pennis eius.

II.

Omnia Christus habet, per Christum cuncta reguntur;
Mentior haud vobis: omnia Christus habet.

III.

Sumite Scottigenam devota mente benigni;
O vos Francigenae, sumite Scottigenam.

IX.

I.

Finibus occiduis describitur optima tellus
Nomine et antiquis Scottia scripta libris.
Dives opum, argenti, gemmarum, vestis et auri,
Commoda corporibus, aere, putre solo.
Melle fluit pulchris et lacte Scottia campis,
Vestibus atque armis frugibus arte viris.
Ursorum rabies nulla est ibi, saeva leonum
Semina nec umquam Scottica terra tulit.
Nulla venena nocent nec serpens serpit in herba
Nec conquesta canit garrula rana lacu.
In qua Scottorum gentes habitare merentur,
Inclita gens hominum milite pace fide.

[II.] *V fol.* 122^{v} [III.] *V fol.* 122^{v}

[IX.] *Donati carmina duo servavit sola eius vita ab scriptore Fesulano non iam aequali composita; vitae codices supersunt duo: L(aurentianus plut. XXVII 1 fol.* 47^{v} *seq. saec. XI) descriptus a Bandinio (Catalog. codd. Lat. bibliothecae Laurentian. I* 779—784*), adhibitus ab Antonio F. Ozanam (Documents inédits pour servir à l'histoire littér. de l'Italie Parisiis* 1850 *pag.* 48—57 = *Oeuvres complètes*^{4} *II* 456—467*), mihi collatus a Georgio Karo, et S(trozzianus II pag.* 86 *seq. saec. XI) item a Bandinio enarratus (Bibliothecae Leopoldinae Laurentianae II* 272—280*) et mea causa a Karone examinatus, qui tamen codex ut aliis rebus non paucis ab altero Laurentiano discrepat ita prius carmen Donati non praebet. qui reliqui vitae codices olim exstabant adhibiti ab eo, qui Brig(idae) vitam versibus conscripsit eique praefixit prius Donati carmen (A. SS. Febr. I* 141*), a Colg(ano), qui idem carmen rettulit (A. SS. Hiberniae, Lovanii* 1645, *I* 237*), ab Ug(hello Ital. sacr.*^{2} *III* 213*), qui epitaphium edidit item sumptum e vita (nam ab eo ipsum lapidem Fesulis descriptum esse non recte statuit Ernestus Duemmler N. A. IV* 515*), a Boll(andianis) denique, qui totam vitam primi divulgarunt (A. SS. Oct. IX* 655—662*) 'ex ms. Minervae pluteo* 21*, collato cum ms. Chron(icae Fesulanae) et altero ms. card. Strozzi' (cf. ibid. pag.* 654 *et* 655*) sed ita ut de singulorum librorum lectione non plane constet, ii aut interciderunt aut nondum contigit ut investigarentur* [I.] *Vita S. Donati I* 5 *(pag.* 656*)*: quantae autem fortunae vel dignitatis sit (*Hibernia*) seu etiam quam amica sit pacis breviter idem iste beatus Donatus versificando collaudat ita describens: Finibus — fide *orthographica curo unius codicis L* 2 Scottia] nomine *Colg.* 3 Insula dives opum g. *Brig.* 4 corporibus] terrigenis *Chron. Colg.* aere] corpore *Chron. Colg.* putre] sole *Brig.* aere *Chron. Colg.* 5 Mellifluit *Colg.* lacteis *Brig. Colg.* 6 viris] ruris *Boll.* 7 seua *et saepius* e *pro* ę *L* 8 nec] non *Boll.* nunquam *Colg.* Scotia *Colg.* 9 serpsit *L* 10 canit] querit *Boll.* 11 gentes] g̃s *L*

[IX.] *S. Donatus, Scottus origine, ecclesiae Fesulanae episcopus ab anno fere* 829 *ad* 876*, num alios versus fecerit atque quos vitae eius scriptor expressis verbis ei adsignat quosque supra proferimus, quaerere omnino inutile est; certum est, quae praeter eos in vita occurrunt metro vel rhythmo adstricta, ab ipso hagiographo conficta esse.* [I.] 3—9 *Beda Angl. hist. eccl. I* 1 Hibernia .. serenitate aerum multum Britaniae praestat, ita ut .. nullum ibi reptile videri soleat, nullus vivere serpens valeat ... dives lactis ac mellis insula; *cf. Isidor. XIV* 6, 6, *qui haud secus ac Beda Solinum exscribit.*

II.

Hic ego Donatus Scottorum sanguine cretus
Solus in hoc tumulo pulvere verme voror.
Regibus Italicis servivi pluribus annis
Lothario magno Lodovicoque bono.
Octonis lustris septenis insuper annis
Post Fesulana praesul in urbe fui.
Grammata discipulis dictabam scripta libellis,
Scemata metrorum, dicta beata senum.
Posco, viator, adis quisquis, pro munere Christi:
Te, homo, non pigeat cernere busta mea;
Atque precare deum, residet qui culmina caeli,
Ut mihi concedat regna beata sua.

X.

VERSUS DE OCTO VITIIS.

Labitur heu nimium praesumpta superbia cosmi:
Tapinosis surgit Christi solamine fulta.

Glossae — X, 2 Tapinosis] humilitas

[II.] *Vita S. Donati II* 26 (*pag.* 662): sepultus est (*Donatus*) a discipulis suis in arca saxea die XI kal. Nov. in loco, ubi ceteri sancti pontifices sunt collocati scriptumque est illic epitaphium huiusmodi: Hic ego — beata sua 4 lodouicoque *sic LS* 5 Octenis *Ug.* 7 Gramata *L* Gratuita *Ug.* 8 Schemmata *Boll.* Schemate *Ug.* acte *Boll.* 9 Parce *Ug.* adis *Ug.Boll.*] adhis *S* adiit *L* ades *Ozanam* 10 homo] modo *SUg.* 11 residet *SUg.*] regit *Boll., verbum om. L* 12 michi *S* consedat *Boll.*

[X.] *L(audunensis 444) fol.* 2ʳ; *ediderunt Bernardus de Montfaucon Palaeograph. Graec.* 1708 *pag.* 249, *Felix Ravaisson in Catalogue général des ms. des departements* 1849 *I* 234—235, *G. F. Hildebrand Glossar. Lat. bibliothecae Parisin. Goettingae* 1854 *pag. X, idem in Muetzellii Zeitschrift für d. Gymnasialwesen VII* 117; *mihi codicem, de quo v. supra pag.* 523 *et* 686, *examinavit A. Dopsch inscriptio paene evanuit L* 1 cosmi *sic L*

[II.] *Ipse Donatus sibi epitaphium condidit Ludovico II († 873), filio Lotharii I (823—855), Italiae sceptrum tenente; sed vidit adhuc tempora Karoli Calvi, cf. Vit. S. Donati I* 18 *pag.* 657 *(locum ab iis, qui Regesta imperii colligunt, adhuc neglectum, sed, ut Bollandianorum lectione correcta apparebit, valde notabilem, ad fidem codicis L, ubi extat fol.* 51ʳ, *hic totum edimus):* tempore siquidem illo, prout superius memini, contra Fesulensem ecclesiam in rebus facultatibusque suis multae olim factae fuerant invasiones per praeceptorum (praecepta *L*) imperatorum et cartularum amissionem, quae ob devastationem crudelissimae gentis Normannorum acciderat. unde aliquantisper ecclesia sublimata fuerat (*fort.* ruerat) et pro huiuscemodi facultatibus redintegrandis sanctissimus episcopus (*Donatus*) ad clementiam adiit Ludovici magni principis. quem ille benigno animo suscipiens et pro devotione sanctissimi viri universa postulata non denegavit. concessit inter ea eidem (eiusdem *L*) ecclesiae gloriosissimus Augustus, ut nulla magna parvaque persona res memoratae ecclesiae usurpare, invadere vel inquietare praesumeret seu in possessionibus vel familiis aliquam violentiam inferret. concessit etiam ei dona annualia parafredos, mansionaticos, paratas, fidei iussores minime tollendos, ne quis (neque *L*) super ipsos homines ad supra fatam ecclesiam pertinentes molestationem aliquam inferendo absque legali iudicio praesumeret. haec autem acta sunt apud Capuanam urbem. similiter vero actum est apud Placentina moenia (menia *L*) octavo idus Februarii, in indictione vero nona (*sc. a.* 876, octavo *Boll.*) a Karolo (excellentissimo *add. Boll.*) imperatore. sancti sacerdotis petitione concessit praecepti immunitatem (emunitatem *L*) defensionisque paginam secundum superioris sententiae formam continentia. quae (qui *L*, quod *Boll.*) si quis temerario iure contra ire praesumeret, poena(m) triginta librarum auri incurreret, ab ecclesia vero sententiam dampnationis acciperet. hoc nos pro magno (magna *L*) ducentes huic opusculo inserere studuimus et ad laudem tanti viri, prout valuimus, descripsimus.

[X.] *Latinum carmen incertum est an scripserit Martinus is, cuius infra edimus Graeca* XII I—V *ex eodem codice petita.*

Octonos generat lapsus ellonis amica:
Temperat hos iustus ieiuna mente politus.
Fornicor in multis loetali fraude peremptus:
Me tamen evacuat felix ΕΝΓΡΑΤΕΑ totum.
Servus avaritiae cunctum degluttit et orbem:
Dissipat et largus hanc pestem falce venusta.
Ira furit nimium semper saevire parata:
Quam vir pacificus patienter percutit ore.
Anxietas mentis gignit suspiria cordis:
Quae Christi famuli sedant placamine miti.
Tristitiae iaculis plures turbantur in orbe:
Quos quoque solatur Christus laetamine sacro.
Deiicit ast alios kenodoxia corde superbo:
Hos restaurat ovans divini lectio verbi.

XI.

Siderum factor dominusque caeli,
Qui regis mundum pietate vera,
Culmen aeterni solii gubernans
Iure perenni;

Tu maris leges moderans et arvi,
Tu poli lumen speciale fulgens
Tuque dans nobis anelare corde
Mystica dona:

Glossae — 3 ellonis] gluttonis 6 Ε.] continentia 11 A.] accidia 15 k.] vana gloria

3 Octonos *Eckstein*] ctonos *L* 4 iustus *sic L* 5 peremptis 2 *m. corr. L* 6 totam 2. *m. corr. L* 8 falce] *adraso* l *L* venusta *sic L* 9 seuire *L*

[XI.] *Bobiensis nunc Vaticanus 5751) fol. 62v. cf. de codice supra pag. 688; edidit Caesar Baronius Annal. ecclesiasticor. XV 480 Lucae 1744, Biancolinus Dei vescovi e governatori di Verona ibid. 1757 pag. 35—37, Ernestus Duemmler Gest. Berengarii imperator. Halis 1871 pag. 61—65 et 134—136; ipse utor imagine photographa et collatione meum in usum facta a Brunone Gueterbock* SAFFICUM HOC CARMEN ADELARDO EPISCOPO *inscripsit manus posterior B* 7 anhelare *Baronius: an* *cumulare? *Paulini Petr. Vit. Mart. IV 86 conferri iubet Weyman* 8 mistica *B*

[XI.] *Carmen de Adalhardo episcopo Veronensi (cf. de eo Duemmler ad Gesta Berengarii pag. 62 seq.), si recte conieci (v. Abhandlungen d. bayer. Akademie l. c. pag. 309). a Scotto Veronae vitam agente scriptum est idque, item quantum coniectura assequor, post mortem Ludowici II († 875) et Karoli Calvi († 877) imperatorum (vide v. 14. 15), dum Iohannes VIII papa solum mutans (vide v. 17—20) in Francia moratur atque Saraceni totam Italiam infestant (vide v. 24 et 27), i. e. intra a. 877 et 878. Walfredus comes Veronensis (cf. de eo Duemmler l. c. pag. 64) quod ex patria fugisse dicitur (v. 28 ense repulso, cf. v. 19), quas ad res illa aetate gestas referendum sit quamquam pro penuria monumentorum nescimus, id tamen pro certo potest affirmari nec Walfredi († 896) nec Iohannis IX († 900) mentionem fieri ut mortuorum, id quod Ernestus Duemmler opinatus versus c. a. 900 scriptos esse dixerat.*

Quaesumus, nostris deus ut serenum
Iubar infundas lacrimasque tergas,
Pacis ut pignus capiamus almae
Mentibus omnes.

Ecce nam mundus populusque mundi
Flet Hludowici Karolique morte
Imperatorum populos tuentum
Ense potenti.

Plangit et caelum populusque caeli
Praesulem summum dominumque papam
Roma Iohannem rabie repulsum
Daemonis atra.

Nec minus plorat solitudo sacra
Cum suo coetu monachisque cunctis,
Dente quod diri lacerentur ipsi
Nempe leonis.

Fletque Walfredum comitem Verona
Cum suburbanis viculisque cunctis,
Quod lupis saevis pateant et ipsi
Ense repulso.

Pastor at noster Adelardus almus
Plebis afflictae lacrimas repellit
Sancta praecepta tribuendo nobis
Ore salubri.

Fluctibus ponti quatiatur etsi
Raptus e portu aquilonis arte,
Fraude quae natos hominis veterni
Sternere quaerit,

Ille sed diris stimulis resistit
Galea scuto fideique spei
Caritatis, quae dominusque noster
Contulit orbi.

Isque lorica gladioque verbi
Spiritus sancti, crucis ac triumpho
Invocans patrem dominumque temet
Territat hostes.

Hostias sacras tibimet frequentans,
Pauperum tegmen, cibus atque potus
Extat edoctus domino magistro
Pascere fratres.

---

9 *an* *nocti? 15 populos *sic B* 18 Prȩsulem *sic B* 19 *Rome *B* 33 et si *Duemmler* 39 *an* *bona quaeque nostro? *B* 43 *timet *B* 44 *an* *hostem?

34 *'Cf. Radbodi Vita Lebuini v.* 3 saeva procellosi compressit flumina Rheni, Cuius forte gravi turgebant ostia flatu, Exagitata feris persaepe aquilonibus ante, *ubi in codice Berolinensi adnotatur* aquilonibus: diaboli immissionibus.' *P. de Winterfeld.* 38. 41 *Cf. supra pag.* 164 *ad v.* 36, *pag.* 176 *ad v.* 13, *Mone Lateinische Hymnen I* 369. 47 *Matth.* 25, 34.

Is senum fortis baculus gubernans
Crura languentum puerumque virga,
Devii sensus iuvenumque ductor
Roborat omnes.

Absit, ut tanto placeant patrono
Aureus fulgor lapidumque vigor,
Purpurae pallor variusque color
Ludificantes.

Fulgeant illi lapides superni,
Straveras de quis, deus, Ierusalem,
Quo pia caeli renitet platea
Condita iustis.

Grata sint illi tegumenta sacra,
Mitis et victus, placidum Lieum,
Eius ut corpus salubri colatur
Ordine semper.

Unde te plebes rogitant devotae,
Iste ne nobis pater abstrahatur
Huius ad vitae tribuenda lucra
Tempore multo.

Eius et persta solii tutator,
Eius et lumen oculis refulgens
Perfice gressus famuli sacrati
Atque ministri.

Vita et virtus via spes salusque,
Christe, iustorum probitasque paxque,
Hoc deo carmen canimus amore
Praesulis huius.

Sint patri laudes sine fine sacrae:
Sit honor semper tibi, nate patris;
Spiritus compar sociatus aeque
Glorificetur.
Amen.

---

49 *post* 51 *posui* 49 *Diuitũ *B* *doctor *B* 51 *Iura *B* 54 *an* *nigror? 55 *an* *Marmoris pallor variusque candor? 58 *Strauerat *B* 62 *Uita *B* 65 *rogitent *B* 66 subtrahatur *B corr. G. de Christ* 67 tribuenda *sic B* 68 multo *sic B* 69 presta *B corr. P. de Winterfeld* 71 *an* *Derige? 73 & *B*] *an* *lux?

57 *Apoc.* 21, 10.

XII.

I.

GRAECA AD VERSUS.

ϹΠЄΡΜΑ
ΥΨΙϹΤΟϹ
ЄΞΑΡΧΩΝ
ΘΑΥΜΑϹΤΟϹ
ЄΞ ΑΡΧΗϹ
ЄΠΙΛЄΚΤΟϹ
ΔΙΚΑΙΟϹ
ΑΓΑΘΟϹ
ΜЄΓΑΛΟϹ
ΤΙΜΙΟϹ
ΦΡΟΝΙΜΟϹ
ΑΚΡΟϹ
ΒΑϹΙΛЄΥϹ
ϹЄΒΑϹΤΟϹ
ЄΓΓЄΟΝ
ЄΥΦΡΟϹΥΝΙ
ЄΟΥϹ
ΔΥϹΙϹ
ΧΡΥϹΩ
ΜЄΓΑΛΥΝΙ

ΔΟΞΟΛΟΓΟΥΜЄΝ
ΥϹΧΥΡΟϹ
ΑΘΑΝΑΤΟϹ
ΚΑΤΙϹΤΩΝ
ΔΥΝΑϹΤΑϹ
ΠΙΝΟΥΝΤЄϹ
ΠΝЄΥΜΑΤЄ
ΥΔΡΟϹ
ΦΡΟϹΚЄΙΟϹ
ΛΙΚΝΟϹ
ΦΩϹ
ΠЄΠΛΙ
ΚΛЄΟΡ
ΑΡΜΟΔΙΟϹ
ΒΑΛΗΝ
ΦΟΜЄΝΟΡ

II.

ЄΛΛΗΝΙϹ ΓΡΑΨЄΝ ΜΑΡΤΙΝΟϹ ΓΡΑΜΜΑΤΑ ΑΥΤΑ.

Glossae — [XII.] [I.] 1 semen 2 altissimus 3 procerum 4 mirabilis 5 a principio 6 electus 7 iustus 8 bonus 9 magnus 10 pretiosus 11 sapiens 12 summus 13 rex 14 colendus augustus 15 terrestre 16 laetitia 17 oriens 18 occasus 19 auro 20 magnificavit (*cf. Ioh. Scott. supra pag.* 546 *c.* VI 3) | 1 glorificamus 2 fortis 3 immortalis 4 ordinans 5 potentes 6 esurientes 7 spiritu 8 serpens 9 frustra vel frustruosus (*vide supra pag.* 545 *c.* V III 6) 10 lucerna 11 lux 12 vestis 13 gloria (*cf. ad c.* XII III 1) 14 aptus 15 *om.* 16 *om.* (*cf. supra pag.* 545) [II.] Gr(a)ecus scripsit litteras istas *L*

[XII.] [I—V.] *L(audunensis 444), de quo codice cf. supra pag.* 692; *edidit* [I] *Miller in Notices et extraits XXIX* 2 *pag.* 139, [II] *Carolus Labbaeus Glossar. Parisiis* 1679 *fol. ê III et Miller pag.* 198, [III] *Labbaeus loc. cit. et Omont in Album paléographique (cf. supra pag.* 524), [IV] *Labbaeus et Omont,* [V] *iidem; repeto ad imaginem Omontii measque* [I.] *L(audunensis 444) fol.* 294ᵛ *ab ipso Martino scriptum ante glossarium ad Iohannis carmina (cf. supra pag.* 527) [II.] *L(audunensis 444) fol.* 296ᵛ: *partim litteris Graecis minusculis usus subscripsit Martinus glossario in Iohannis carmina a se condito, Latine vertit eius discipulus*

[XII.] [I—V.] *Ea Graeca qui composuit, Martinus Hibernensis, magister Laudunensis, natus est a.* 819, *mortuus* 875 *(cf. Traube Abhandlungen l. c. pag.* 362*). Qui cum Graece scierit Iohanne etiam minus, non nulla eius verba inemendata neque ad normam nostram transscripta relinquenda sunt.* [I.] *Martinus glossas, quas suum in usum converteret, in codice suo ante eas posuit, quas e Iohannis Scotti carminibus excerpsit (cf.* II*).* [II.] *Ἕλλην ἔγραψεν Μ. γράμματα αὐτά.*

III.

ΡΩΜΑΙΟΥ ΔΗΜΟΥ ΙΩΗΑΝΝΗС Η ΚΛΕΟΡ ЄСΤΙΝ.
ЄΛΛΗΝΩΝ ЄΛΛΗΝ ΛΑΜΠЄΙ ΝΥΝ ΛΙΥΔΔΟ СЄΒΑСΤΟС.
Romani populi Iohannes gloria constat:
Graecorum Graecus fulget nunc Liuddo colendus.

IV.

ΦΙΛΑΞΟΝ Ω ΘЄΟС ΤΗΝ ΒΑСΙΛΙССΑΝ ΗΡΜΙΝΔΡΟΥΔ ΚΑΙ ΔΟС ΑΥΤΗ СΩΤΗΡΙΑΝ ΚΑΙ ΔΟΞΑΝ ΚΑΙ ΖΩΗΝ ЄΙС ΤΟΥС ΑΙΩΝΑС ΤΩΝ ΑΙΩΝΟΝ. ΑΜΗΝ.
Ω ΚΥΡΡΙЄ ΒΟΗΤΗСΟΝ ΤΩ ΚΑΡΟΛΩ СΟΥ ΚΑΙ ΘΟΥ ΤΟΥС ЄΧΤΡΟΥС ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥС ΜΗСΟΥΝΤΑС ΑΥΤΟΝ ΥΠΟΠΟΔΙΟΝ ΤΩΝ ΠΟΔΩΝ ΑΥΤΟΥ.

V.

СΤΙΧΟС ΠΡЄΠΟС ΔΙΔΑСΚΑΛΟΥ ΜΑΡΤΙΝΟΥ.

ЄΙСΧΡЄ ΑΝΑΓΙΝΟСΤΗС ЄΝΤЄΥΘЄΝ Δ'ΥΠΑΓЄ ΦЄΥΓЄ.
ΜΗΔ' ЄΛЄΛΥΘΑ ΛΟΓΩ СΟΥ ΚΑΙ ΤΑΧΑ ΜΗΔЄ ΠΟΡЄΥΩ.
ΑΡΝЄΤЄ СЄ ΗΛΙΚΙΑ ΚΡΟΤΑΦΩΝ ΑΠΑΛΩΝ ΤЄ ΝЄΩΝ ΤЄ.
ΙΔЄ ΛΑΛЄΙΝ ΤΙΘΟΜΑΙ ΝΥΝ ΩС ΠΑΡΑΚΑΛЄΤЄ ΠЄΡΑΝ.
ΝΥΝ ΛΗΓЄ ΝЄΑΝΙСΚЄ ΛЄΓЄΙΝ ΔΟС ΔЄСΜΑΤΑ ΧΙΛСΙΝ.

Glossae — [IV.] custodi deus reginam et da ei salutem et gloriam et vitam in saecula saeculorum. amen. (ὦ articulus) domine. auxiliare tu et pone inimicos eius et odientes eum scabellum pedum eius *L* [V.] *tit.* versus pulcher *L* 1 improbe lector hinc vade fuge *L* 2 neque veni verbo tuo et forsan neque vadam *L* 3 negat te aetas puerorum rudium novorumque *L* 4 ecce loquendi pono nunc sicut iubetis finem *L* 5 nunc desine o iuvenis dicere da vincula labiis *L*

[III.] *L(audunensis 444) fol.* 297ᵛ *a Martini discipulo exaratum subsequitur Iohannis c.* III x [IV.] *L(audunensis 444) fol.* 297ᵛ *a discipulo Martini scriptum post versus sub* III *editos* 2 ΔΧΗΝ *L* 3 ΚΕ *L* [V.] *L(audunensis 444) fol.* 297ᵛ *(ubi extat titulus ab ipso Martino scriptus et licet στίχος singulariter dicatur ad totum carmen referendus) et fol.* 298 *(ubi carmen exhibetur a Martini discipulo descriptum)*

[III.] *Epigramma Graecum haud scio an a Martino conditum sit.* 1 Iohannes *sc. Scottus (non papa Iohannes VIII) gloria appellatur populi Romani fortasse propter Dionysium Areopagitam Latine redditum;* Η ΚΛΕΟΡ *ipsum Martinum scripsisse puto male intellecto Iohannis versu* III VI 1. 2 Liudo, *qui dubito num idem sit ac diaconus Remensis (de quo cf. Schroers, Hinkmar pag.* 253*) — nomen enim vulgare est (cf. Foerstemann I* 857*) —, ut* Graecus Graecorum *(qui genetivus superlativi obtinet vicem) fulgere dicitur, opinor, quia tum Graecas litteras discebat apud Iohannem aut Martinum.* [IV.] *Orationes Martini (an Iohannis?) pro salute animae reginae Irmindrudis († 869) regisque Karoli Calvi: φύλαξον. ὦ θεός. τὴν βασίλισσαν Ἱρμινδρουδ καὶ δὸς αὐτῇ σωτηρίαν καὶ δόξαν καὶ ζωὴν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. ὦ κύριε. βοήθησον τῷ Καρόλῳ σου καὶ θοῦ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ καὶ τοὺς μισοῦντας αὐτὸν ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ (cf. LXX Ps.* 109, 1*).* [V.] *His versibus operam a se in Iohanne Scotto explicando collocatam Martinus conclusit: στίχος πρεπὸς (pro πρέπων) διδασκάλου Μ. αἰσχρὲ ἀναγινόστης (pro ἀναγνώστης). ἐντεῦθεν δ'ὕπαγε, φεῦγε. | μηδ' ἐλήλυθα λόγῳ σου καὶ τάχα μηδὲ πορεύω. | ἀρνεῖταί σε ἡλικία κροτάφων ἀπαλῶν τε νέων τε. | ἴδε λαλεῖν τίθεμαι νῦν, ὡς παρακαλεῖτε, πέρα. | νῦν λῆγε, νεανίσκε, λέγειν 'δὸς δέσματα χείλσιν' (pro χείλεσιν).*

XIII.

ΥΨΥΛΟC ΚΥΡΙΟC ΔΥΝΑΤΟC ΦΥΛΟCΤΟΡΓΟC ΑΜΩΜΟC
ΔΟC ΜΟΙ ΝΥΝ CΥΝΕCΙΝ ΚΑΙ ΜΟΥ ΤΟ CΤΩΜΑ ΠΛΙΡΩCΟΝ
ΠΝΕΥΜΑΤΟC ΟCΥΟΥ. ΒΑCΙΛΕΥΕ ΧΡΙCΤΕ ΛΙΤΡΩΤΑ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ ΘΕΛΗΜΑ ΑΓΙΟΝ ΕΧΕΟΝ ΕΙC ΗΜΑC
ΟΠΩC ΑΝ ΜΑΘΩ ΑΨΕΥΔΩC CΟΥ ΡΗΜΑΤΑ ΛΑΛΕΙΝ.
ΚΑΤΑΡΤΗCΕ ΘΕΕ ΜΕΛΕΤΗΝ ΜΟΥ ΚΑΙ ΚΑΘΑΡΗCΟΝ.
ΙΔΟΥ ΠΤΟΧΟC ΕΔΥΜΟΝ ΑΜΑΘΕΙC ΑΜΝΗΜΟΝ ΑΧΡΙCΤΟC
ΑΛΛΑ ΚΑΤΕΥΘΥΝΟΝ ΗΜΩΝ ΚΑΡΔΙΑΝ ΑΝΩΘΕΝ.
ΠΡΟC CΕ ΚΡΑΖΟ ΠΕΝΙC CΩCΟΝ ΜΕ ΚΑΙ ΑΚΟΥCΟΝ.
ΑΙΝΟ ΘΕΟΝ ΥΠΕΥΘΥΝΟC CΩΖΟΝΤΑ ΛΙΤΟΥΡΓΟC.
CΟΙ ΠΑΡΑΘΩ ΠΙCΤΗΝ ΑΕΙ ΚΑΙ ΠΡΑΓΜΑΤΑ ΠΑΝΤΑ
ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΟΡ CΟΤΙΡΗΑ ΘΕΟΥ ΧΗΡ ΔΟΖΑ CΟΦΙΑ.
CΥ ΛΑΛΟΥC ΠΑΝΤΑC ΔΙΑΠΑΝΤΟC ΔΙΑΤΙΡΗCΕΙC.

XIV.

I.

ΟΡΟΘΕCΙΑ ΚΑΙ ΕΚΘΕCΙC ΓΡΑΜΜΑΤΟΝ ΕΒΡΑΕΙΚΟΝ.

Adam primus homo, doctrinam commonet aleph.
Beht domus exprimitur signans CXHNΩMA piorum.

Glossae — [XIII.] 1 excelsus dominus potens industri⟨u⟩s immaculatus *M* 2 da mihi nunc intellectum et meum os reple *M* 3 spiritu sancto regna redemptor *M* 4 imperator voluntatem sanctam effunde in nos *M* 5 ut discam inmendaciter tua verba loqui *M* 6 perfice dee meditationem meam et munda *M* 7 ecce pauper verecundus indoctus immemor inutilis *M* 8 sed dirige nostrum cor desuper *M* 9 ad[te] te clamo mendicus salva me et audi *M* 10 laudo deum reus salvantem minister *M* 11 tibi commendo fidem semper et opera cuncta *M* 12 omnipotens salus dei manus gloria sapientia *M* 13 tu populos omnes semper custodias *M*

[XIV.] [I.] praepositio et expositio liter⟨arum⟩ Ebrai⟨carum⟩ *V* 2 habitaculum *V*

[XIII.] *M(urbacensis nunc Gothanus mbr. I, 17 saec. IX, a manu coaeva correctus, cf. Iacobs Beitraege II 5) fol. 3; edidit Bernardus de Montfaucon Palaeograph. Graec. pag. 220, ipse sequor ectypon photographum* 1 ΚC *M* ΦΥΛCΤΟΡΓΟC 2 *m. corr. M* 2 CΥΝΕCΕΝ 2 *m. corr. M* ΠΛΙΡΟCΙΝ 2 *m. corr. M* 3 ΔΙΤΡΩΤΑ *M* 4 ΔΥΤΟΚΡΑΤΟΡ *M* 5 ΑΨΕΥΔΟC 2 *m. corr. M* ΛΑΛΙΝ 2 *m. corr. M* 7 ΑΜΑΘΙC 2 *m. corr. M* ΑΜΜΗΝΟΝ 2 *m. corr. M* ΑΧΡΙCΙΟC *M* 11 ΠΑΡΑΡΑ(*alterum* ρα *induxit M*)ΘΩ *M* 13 CΟΥ 2 *m. corr. M* ΔΙΑΤΙΡΗCΕ(Ε *ex* Α 2 *m. corr. M*)IC *M*

[XIV.] [I. II.] *M(urbacensis nunc Gothanus mbr. I, 17 saec. IX) fol. 3ᵛ et 4; V(aticanus reginae 339 saec. X, cf. Reifferscheid Bibl. patr. I 408) fol. 49 et 49ᵛ; edidit Bernardus de Montfaucon Palaeogr. Graec. pag. 221 prius carmen totum, alterum ad v. 17; ego ad imaginem photographam legi codicem M, a Iohanne Tschiedel comparatum habui V* ΟΡΟΘΕCΙΑ *M*] ΟΡΟΘΕCCΙΑ *V* ΟΡΟΘΕCΕΙΑ 2 *m. M* 1 *commouet *MV* 2 Beht *ex corr. (in utroque erat* Beth*) MV*

[XIII.] *Carmen a Scotto aliquo compositum, qui leges sequitur a Iohannis et Martini diversas, veluti in arsi breves producit saepissime: nam pronuntiari voluit πνεύματός ὁσιού (v. 3), ἁγιόν ἐχεόν (v. 4) et cetera ausus est, quae illi non admitterent.* ὑψηλὸς κύριος, δυνατός, φιλοεργός *(cf. glossa)*, ἄμωμος, | δός μοι νῦν σύνεσιν καί μου τὸ στόμα πλήρωσον | πνεύματος ὁσίου· βασίλευε, Χριστὲ λυτρωτά | αὐτοκράτορ ⟨τε⟩, θέλημα ἅγιον ἔχχεον εἰς ἡμᾶς, | (5) ὅπως ἂν μάθω ἀψευδῶς σου ῥήματα λαλεῖν. | κατάρτιζε, θεέ, μελέτην μου καὶ καθάρισον. | ἰδοὺ *(voluit ἴδε)* πτωχός, αἰδήμων, ἀμαθής, ἀμνήμων, ἄχρηστος· | ἀλλὰ κατεύθυνον ἡμῶν καρδίαν ἄνωθεν. | πρός σε κράξω πένης, σῶσον ⟨ἐ⟩με καὶ ἄκουσον. | (10) αἰνῶ θεὸν ὑπεύθυνος σώζοντα λιτουργός. | σοὶ παραθῶ πίστιν ἀεὶ καὶ πράγματα πάντα, | παντοκράτορ, σωτηρία, θεοῦ χείρ, δόξα, σοφία. | σὺ λαοὺς πάντας διαπαντὸς διατηρήσῃς.

[XIV.] [I. II.] *Carmina de alphabetis Hebraeo et Graeco nescio an scripserit idem qui* XIII. *In priore sequitur doctrinam Hieronymianam, sc. Hieronymi epistulam ad Paulam (Migne 22, 442) et Hebraici alphabeti interpretationem (Migne 23, 1305 = Onomastica sacra ed. de Lagarde pag. 160, cf. Reifferscheid Biblioth. patrum I 537 et Hraban. Maur. ed. Migne 111, 1183).* — ὁροθεσία καὶ ἔκθεσις γραμμάτων Ἑβραϊκῶν. 2 σκήνωμα.

Gemel sermonum retinet ΠΛΗΡΟΜΑ datorum.
Deleth sumptus aquae, tabularum ΥΠΟΔΙΓΜΑ restaurat.
He quod gramma sonat, ΡΩΜΑΕΙCΤΙ dicitur ista.
Vau ΚΕΦΑΛΗ constat Machabei codicis ecce et.
Zai dupliciter vocitatur et haec et oliva.
Heth, vitam ΘΑΝΑΤΟΥ victorum praedicat in qua.
Teth bonum opus merito muneratio larga sequetur.
Ioth bene principium est, bis quino ΡΗΜΑΤΕ lex est.
Kaph, te ΧΗΡ decimam post littera prima caraxat.
Lameth amen disciplinam recitare videtur.
Mem sonat ex ipsis: mandatis scilicet almis.
Nun plane aeternum vero ΠΡΟCΤΑΓΜΑΤΕ lampat.
Sameth enim auxilium nostro sermone vocatur.
Ain ΟΦΘΑΛΜΟC [ΠΗΓΗ et] Iudaeus sermo recludit.
Fe felix fulget doctorum CΤΩΜΑ, quod est os.
Sade iustificatorum ΔΙΚΕΩΜΑ relucet.
Koph electorum est sincera vocatio dicta.
Res, ΚΕΦΑΛΗ, caput: en sunt hae tres ordine linguae.
Sen dentes replicat, quos Graecus dicit ΟΔΟΝΤΕC.
Tau signum CΤΑΥΡΟΥ vel consummatio fertur.
Haec elementa bis undeno conscripta tenore,
Si fuerint sociata, velut pia poscit amussis,
Ordine proficuo septenum stemma relucet,
Quod capiti Christo cunctorum convenit atque
Ecclesiae natis, quos sanguis purgat amomi
Ante creaturam noti persimplicis agni.
Hos nunc versiculos annorum dedicat ordo,
Quo baptizari voluit sine ΠΤΕΓΜΑΤΕ Christus.
ΤΕΤΕΛΕCΤΕ ΕΡΓΟΝ ΕΝΓΡΑΠΤΩΝ.

II.

ΚΑΤΑΛΟΓΟC ΓΡΑΜΜΑΤΟΝ ΕΛΛΗΝΩΝ.

Quattuor his nunc versiculis perpende, magister,
Tres in personis, unum in deitate potentem:
ΑΛΦΑ patrem signat, quoniam caput esse videtur;
ΒΗΤΑ patris genitum aeterna ratione figurat;

Glossae — 3 plenitudo *V* 4 similitudo *V* 5 Latine (latini *cod.*) *V* 10 verbo *V* 11 manus *V* 14 appositione *V* 16 oculus terrestris *V* 18 Sade] iustitia *V* Δ.] meritum *V* 21 dentes *V* 31 finit opus inscriptionum *V* [II.] numerus (nunerus *V*) litterarum Gr(a)ecarum *V*

4 aqua *M* 8 predicat *MV* 11 prim *V* 15 Sameth *sic MV* 16 iudeus *MV* recludit *corr. V* 21 Sen *sic MV* 24 amusis *MV* 25 stema *MV* [II.] ΕΛΛΙΝΩ(Ο 2 *m. corr. M*)Ν *MV* *a* 3 *ad* 26 *versibus singulis singulas litteras Graecas praefigunt MV, a* 5 *ad* 7 *primum quodque vocabulum*

3 *πλήρωμα.* 4 *Patet ambiguitas verbi* delet(h): *diluvium* (sumptus aquae) *delet; littera* deleth, *quae* tabularum *ὑπόδειγμα est, i. teste Hieronymo 'librorum divinorum'*, restaurat. 5 *ῥωμαῖστί.* 11 *χείρ.* 17 *pro στόμα. ut saepius apud Scottos.* 18 *δικαίωμα.* 25 *Significantur septem Hieronymi conexiones: aleph, beth, gemel, deleth; he, vau, zai, heth; tet, iod; caph, lamed; mem, nun, samech; ain, phe, sade; coph, res, sen, thau.* 27 *Cf. supra* XIII 1. 29 *Sc. triginta versus sunt.* 30 *pro* ΠΤΑΙCΜΑΤΕ? 31 *τετέλεσται ἐ. ἐγγράπτων.* [II.] *γραμμάτων.*

ΓΔΜΜΔ simul certe depingit ΠΝΕΥΜΔ beatum.
ΔΕΛΤΔ trium personarum communicat agmen.
ΕΛΕΙΜΩΝ mundi custos, miserator et orbis
ΖΩΗΝ anthropis iustis concesserat almam:
ΗΤΔ quidem vitiis socias tres iungit et aptat.
ΘΗΤΔ gerit signum mortis, quo vita triumphat
ΙΩΤΔ, quod est Christus, legis qui conditor extat.
ΚΔΠΠΔ bis en denos sibi vendicat arte Pelasga.
ΛΔΥΤΔ ter et decadem summis gestare probatur.
ΜΥ cosmo horrendum cataclysmum fudit avito.
ΝΥ summam annorum iubilei format amati
Ξlque gradum viduae moderatur rite secundum.
Ο proprio caeli determinat orbe figuram.
ΠΗ fidei atque operis speciem confirmat ΔΝΩΘΕΝ.
ΡΩ dextra centum meminit levaque refutat.
ϹΙΜΜΔ notat ϹΩΤΗΡ, salvat qui cuncta creata.
ΤΔΥ crucis est ϹΙΜΙΟΝ, quo credimus esse redempti,
Υ tribus ambiguam notulis vitam manifestans.
ΦΥ: genus humanum ΦΙΛΔΖΟΝ, ktismatis auctor;
ΧΡΙϹΜΔΤΕ perfusum mereatur regna polorum.
ΥΙ geminos apices ego litera sola rependo.
Ω finis perfecta iugans et iuncta resolvens.

XV.

ΝΕΦΡΔΛΕΟϹ ΦΡΟΝΙΜΟϹ ϹΠΟΥΔΔΙΟϹ ΚΔΙ ΔΕ ΔΙΚΔΙΟϹ.

Glossae — 8 vitam *V* 20 salvator *V* 21 signum *V* 23 serva tu (seruatú *cod.*) *V*
[XV.] sobrius sapiens fortis atque iustus *D*

Latine, a 9 *ad* 26 *Latine sed cum prima littera Graeca, versu* 8 ΖΩΗΝ *totum Graece scribunt MV* 7 Eleimon *MV* 9 *uitas *MV* 13 probatus 2 *m. corr. M* 14 cataclismum *MV* fundit *corr. M* 15 iubelei *M* amata 2 *m. corr. M* 18 Πe *MV* 19 *leuamque *MV* 20 ϹΗΡ *M*] ϹΗΡ *V* 21 simion *MV* *creditur *MV* 22 *manifestam *MV* 23 Φy *MV* filaΖon *MV*
[XV.] *D(ionysii codex nunc Parisinus 2) fol.* 3; *vide supra pag.* 257 *v.* 98 ΝΕΦΡΔΛΕΟϹ *D*

7 *ἐλεήμων.* 9 *Octo* (Η = 8) *vitiis opponuntur fides, spes, caritas.* 10 *Θ(άνατος): cf. e. g. Isidor. orig. I* 3, 8. 11 *Ἰ(ησοῦς).* 12 Κ = 20. 13 Λ *(de forma λαυτα cf. Omont Bibliothèque de l'école des chartes XLII* 439 *adn.* 2, *item* lauta *scripsit saeculo IX Madalfridus in codice Monacensi* 6291, *cf. Silvestre Palaeogr. II* 273) = 30. 14 Μ = 40: *cf. Gen.* 7, 12. 15 Ν = 50: *cf. Levit.* 25, 11. 16 Ξ = 60: *cf. 'Melitonem' ed. Pitra Spicileg. Solesm. III* 288. 17 *Ο(ὐρανός).* 18 *Π(ίστις) et Π(οίησις).* 19 Ρ = 100; *koppa* = 90. 20 *Cf. Isidor. l. c. I* 3, 9. 21 *σημεῖον* 22 *Cf. supra pag.* 441 *in scholiis ad v.* 82. 26 *Apoc.* 1, 8 *cet.*

[XV.] *Unum versum Graecum depromimus de poemate supra pag.* 255 *integro edito e bibliorum codice a Scotto aliquo (cf. Berger Histoire de la Vulgate pag.* 287 *et* 399) *scripto a.* 870—873: *νηφάλεος. φρόνιμος, σπουδαῖος καὶ δὲ (cogitavitne de ἠδέ?) δίκαιος.*

XVI.

Elabe soson pantokrator khe eulogete Widonem.

Omnipotens genitor, genito qui cuncta creasti,
Guidonem dulon clemens per saecula soson
Tuque, beata dei genitrix, succurre clienti.

XVII.

Hoc ipse exponat posco problema tibi:
Oenon paleon pimelin gallan eleon,
Et non miraris dulcia nosse tua.
Neon ide lalo rema sison ripho ariston,
Vescere quis poteris tuque poeta tuis.
Phrontistes phronimos phisa philoponia nechros,
Hoc fecit Christus primus in orbe deus:
Qui cruce frugifera mundum ex pietate redemit,
Nos salvat morte perpetua moriens.

Glossae — [XVI.] 1 suscipe salva et benedic *P* *crux explicatur* vita *et* lumen *adscriptis P*
[XVII.] 2 vinum butyrum bibe lac oleum *S* 4 novum vide loquor verbum move sorbeo prandium *S* 6 curator sapiens sufflat studium mortuus *S*

[XVI.] *P(arisinus 3877 saec. X) fol. 3v et 4 mihi ab H. Lebègue inspectus: ante primum versum, si tamen versus est, tractatus de nominibus Christi ex Hieronymi copiis desumptus legitur, quem edidit Pitra Spicileg. Solesm. III 448; crucem sequuntur* Versus gothascalci *(= Godescalci c. IV infra apud nos); post eos rursus leguntur ab altera manu scripti ei tres versus de Guidone, quos supra dedi et ante me male ediderat Franciscus Monnier (De Gothescalci et Ioh. Scotti controversia, Parisiis 1853, pag. 95)*
[XVII.] *S(angallensis 265 saec. X.) pag. 72; ed. Duemmler in programmate Halensi a. 1873 pag. 36 c. 30—38, quam editionem sequor* 3 Et nos *Bursian (Jahresbericht über die Fortschritte der class. Alterthumswissenschaft I 1873 pag. 13)* 5 tuus *idem*

[XVI.] *Si Iohannis Scotti de Karolo Calvo versus contuleris (Χριστέ. σῶσον δοῦλον σόν. τὸν Κάρολον cet., supra pag. 546 v. 7) et reputaveris carmen a Godescalco in Italia factum in codice esse positum inter hos de Widone versus, Widonem vel Guidonem facile tibi persuadebis esse regem Italiae (ab a. 889) postea imperatorem (891—894). Etiam in Gestis Berengarii* ΑΡΧΕΤΑΙ ΤΟ ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΝ ΒΕΡΕΝΓΑΡΙΟΥ ΤΟΥ ΑΝΙΚΗΤΟΥ ΚΑΙCΑΡΟC *et alia Graeca occurrunt* 1 *λάβε (ut in novo testamento), σῶσον. παντοκράτορ. καὶ εὐλόγει τὸν W.* 3 genito = *per genitum.* 4 *δοῦλον — σῶσον.*
[XVII.] *Occurrunt versus a nobis Scottorum carminibus Graecis appendicis loco subditi in epistula ab Ermenrico monacho Elwangensi ad Grimoldum abbatem sancti Galli missa intra a. 850 et 855.* 2 *οἶνον παλαιόν, πιμελὴν. γάλαν (pro γάλα). ἔλαιον.* 4 *νέον ἴδε λαλῶ ῥῆμα· σεῖσον· ῥυφῶ (quae forma etiam in Hermeneumatis Leidensibus invenitur, Glossar. ed. Goetz III pag. 6, 20) ἄριστον.* 6 *φροντιστὴς φρόνιμος φυσῷ φιλοπονίᾳ νεκρός.*

CARMINA MUTINENSIA.

Anno 892 a. d. X Kal. Dec. cum Wido imperator nova ac tum prorsus singulari constitutione concessisset[1], ut Leudoino[2] sanctae Mutinensis ecclesiae episcopo, quae est constructa in honore sancti Geminiani confessoris Christi et episcopi, liceret fossata cavare, molendina construere, portas erigere et super unum milliarium in circuitu ecclesiae civitatis circumquaque firmare ad salvandam et muniendam ipsam sanctam ecclesiam suamque constitutam canonicam et aquam aperire et claudere absque ulla publica contradictione, *homo quidam Mutinensis, non sane indoctus neque inficetus, quam primo loco edimus cantiunculam veluti episcopo gratulabundus composuit eamque, ut in tali occasione par erat, non metro, sed rhythmo*[3] *adstrictam, fingens iam urbem esse moenibus fossisque cinctam atque adeo iam obsidione claudi, iam defensores fungi excubiis, animum sibi addere, somnum fugare versus canendo bellicosos. Luserat ille et pericula erat mentitus; sed Hungaris in Italiam irrumpentibus*[4] *et ipsa Mutinensi civitate in summo discrimine versante saeva mox instabat veritas. Tum alter Mutinensis cantiunculam primam pro re nata supplevit (= III) et suum contra hostes carmen (= II) subsignavit, ipse quidem usus hexametris*[6].

De codice tabularii cathedralis ecclesiae Mutinensis ord. I no. 4 (= M), qui unus haec tria carmina exhibet ab aequalibus scripta, supra est dictum pag. 554.

---

1) *Tiraboschi Memorie storiche modenesi I append. pag. 66; cf. Duemmler Gesch. d. ostfr. Reiches*[2] *III 371 adn. 2 et infra ad c. I 19.* 2) *Videtur sedisse ad a. 898, quo anno Lambertus imperator Gamenulfo episcopo iura ecclesiae Mutinensi a Widone concessa confirmat; cf. Duemmler ad Gesta Berengarii pag. 183.* 3) *Cf. Guilelmus Meyer Spirensis ad ludum de Antichristo pag. 87.* 4) *Anno 900, cf. Duemmler l. c. III 507—510.* 5) *Cf. additamentum vitae S. Geminiani editum a Bollandianis e codice Bodecensi A. SS. Ian. III 765 (Bruxellis 1863), a Muratorio SS. II 2 pag. 692 e Veronensi.* 6) *Primum carmen nunc recte interpretatus esse mihi videor, de tempore et poesis indole antea errans cum ceteris (cf. Abhandlungen l. c. pag. 305). Similis argumenti est cantio illa, quae Alba bilinguis vocari solet, et ipsa, ut intercalarem versum adhuc obscurissimum omittamus, non popularis, sed doctae Musae fetus; cuius verba in unico codice olim Floriacensi nunc Vaticano, inter Reginenses 1462, saeculo*

Primum edidit Muratorius Antiquitat. Italic. III 709 Mediolani 1740 et Edélestand du Méril Poes. popular. pag. 268—269 Parisiis 1843, secundum Muratorius ibid. I 22 Mediol. 1738, tertii priorem partem idem ibid. I 21. Ego utor apographo Bethmanni a Duemmlero iterum cum codice comparato et in carmine primo simulacris photographis permissu reverentissimi episcopi Mutinensis meum in usum confectis.

I.

O tu, qui servas armis ista moenia,
Noli dormire, moneo, sed vigila.
Dum Hector vigil extitit in Troia,
Non eam cepit fraudulenta Graecia.
Prima quiete dormiente Troia
Laxavit Synon fallax claustra perfida.

[1.] *M fol. 152ᵛ: cum primi sex versus suis quisque neumis in codice distinguantur totumque carmen e duobus et quadraginta, i. septies sex, versibus constet, senos versus vel potius terna paria uno systemate coniunxi* 3 haector (*item* 19 caelsa, 10 arcae, 35 ducae, 23 *et* 29 christae) *M* 4 gretia *M*

decimo scripta (cf. E. Monaci, Facsimili di antichi mss. ad uso delle scuole di filologia neolatina tab. 57) haec sunt (cf. Monaci, Rendiconti della r. accademia dei Lincei ser. V vol. I 475 et 785):

Ph(o)ebi claro nondum orto iubare
Fert Aurora lumen terris tenue:
Spiculator pigris clamat 'surgite'.
L'alba par(t) umet mar atra sol
Poy pasa bigil miraclar tenebras.

En incautos (h)ostium insidię
Torpentesque gliscunt intercipere,
Quos suadet prẹco clamans (*Ioh. Schmidt,* clamat *cod.*) surgere.
L'alba *cet.*

Ab arcturo disgregatur aquilo,
Poli suos condunt astra radios,
Orienti tenditur septemtrio.
L'alba *cet.*

Quarum cantiuncularum inter se similitudo iam a Pio Rajna perspecta erat (Studj di filologia romanza II 1887 pag. 87). De Albae rhythmo cf. G. Meyer ad ludum de Antichristo pag. 90.

[1.] 3—8 *Aen. II* 256:

flammas cum regia puppis
extulerat fatisque deum defensus iniquis
inclusos utero Danaos et pinea furtim
laxat claustra Sinon. illos patefactus ad auras
reddit equus laetique cavo se robore promunt . .
demissum lapsi per funem . . . . . .
invadunt urbem somno vinoque sepultam.

Per funem lapsa occultata agmina
Invadunt urbem et incendunt Pergama.
Vigili voce avis anser candida
Fugavit Gallos ex arce Romulea.
[Eius clangore Marcus consul Mamlius
Excitus primus, vir bello egregius.
Umbone Gallum iam in summo positum
Ictum in praeceps deturbat miserrimum.
Avis haec vigil salus viris plurima
Capitolinis, sed Gallis nequissima.]
Pro qua virtute facta est argentea
Et a Romanis adorata ut dea.

Nos adoremus celsa Christi numina:
Illi canora demus nostra iubila.
Illius magna fisi sub custodia
Haec vigilantes iubilemus carmina.
Divina, mundi rex Christe, custodia,
Sub tua serva haec castra vigilia.

Tu murus tuis sis inexpugnabilis,
Sis inimicis hostis tu terribilis.
Te vigilante nulla nocet fortia,
Qui cuncta fugas procul arma bellica.
Tu cinge nostra haec, Christe, munimina,
Defendens ea tua forti lancea. ⁘ REQVIRE POST DVO FOLIA.

---

7 ocultata *M* 11—16 *manus aequalis postea addidit M: eosdem sex versus a pristina carminis forma alienos esse perspexit G. Meyer Spirensis; in interpolatoris manibus Livii primam decadem fuisse apparet* 11 clanglore *M* 14 preceps (*et saepius* e *pro* ae) *M* 22 Haec] ec *e corr. M* 26 Sus *corr. M* 27 nulla] in ulla *M* 29 *ante* munimina *una littera erasa M* 30 *notam verbaque in marg. manu posteriore add. M*

11—16 *Liv. V* 47 anseres non fefellere, quibus sacris in summa inopia cibi tamen abstinebatur. quae res saluti fuit; namque clangore eorum alarumque crepitu excitus M. Manlius (Manilius *Flori et Periochae libri adferturque a Drakenborchio e codicibus deterioribus*), qui triennio ante consul fuerat, vir bello egregius, armis arreptis, simul ad arma ceteros ciens vadit et, dum ceteri trepidant, Gallum, qui iam in summo constiterat, umbone ictum deturbat. 17. 18 *Hanc narratiunculam nescio utrum poeta legerit audiveritve alicubi an ipse finxerit.* 19—36 *Christus, Maria, Iohannes invocantur, quorum ecclesia a.* 881 *aedificari coepta iuxta muros Mutinenses sita fuisse videtur, cf. haec verba ab Hinschio (Decretal. Pseudo-Isidorian. pag. XIX) e folio* 141 *(v. N. A. I* 572*) codicis M prolata:* VII. Kl. Aug. per indictionem quarta (*sic Hinschius*) decimam feria IV. luna XXV. posuimus fundamenta in capella. quam in tumulo vallis munito (in unito *Hinschius*) fecimus, in fabrica (habrica *Hinschius*) in honore S. Salvatoris et S. Mariae et S. Iohanni (*sic Hinschius*) sacrandi (*idem, fort.* sacranda) tempore domni Karoli tercii imperatoris anno eius imperii secundo (*corrigas* primo).

Sancta Maria, mater Christi splendida,
Haec cum Iohanne teothocos impetra.
Quorum hic sancta venerantur pignora
Et quibus ista sunt sacrata limina.
Quo duce victrix est in bello dextera
Et sine ipso nihil valent iacula.

Fortis iuventus, virtus audax bellica,
Vestra per muros audiantur carmina.
Et sit in armis alterna vigilia,
Ne fraus hostilis haec invadat moenia.
Resultet echo 'comes, eia vigila',
Per muros 'eia' dicat echo 'vigila'.

II.

Dum premeret patriam rabies miserabilis istam
Nec non et omnigenum populatio maxima rerum,
Leudoinus sancta Motinensi praesul in aula
His tumulum portis et erectis aggere vallis
Firmavit positis circum latitantibus armis,
Non contra dominos erectus corda serenos,
Sed cives proprios cupiens defendere tectos.

---

32 teothocos *in loc. ras. M* 34 *numina *M* moenia *Muratorius* 35 uitrix *M* 38 camina *corr. M* 40 ostilis *corr. M* 41 *et* 42 echo] haecco *M: sane lepidius in rhythmo de Lantfrido et Cobbone (Denkmaeler deutscher Poesie u. Prosa edd. Muellenhoff Scherer Steinmeyer II* 125) *sequitur imago, antecedit ipsa vox, ita*

canticum cordarum dixit 'Cobo. fidem teneas'
atque repetebat echo 'Cobo, fidem teneas'

— nam echo *ex certissima Steinmeyeri coniectura ibi suppletur —; item in celeumate antiquo (ed. Riese Anthol. lat.* 388[a]) *aut in eo, quod Columbanus ex antiquo expressit (ed. Duemmler N. A. VI* 191) *quodque poetae Mutinensi exemplo fuisse recte observavit Peiper (Rheinisches Museum a.* 1877 *vol.* 32 *pag.* 523), *facete dicitur*

'heia viri' nostrum reboans echo sonet 'heia';

tamen quominus priore haecco *mutato sic scribamus*

resultet haec cum comes 'eia vigila',

et resultandi significatio obstat et lex per totum rhythmum observata, ne qua vox monosyllaba ante caesuram ponatur echo comes 'eia vigila' *G. Meyer*

[II. III.] *M fol.* 155: *scriptura eadem, qua ad* I 30 *nota verbaque in margine posita* 4 uallis] uel fossis *superscripsit M* 6 erectus] inflatus uel tumefactus *superscr. M* 7 ciues] *superscr.* uel famulos *M*

[II.] 1 *Contra Hungaros urbem a Leudoino esse munitam vide ne errans poeta scripserit aliquanto post eius obitum.*

III.

I.

⁂ Confessor Christi, pie dei famule,
Geminiane, exorando supplica,
Ut hoc flagellum, quod meremur miseri,
Caelorum regis evadamus gratia.
Nam doctus eras Attilae temporibus
Portas pandendo liberare subditos.
Nunc te rogamus licet servi pessimi,
Ab Ungerorum nos defendas iaculis.
Patroni summi, exorate iugiter
Servis pro vestris implorantes dominum.

II.

ET HOC MELIVS.

⁂ Confessor Christi, pie dei famule,
Geminiane, supplicando optine,
Ut haec flagella, quae meremur, sedula
Regis caelorum evadamus gratia.
Nam doctus eras Attilae sup tempore
Portas pandendo subditos ....
Nunc te rogamus, ut eadem specie
Ab Ungerorum nos defendas ...
Patroni cuncti, de caelesti patria
A Christo nobis petite solatia.
Ab ipso nobis .....

[III.] [I.] 4 Celorum *et saepius* e *pro* ae *M* [II.] 6. 7 *verbis ad concentum efficiendum idoneis non inventis extremos versus vacuos reliquit M* 11 *versum non finivit M*

[III.] *Cf. supra pag.* 702 *et* 704. [I.] 5 *Cf. Vita Geminiani* 3 *(A. SS. Ian. III* 715 *Brux.* 1863*).*

GODESCALCI CARMINA.

1. Godescalci vita etsi a plurimis atque optimis scriptoribus[1] *subtiliter est exposita, tamen mihi hoc loco retractanda est, qui ab eorum iudicio non nihil discedam. Sed ne longius necessario evager neque minutias arroganter producam, singulas res componam non continua narratione, sed summatim ut in indice. Verbis utar, quoad fieri poterit, auctorum.*

822—829 *(1) Godescalcus, filius Berni, comitis Saxonis, monasterio Fuldensi herede instituto, in ipsa pueritia deo offertur; Hrabanus Maurus, abbas Fuldensis, cum invitum attondet et vitae monasticae violenter mancipat*[2].

---

1) *Scripserunt de eo inde ab Usserio (Gotteschalci et praedestinatianae controversiae historia, Dublinii 1631) Gilberto Mauguin (Vindiciae praedestinationis et gratiae, Lutetiae 1650) Cellotio (Historia Gotteschalci praedestinatiani, Parisiis 1655) permulti; honoris causa sunt nominandi: Maurini (Histoire littéraire de la France V 352) Duemmler (Geschichte des ostfr. Reiches*[2] *I) F. Monnier (De Gothescalci et Ioh. Scotti controversia, Parisiis 1853) C. v. Noorden (Hinkmar, Bonnae 1863) Friedrich (in Allgemeine deutsche Biographie IX 493) H. Schroers (Hinkmar, Friburgi Brisgoiae 1884). Mihi ipsi paulo copiosius erat disserendum, cum inveterati errores corrigebantur.* 2) *Hatto ad Otgarium (cf. n. 6); Hrabanus de oblatione puerorum (Migne 107, 419—440) Mabillone interprete (Annal. XXX 30); Hincmarus de una deitate (Migne 125, 578); nomina fratrum Fuldensium in libro confraternitatum Augiensium (ed. Piper II 150, 24, ubi* Gotescalc *inter monachos post Eigilum abbatem receptos legitur). Simul cum puero etiam eius hereditatis portionem monasterio esse oblatam per se patet (cf. J. N. Seidl Die Gottverlobung, Monachii 1872, et E. Loening Geschichte des deutschen Kirchenrechts II 398) et Hatto testatur. Confestimne attonsus sit an, ut Heiricus (cf. supra pag. 421), aliquot annis post oblationem, ignoramus. Mores eius atque indoles inimicissime ab Hincmaro describuntur: eo teste erat* habitu monachus, mente ferinus, quietis impatiens et (vocum novitate delectans ac *SS. XIII 500*) inter suos mobilitate noxia singularis *(Migne 125, 84 et SS. XIII 500);* corpus lavare noluit *(cf. infra ad n. 23)* . . antea enim, sicut illi testantur, inter quos conversatus erat, turpissimus *(Migne 126, 70);* nova et antea inaudita canaeque orthodoxorum intelligentiae contraria adinvenire ac proferre ab ineunte aetate suae vitiosae indolis delectabiliter studuit et in eodem studio permansit *(Migne 125, 475);* ab ineunte aetate semper vocum novitates exquisivit et adhuc semper inquirit, quatenus talia dicens, quae nemo alius *(scripsi,* aliud *Sirmondus)* dicit, innotesci, et si *(sic recte Sirmondus)* non de bonis, vel de pessimis possit *(Migne 125, 587):* ut arrepticius, cum quid rationabiliter responderet non habuit, in contumelias singulorum prorupit *(Migne 121, 1027);* quae Gothescalcus, alter videlicet pro modulo suo Simon magus, in scriptis suis frequenter posuit, spiritu furioso exagitatus, exaltato corde et elatis oculis *(Migne 125, 495);* deliramenta maniatici *(Migne 125, 613);* talia dicit et facit, in quibus evidenter cognoscitur aut daemoniacus esse aut maniaticus: et scitis, quoniam mania esse non solet absque daemone *(Migne*

(2) Godescalcus legere et canere discit[1].

(3) Walahfridus Strabo Hrabani disciplinam Fuldae profitens amicitiam cum Godescalco iungit ab eoque Honoratus appellatus ei ipse cognomen indit Fulgentio[2].

ab? ad 836 *(4) Lupus, monachus Ferrariensis, Fuldam missus sub Hrabano magistro litteris studet*[3].

829 Iun. *(5) Godescalcus iam adulescens, propinquis et Hattone, monacho Fuldensi, assistentibus, in synodo Moguntina sua causa convocata Hrabanum abbatem interpellat, asserens se invitum et ab eo coactum votum monasticum fecisse. Quod cum probasset, causa secundum divina et humana iura diligenter discussa, auctoritate canonica absolvendus esse invenitur atque Otgarii, archiepiscopi Moguntini, et ceterorum, qui adsunt, episcoporum iudicio paternae libertati resti-*

126, 70); sectatori suo iuvenculo, quales solebat diligere, scripsit *(Migne 125, 613);* Gothescalcus hoc de scripturis facere consuevit, illas scilicet detruncare et ad suum sensum violenter inflectere *(Migne 126, 441);* non solum scripturas ad suum sensum violenter inflexas, sed et catholicorum dicta detruncata per totum diem sine respiratione aliqua praevalet memoriter decantare. unde non solum idiotas in admirationem sui ducere, verum et sciolos et incautos . . in sententiam suam solitus erat traducere . et non solum doctorum suorum doctor videri appetit, sed et hoc sollerter satis intendit, ut secum loquentes vel in sermone capere valeat et, si de veritate non poterit, invincibiliter sacramentis affirmare curabit, ea secum loquentes dixisse, quae forte non dixerant, ut ipse verax et illi, qui ei contradicunt, probentur esse mendaces et adversus suam doctrinam docentes *(SS. XIII 501);* opuscula, quae dixistis, quod memoratus Gotescalcus ea corrumperet ac vitiaret, vobis, prout a me dictata sunt, ad legendum transmisi *(Migne 112, 1519, cf. adn. ad n. 23 de libro quodam, quem Godescalcus interpolasse dicitur). Contra amice loquitur Walahfridus (cf. ad n. 18), sed parum proprie de eius vita et moribus. Qui quod dicit v. 20* cum vita tibi potior sit lege Lygurgi, *non intellego, quid sibi velit.*

1) *Hincmarus (Migne 125, 578).* 2) *Walahfridus Strabo in carmine XVIII (ed. Duemmler Poet. aevi Carol. II 262) sic inscripto:* Gotesscalcho, qui et Fulgentius, *v. 11* (Calliope) dic: 'semper ave valeque multum: cui quondam dederas honore nomen ductum, dirigit hic tibi salutem'; *v. 19—26, ubi sic interpungas:* est aliud maiore mihi maerore gemendum, quod, cum vita tibi potior sit lege Lygurgi. solus in accepto recubes non prodigus auro commissumque premant sudaria nexa talentum *(ev. Luc. 19, 20).* atqui in pauperie, passa est quam nostra iuventus, non talem te, care, habui, minus atque benignum expertus non sum, fuerat quam cura parentum. cur modo *cet. Walahfridi cognomen cum e Servio Honorato tractum esse videatur, Godescalcum quoque appellatum esse credo e Fulgentio Planciade, Vergilii interprete, non ex episcopo Ruspensi, Augustini discipulo; atque veri multo similius est utrumque tum Vergilium lectitasse quam meditatum esse de doctrina praedestinatiana eum iam puerum.* 3) *Quando Lupus Ferrariis Fuldam missus sit, incertum est; nam in prima quidem ad Einhardum epistula narrat se eo* delegatum esse ab Aldrico sancto metropolitano episcopo — *sedit autem Aldricus ab a. 829 ad a. 836 —, sed scribit ea verba anno demum 836, ut episcopi titulum apte apposuerit, etiamsi Aldrici tempus etiam tum abbatis recolat. Potest igitur Lupus Godescalcum Fuldae de facie cognovisse. In eodem monasterio dum commoratur, iussu Eberhardi, comitis Foroiuliensis, leges barbarorum descripsit et picturis et versibus ornavit (cf. Rheinisches Museum 47, 558) idque intra a. 829 et 832; cum Gerolfo, monacho Fuldensi (exstat nomen in libro confraternitatum apud Piper II 146, 32), Hrabani enarrationes in librum Numerorum* contulit et, in quantum angustia temporis permisit, pro captu intellegentiae correxit *(cf. Rheinisches Museum l. c.); Hrabano suasit, ut epistulas Paulinas enarraret (cf. Sprotte, Biographie des Abtes Servatus Lupus, Ratisbonae 1880 pag. 15 et 24); a. 836 cum Einhardo per litteras collocutus (ep. 1—5 ed. Baluz.) eum visitavit in monasterio Seligenstadt; denique a Buno, abbate Hersfeldensi, rogatus intra Sept. 835 et Iun. 836 vitam S. Wigberti composuit; Iun. 836 (Sprotte l. c. pag. 26) Ferrarias reversurus Fulda profectus est.*

tuitur, ea tamen ratione, ut, si abbas ab eo et propinquis iuramentum vel exegerit vel non exactum receperit, quo promittant se hereditatem a Berni in monasterium Fuldense collatam amplius non esse petituros, ei iniuriam, quam libertate crepta perpessus sit, secundum legem componat, si minus (ut adversarii hereditatis petendae potestatem retineant), Godescalcus compositionem iniuriae ne quaerat, sed tantum legitima fruatur libertate. Contra quam sententiam Hrabanus ad synodum appellat, in qua praesto sit imperator. Godescalcus monasterio egreditur[1].

(6) Hatto ad Otgarium scribit: Hrabanum contra iudicium Moguntinum non iure esse protestatum; neque quemquam debere invitum monachum fieri ideoque se audacter pronuntiare: Godescalcum, quoniam probasset se ab Hrabano coactum suscepisse cucullam, a vinculo monastico esse immunem; petere se ab Otgario, ut Godescalco esset adiumento, quo hereditatem sibi negatam reciperet[2].

(7) Hrabanus se defensurus Otgario scribit: de causa Saxonis fugitivi monachi haec se habere, quae diceret; protestatum se esse iure, cum liceret abbatibus ab episcopo ad principem et concilium provocare, atque cum illius licentia; hereditatem se nequire exhibere; sunt, ut nostis, possessiones Fuldensis monasterii et ecclesiae ad eam pertinentes proprietas dominicalis, quae domino imperatori ex paterna successione hereditario iure provenit, ideo timemus inde aliquid perdere: *idem consuluisse se Hildvinum archicapellanum*[3].

(8) Godescalcus Veterem Corbeiam se confert, quo in monasterio familiaritatem init cum Rathramno et Gislemaro, ibi monachis. Visitat Lupum, episcopum Catalaunensem[4].

---

1) *Hincmarus l. c.; Hatto ad Otgarium (infra n. 6); Hrabanus ad Otgarium (infra n. 7). Secundum quae humana et divina iura Godescalci causa sit discussa et qua tandem absolutus sit auctoritate canonica, haud facile est iudicatu. Eum Hrabano obiecisse, quod oblationis testes Franci fuissent, non, ut oportuisset, Saxones, ex Hrabani libro de oblatione acute collegit Mabilio; id tamen multo maioris momenti videtur fuisse, quod invitus factus esset monachus. In simili causa Lamberti, filii comitis Attonis, similiter postea cavit Nicolaus I (a. 858—867, apud Iaffé n. 2835, cf. Martenius ad Regulae Benedicti c. 59), ne contra regulam oblatus (quod quidem in Godescalcum non cadit) neque sua sponte cuculla indutus fieri deberet monachus nere paterna hereditate privaretur; iam vero a. 811 Karolus Magnus ex episcopis et abbatibus quaesivit,* in quo canonum vel in cuius sancti patris regula constitutum esset, ut invitus quislibet aut clericus aut monachus fieret *(Capitular. ed. Boretius I 163 n. 10). Iuramentum illud inter adversarios qua de re fuerit dandum, cum apud Centuriatores (cf. adn. 3) non inveniatur, controversiam hereditariam nescio an recte huc rettulerim, quae quin inter Hrabanum et Godescalcum habita sit, omnino non potest dubitari.* 2) *Hatto, Hrabani amicus (cf. I. von Schlosser in Wiener Jahrbuch d. Kunstsammlungen d. Kaiserhauses XIII 24), non perspicitur, quam ob causam a Godescalco steterit. Cf. infra n. 18.* 3) *Quae Hattonis et Hrabani epistulas continebat sylloge Fuldensis, a Matthia Illyrico eiusque sodalibus in nona et decima centuria a. 1565 et 1567 excerpta, hodie perdita, eius fragmenta ex Centuriatoribus collegit Ernestus Duemmler in Forschungen z. Deutschen Geschichte V 369—395 (cf. ib. XXIV 420), ubi, quae Hatto et Hrabanus de Godescalco ad Otgarium scripserunt, coniuncta leguntur sub n. XXVII (pag. 387, 388). Huc ego ea arcessiri, quae Duemmlerus sub n. X (p. 377) et XXI (p. 385) posuerat; sed ultimos duos in X locos excepi, qui ad n. VIII (p. 376) fuissent referendi. Fugitivum Hrabanus Godescalcum appellat, non quo is ante synodi conventum fugisset, sed quia monasterium reliquit synodo decernente, abbate repugnante.* 4) *Imperator quid Hrabano responderit, Godescalci causam num qua synodus iterum tractaverit, quid denique factum sit, ut is amplius se profiteretur monachum, omni memoria interrupta non compertum habemus. Quam lacunam quicquid aliquatenus explere potest, eo diligentius est congerendum. Tangit rem Walahfridus carminis principio:* velox Calliope, viam frequenta, qua Fulgentius invenitur: illum post cunabula *(i. pueritiam Fuldensem)* longius meantem quaesisti dubiam secuta famam; *sed nimis leviter tangit. Hincmarus quod scribit (Migne 125, 578)* Godescalcum secundum regulam

(9) Godescalcus aut ultro aut victus necessitate monasterium Orbacense petit, quod est in dioecesi Suessionica in provincia Remensi, et ibi per annos complures vitam degit monasticam[1].

(10) Godescalcus litteras amplexus ac summo studio in Augustini lectione versatus novas doctrinas concipit et discipulis tradit. Versus facere docetur a poeta quodam Remensi, cuius disciplina per unum annum utitur. Scribit carmen I, II, III[2].

---

oblatum et tonsum extitisse. *potest significare ab altera synodo agnitam esse oblationem. Hrabani verba de* Rothado episcopo Suessionicae urbis ipsius familiari, *quae in sylloge Fuldensi legebantur (apud Centuriatores IX 550, apud Duemmlerum pag. 384 n. XX), si primum Rothadum interpretatus recte huc traherem, haud scio an statuendum esset Godescalcum ab ipso initio in monasterium Orbacense transisse, cuius eum monachum fuisse testantur, qui postea scribunt, Hincmarus et Prudentius (cf. ad n. 9). Ita tamen cum non intellegatur, Rathramnum, Corbeiensem monachum, quo modo patrem et magistrum appellare potuerit (c. VII v. 8 et saepius), ad Gislemarum et ipsum monachum Corbeiensem cur potissimum de doctrina sua scripserit (cf. n. 24), quam denique ob causam Radbertus Paschasius, Corbeiensis abbas, synodo Carisiacensi interesse sit iussus (cf. n. 22) — Baro enim, abbas Orbacensis, et Haldvinus, abbas Altivillarensis, qui inter praesentes ab Hincmaro post Radbertum nominantur, per se patet, cur cum episcopis Remensibus de Godescalco deliberent (cf. n. 9 et 23) — haec igitur cum aliter non intellegantur, eo adducimur, ut putemus Godescalcum Corbeiae fuisse, antequam Orbacum se conferret. De Rathramno (ita nomen in optimis libris scribitur et ad originationem scribendum est) quicquid scimus, rebus Godescalcianis inserimus, cum vita eius diligentem scriptorem nondum invenerit. Gislemarus is est, qui anno 830 e Corbeiensi monasterio, inter cuius monachos nomen eius inscriptum est in libro confraternitatum apud Piper II 454, 10 (cf. supra pag. 38 adn. 3), ad Herioldum, Danorum regem, in Anskarii vicem missus est,* vir *ut ait Rimbertus Vitae Anskarii cap. 10* fide et operibus bonis probatus atque in zelo dei ferventissimus. — *De Godescalci cum Lupo, episcopo Catalaunensi, consuetudine vide epistulam infra ante carmina editam.*

1) *Hincmarus (Migne 125, 59. 84; SS. XIII 500. 517); Prudentius ad a. 849, qui tamen locus, quicquid obloquuntur, aperte interpolatus est.* 2) *Hincmarus de deitate (Migne 125, 613):* Godescalcus solet frequentissime dicere, ut saepe commemoravimus, loquens de beato Augustino, 'Augustinus noster'; *idem ad simplices Remenses (Zeitschrift f. Kirchengeschichte X 260):* Gotescalcus .., antequam ex ista parrochia contra leges ecclesiasticas excommunicatus pergeret, male vivens, habitu et sermone, ut videbatur, religioso se quasi honestum auribus et aspectibus vestris commendans, pravitatem sui cordis pallians, venena pessima auditibus simul et cordi vestris infudit; *de praedestinatione (Migne 125, 84) et ad Nicolaum (SS. XIII 500):* quatuor sibi elegit capitula .., quibus simplicium et devotorum sensus pervertere et magistri sibi nomen usurpando post se discipulos trahere illisque, qui ad sua vota auribus prurientes magistros sibi coacervare decertant, valeret indebite, quoniam legitime non poterat, vita religiosa et catholica doctrina praecesse (simulatione vitae religiosae et doctrina praecesse *ad Nicolaum*). isque quos potuit sibi complices fecit dumtaxat innotesci desiderantes, qui, quoniam rectis non poterant, dyscolis noti fierent; *de deitate (Migne 125, 485):* Gothescalcus, qui non solum religioso habitu monachi, sed et falsi nominis scientia aliquamdiu se contegens plures decepit; *cf. ad n. 1, 15, 20. Godescalcus ad Rathramnum, infra c. VII, v. 86:* torpeo pectore bruto inscitiae plenus multoque errore volutus, sermone incultus, metri quoque iure solutus. quamlibet hoc modico usus sim sub tempore pauco, namque magisterio vix uno subditus anno; nec didici deinceps. *Ubi* metri *scripsi pro eo, quod ferebatur,* ueteri; *nam* vetus ius, *quod ipsum per se de libertate recuperata non male diceretur, ab huius loci sententia non admittitur;* metri iure *utitur Hrabanus de Strabone (ed. Duemmler, Poet. aev. Carol. II pag. 239 c. LXXXVIII 7):* docuit multos metrorum iure peritus, dictavit versus, prosa facundus erat. *Poetam quendam Remensem cur Godescalci magistrum fuisse ponam, latius mihi explicandum est. Concinentium inter se syllabarum extremarum hic adeo est amans, ut apud eum non solum clausulae versuum cum clausulis consonent et cum clausulis syllabae ante caesuras positae idque in binis versibus tam rhythmicis quam metricis, verum etiam per totum carmen aut saltem per unum systema aut in hexametris et*

835—840 *(11) Rigboldus, Remorum chorepiscopus, Suessionensi episcopo insciente, Godescalcum presbyterum ordinat*[1].

ante 840 *(12) Godescalcus comitantibus aliquot discipulis e monasterio Orbacensi irregulariter exiens Romam tendit ad limina apostolorum*[2].

(13) Godescalcus in Italia superiore geminam praedestinationem dei et alia quaedam tum nova praedicat[3].

840 *(14) Hrabanus Maurus contra doctrinam Godescalcianam scribit ad Notingum, Veronae episcopum electum*[4].

---

anacreontiis per plures versus unus idemque sonitus omnes versus extremos vel etiam medios quasi vinculo quodam firmiter colliget. Nec tantum singulae syllabae inter se consonant (vel potius assonant, cum aures tum hominum fuerint hebetiores), sed in clausulis plerumque binae. Caesura hexametrorum est semiquinaria; elisio tamen in medio hexametro, ubi syllaba eam caesuram antecedens clausulae debet respondere, non vitatur, quod a severis legibus abhorret, quibus Leonini, quos vocant, versus postea adstringebantur; in easdem leges semel peccatur concentu extra caesuram collocato, v. 70 tam praefulgida et tam suavia tamque decora *(qui tamen locus male scriptus videtur). Ex hac arte si carmina a Godescalci aequalibus facta spectantur, cum eo possunt comparari pauca. Quae autem similia sunt: hexametri in euangeliario Ebonis, episcopi Remensis (quod euangeliarium a Petro, abbate Altivillarensi, Ebonis discipulo, et quodam Petri discipulo scriptum et pictum est intra a. 830 et 833, vocatur enim Ebo* praecelsi regis amicus *i. Lotharii; versus edidit Duemmler Poet. aevi Carol. I 623, descripserunt codicem A. Goldschmidt in Repertorium f. Kunstwissenschaft XV 156 et P. Durrieu in Mélanges Julien Haret pag. 639), hexametri a Gibboino, ex comite monacho Remensi, Gregorii Moralibus inscripti (quos versus Mabilio ad a. 845 rettulit in Annal. XXXIII 21, repetivit Duemmler l. c. II 678 ad Mabilionis editionem, non ad codicem, quem tamen in bibliotheca Remensi adhuc exstare puto, cf. Haenel Catalog. pag. 396 n. 295—309), epitaphium Attoli distichis constans (quod ad lapidem ecclesiae S. Iuliani Remensis olim descripsit Flodoardus I 23, SS. XIII 442), disticha Engelmodi, postea episcopi Suessionensis (scripta sunt circa medium saeculum nonum, edidi supra pag. 55—61), ea omnia in provincia Remensi nata sunt atque idem exemplum secuntur, artem dico Scotticam (cf. Guilelmus Meyer Spirensis ad ludum de Antichristo pag. 66—69, item Scotticum videtur esse carmen de dei nominibus cum Godescalci rhythmis quam maxime comparabile, quod quamquam in codicibus admodum recentibus invenitur, qualibus usi Pitra in Spicilegio Solesmensi III 449 et Dreves in Analectis hymnicis XV 12 edidere, vel aetate Karolina vetustius esse potest). Atqui tum in monasterio S. Remigii Dunchad, pontifex Hibernensis, litteras docebat (cf. N. A. XVIII 104); per eum igitur eiusve sodales ut ceteri poetae Remenses ita Godescalcus Scottorum praecepta videtur accepisse.*

1) *Hincmarus (Migne 125, 85 et SS. XIII 500); acta Moguntina (n. 19) et Carisiacensia (n. 22); de Rigboldo cf. Schroers pag. 36 adn. 42. Ordinatur Godescalcus Ebone iam deposito, Hincmaro nondum archiepiscopo, itinere Italico nondum suscepto, quo quidem ordine res ab Hincmaro plus semel narrantur.* 2) *Hincmarus locis citatis; acta eadem; Prudentius ad a. 849; Walahfridus v. 6* interdum vaga (fama) perstrepebat illum Romana positum ferens in urbe devoto extera cogitare corde gratis exiliis adire rura; *Godescalcus ad Rathramnum v. 87* namque magisterio vix uno subditus anno; nec didici deinceps dubiis ambagibus anceps, stultorum princeps, abrupta per omnia praeceps; nemo fuit mihi dux. *Godescalcum in Italiam profectum esse bis, sc. ante ordinationem et post eam, nec traditum est nec recte conicitur. Discipulos cum eo fuisse e carmine VI et n. 19 atque 20 colligimus.* 3) *Hrabanus ad Notingum (Migne 112, 1530). De doctrina Godescalciana cf. Weizsaecker (Liebners Jahrbücher für deutsche Theologie IV 1859 pag. 527) Wiggers (Zeitschrift für die historische Theologie XXIX 1859 pag. 471) Sprotte (Biographie des Abtes Servatus Lupus pag. 80—94) Freystedt (Hilgenfelds Zeitschrift f. wissenschaftliche Theologie XXXVI 1 1893 pag. 315).* 4) *Eius epistulae tempus certa ratione definitur ab Ernesto Duemmler, pag. 332 adn. 2. In qua epistula Godescalci mentio quamquam non fit nominatim, eum tamen significari docet et Hrabanus ad Hincmarum scribens (Migne 112, 1519* in opusculis meis, quae ad Notingum et Eberhardum contra Gotescalci errorem confeci*) et ipse Godescalcus easdem Hrabani litteras postea refutando.*

(15) Godescalcus Eberhardi comitis hospitio utitur in marca Foroiuliensi; per plus duos annos in quadam insula se continet; scribit carmen IV, V, VI[1].

846 *(16) Hrabanus ad Eberhardum scribit: quendam sciolum nomine Godescalcum apud illum manere, qui duplici praedestinatione praedicata iam multos in desperationem sui perduxisset; ille in sua mansione ne quid haberet, quod Christi euangelio adversaretur*[2].

(17) Godescalcus ex Italia turpiter eiectus in Dalmatiam, Pannoniam, Noreiam pergit, doctrinam praedestinatianam ubique dictis et scriptis adstruens[3].

848 *(18) Godescalcus, iterum in Germania ac fortasse in ipso monasterio Fuldensi, ad Walahfridum, interim abbatem Augiae factum sed tum forte absentem, carmen de rebus suis mittit, in quo, quod amici hospitio uti nequiret, ait sese graviter ferre, illum tamen ipsius sermone ac consuetudine facile posse carere, cum non esset, quod mutuum acciperet dives a paupere*[4].

848 Oct. *(19) Godescalcus Moguntiae in concilio episcopali, Ludowico Germanorum rege praesente, duo scripta Hrabano, iam archiepiscopo Moguntino, porrigit, chartulam professionis fidei et librum, quo refutaret errores ab eo in epistula ad Notingum prolatos de praedestinatione, libero arbitrio, voluntate dei, morte Christi; ab episcopis interrogatus atque haereseos convictus, neque tamen a sua opinione avulsus, una cum comitibus coram omni populo contumelia verberum affectus, postquam iuramento confirmavit se in regnum Ludowici nunquam esse rediturum, ad Hincmarum, archiepiscopum Remensem, remittitur cum hac Hrabani*

1) *Hrabanus ad Eberhardum (Migne 112, 1554 et 1562): Godescalci carmen VI. De Eberhardo cf. Duemmler in Jahrbuch f. vaterländische Geschichte, Vindobonae 1860 pag. 170; eum Godescalcus eodem quo Lupus modo videtur cognovisse. In insula haud scio an fuerit Grado. Carmen quintum cum sexto composui propter codicem Augustodunensem, in quo utrumque aperte per Italos traditum exstat; de quarto vide in eius adnotatione.* 2) *Anno 846 Hrabanum ad Eberhardum scripsisse Schroersius demonstravit, pag. 100.* 3) *Prudentius ad a. 849; Hincmarus (Migne 125, 84 et SS. XIII 500):* G. peragratis regionibus plurimis et exitiosa semina seminans tandem in Mogontina civitate . .; *idem apud Ebonem (Migne 121, 987):* Godescalcum ultro sibi praedicatoris nomen assumpsisse atque ad barbaras et paganas gentes velut euangelizaturum perrexisse. 4) *Walahfridus v. 9:* Calliope, viam frequenta, qua Fulgentius invenitur: illum post cunabula *(Fuldensia)* longius meantem quaesisti . . . tandem quaere suo loco reductum *(hinc confirmaverim Godescalcum ante synodum Moguntinam Fuldae fuisse cum Hattone, quondam monacho sibi familiari, ab anno 842 abbate Fuldensi); idem Walahfridus v. 12 seq., ubi distinguendum est ita:* dum tua scripta sonant 'bene me te posse carere ad faciem quantum', cum sit mihi testis in imo pectore spes ardens a te me plurima velle lucrari lucisque tuae consortia ferre. te quoque sit certum *cet. Paulo ante natale domini esse Godescalci litteras in aulam palatinam ad Walahfridum allatas e versibus apparet primis:* dulcia cum nostros sancti natalis amores iam propius tractis complerent gaudia votis, addita sunt festi *(scripsi,* fasti *codd.)* fulgentia *(cognomen Godescalci significari perspexit Cellotius, qui idem* fastis Fulgenti *proposuit male)* dona secundi, quod *(sc. alterum festum)* ingessit epistula nobis. *Quod quo anno in cuius regis aula sit factum, restat, ut accuratius indagetur. Walahfridum igitur, quem in Franciam* pro responso quodam Ludowici regis ad Karolum pergentem *a. 849 Aug., cum Ligerim transiret, mortuum esse constat (cf. Duemmler pag. 347 adn. 1), puto eo e Germania profectum esse, postquam Lotharius et Karolus ad Confluentes convenissent Febr. 848 (cf. Muehlbacher 1098a), accepisse Godescalci epistulam Compendii vel Carisiaci Dec. 848, paulo post rescripsisse nondum cognito eum Moguntiae esse damnatum, sed periculo iam imminente (cf. v. 43* ergo, pater fraterque, meae pars unica mentis, noluerim mea dicta putes lacerare volentis, sed tua nolentis reticere pericula, si quid mens mea scit poteritque fidem servare fideli, *v. 50* rescribe per istum . . fidum sequestrum proque rogante ora, ne turbine raptus iniquo non meminisse tui queat), *a. 849 una cum rege sibi amicissimo Pictavos et Bituriges adisse, inde domum reversurum morte esse interceptum.*

epistula: notum sit dilectioni vestrae, quod quidam gyrovagus monachus nomine Gothescalc, qui se asserit sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones et noxiam doctrinam de praedestinatione dei introducens et populos in errorem mittens ... hanc ergo opinionem nuper in synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes et incorrigibilem eum reperientes, annuente atque iubente piissimo rege nostro Ludowico, decrevimus eum cum perniciosa doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in vestra parochia, unde primum inordinate recessit, et non sinatis eum amplius errorem docere et seducere populum Christianum ... vos etiam valebitis de ore eius, quod sentit, plenius audire et, quid inde agendum sit, iuste decernere [1].

(20) Godescalcus cum iis, qui eius complices videntur, in monasterium Orbacense reducitur [2].

(21) Hincmarus Rothado, episcopo Suessionensi, de Godescalco ad iudicium adducendo scribit [3].

849 *(22) In conventu episcoporum provinciae Remensis a Karolo Calvo convocato et apud Carisiacum habito, abbatibus Corbeiensi, Orbacensi, Altivillarensi et multis clericis et monachis Remensibus atque etiam archiepiscopo Senonensi praesentibus, Godescalcus ab Hincmaro, qui tum eum de facie cognoscit, et aliis episcopis auditus, postquam sententiam suam proposuit, propositam nullatenus mutavit, adversarios contumeliose redarguit, haereticus et incorrigibilis invenitur, honore presbyterali spoliatur, tamdiu flagris dilaceratur, donec accenso coram se igni libellum, in quo sententias scripturarum et sanctorum patrum sibi collegerat, quas concilio offerret, iam paene emoriens suis manibus in flammam proiecit. Sententia ab episcopis pronunciatur haec:* frater Gotescalc, sacrosanctum sacerdotalis mysterii officium, quod inregulariter usurpasti et in cunctis moribus ac pravis actibus atque perversis doctrinis eo hactenus abuti non pertimuisti, iudicio spiritus sancti, cuius gratiae munus est sacerdotale officium, per virtutem sanguinis domini nostri Iesu Christi noveris tibi esse, si quoquo modo suscepisti, sublatum et, ne ulterius eo fungi praesumas, perpetuo interdictum; insuper, quia et ecclesiastica et civilia negotia contra propositum et nomen monachi conturbare contemnens iura ecclesiastica praesumpsisti, durissimis verberibus te castigari et secundum ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi auctoritate episcopali decernimus et, ut de cetero doctrinale tibi officium usurpare non praesumas, perpetuum silentium ori tuo virtute aeterni verbi imponimus. *Postremo abducitur in monasterium Altivillarense, quod est in ipsius Hincmari dioecesi, quoniam Rothadus ipse novitatis amans ei amplius resistere posse non videtur* [4].

---

1) *Annales Bertiniani ad a. 849; Hersfeldenses ad 848; Xantenses ad 848; Fuldensium Vindobonensis et Altahensis codices, Herimannus compilator; Hincmarus (Migne 125, 84, Zeitschrift f. Kirchengeschichte X 262, SS. XIII 500); Amolo (Migne 116, 86). Quae Godescalcus Hincmaro tradidit scripta, eorum fragmenta ex Hincmari de praedestinatione libro collegit Mauguin, repetivit Migne 121, 365. Gyrovagus ab Hrabano appellatur e Regula Benedicti (ed. Woelfflin pag. 8, 21, cf. Kleinert Zur christlichen Kultusgeschichte, Berolini 1889, pag. 280).* 2) *Hincmarus (SS. XIII 500, 514, 517).* 3) *Hincmarus apud Flodoardum, SS. XIII 517.* 4) *Hincmarus (Migne 125, 59; 85; 505; 506; SS. XIII 500; 514; Migne 121, 1027; Zeitschrift f. Kirchengeschichte X 308; codex Remensis saec. X nunc Berolini inter Phillipicos 89, cf. Rose Die lat. Meerman-Handschriften pag. 186); Prudentius ad a. 849; testes oculati apud Ebonem (Migne 121, 1030); cf. Schroers pag. 490. Sententia synodi Carisiacensis adversus*

ab 849 ad c. 870 *(23) Godescalcus in monasterio Altivillarensi severissime custoditur*[1].

849 *(24) Godescalcus mittit ad Gislemarum, monachum Corbeiensem, librum de doctrina praedestinatiana ab se conscriptum*[2].

(25) Godescalcus a Lupo, Ferrariarum abbate interim facto, per litteras

---

Godescalcum (cf. J. Havet, Oeuvres II 124) seorsum traditur, velut in codice Remensi et in eo, quo Nicolaus Camuzatius, canonicus Tricassinus, eam invenit, libro (cf. Mansius XIV 921 et Cellotius pag. 58), sed ex Hincmari scripto ad simplices Remenses excerpta, id quod perspici potuit, ut primum idem scriptum a Guilelmo Gundlach ad codicem Leidensem editum est (Zeitschrift f. Kirchengeschichte X pag. 258—309). Godescalci confessionem breviorem nihil aliud esse nisi libelli in conventu cremati exemplum facile assentior Cellotio (pag. 68, cf. apud nos infra pag. 716 ad n. 27).

1) *Hincmarus de una trinitate (Migne 125, 495); ecclesia Lugdunensis adversus Iohannem Scottum (Migne 119, 127); Ebo de tribus epistulis (Migne 121, 1030); Hincmarus ad Egilonem (Migne 126, 70):* si aliquis vos interrogaverit de ipsius custodia, talem esse veraciter illi respondere potestis. quicquid fratres in cibo et potu habent, hoc ei quotidie sine ulla negligentia ministratur. vestimenta illi ad sufficientiam offeruntur, si vult ille accipere. ligna ad focum faciendum illi sufficienter dantur. in mansione, in qua degit, caminatum habet et necessarium. lavacra illi non denegantur. sed postquam in eandem mansionem intravit, non solum corpus lavare noluit, verum nec manus nec faciem. antea enim, sicut illi testantur, inter quos conversatus erat, turpissimus et adhuc quantum potest in sua turpitudine manet; *Hincmarus de una trinitate (Migne 125, 613):* scripsit *(Godescalcus)*, . . quia nollet vestimenta de vestiario fratrum communicantium mihi accipere, nisi pretio compararet — qui pretium non habebat —, sed sic vellet ire, sicut Adam ibat antequam peccaret. mox autem ut frigus eum coepit constringere, cum vestimentis etiam pelliciam et focum studuit quaerere; *idem in eodem libro (Migne pag. 615):* a fratribus nostris *(Altivillarenses sunt, ut Altumvillare* nostra cella *appellatur)*, quibus de eo sollicitudinem delegavi. *Godescalcus ad Rathramnum (c. VII, 76):* vix vacat hora, residat qua mea rusticitas, ut saltim hinc fingere ternas litterulas liceat, quoniam imperium patris instat ad patrandum aliquid, cum hoc, tunc protinus illud; *Hincmarus de una deitate (Migne 125, 512):* post plura ipsius edicti *(synodi VI act. XVIII)* ita scriptum in novo codice habetur: . . 'patrum, qui cooperante trina et conglorificanda deitate sacrum fidei symbolum terminarunt'. hoc nomen . ., quod hic est impositum, 'trina' a Gothescalco, quando praefatus liber in monasterio Altivillaris, ubi ipse morabatur, ex authentico, quem mihi Petrus episcopus Aretinus commodaverat, scriptus fuit, adulteratum credimus . . . dat quoque nobis certum iudicium Gothescalcum falsasse hunc librum, quia *cetera. Videtur igitur Godescalcus, ut a studiis dogmaticis avocaretur, idoneus esse iudicatus, qui codices describeret pariter cum fratribus Altivillarensibus, qui in ea arte excellebant (cf. praeter Hincmari verba modo allata ea, quae de codice Ebonis dicuntur, supra pag. 711 ad n. 10). Colloqui tamen cum iis ei non licebat, cf. Hincmarus ad Egilonem (Migne 126, 68): Guntbertus, monachus Altivillarensis,* saepe pro suis negligentiis regulariter correptus fuit et, quia saepe Gothescalco furtim se coniunxerat et litteras ei dederat et ab eo acceperat, secundum regulam in gravioribus culpis missus fuit et dicitur illius perversa doctrina depravatus. *Aliam mentem ei inicere crebro conabantur, cf. Hincmarus de una deitate (Migne 125, 615):* Godescalcum per me ac per fratres meos, sed et per frequentia scripta, ut resipisceret et a suis in deum blasphemiis sensum et os suum revocaret, saepe commonui, sed apud eum nihil profeci. 2) *Hincmarus (Zeitschrift f. Kirchengeschichte X 261):* de quibus perversitatibus suis et scripta illius suscepi: unum quidem thomum a confratribus nostris oblatum, quem ad quendam Gislemarum, Corbeiae monasterii monachum, scripsit quasi sub obtentu orationis et gratiarum actione dictans, ubi pro laude maximas dixit blasphemias, quemque epistulari prosecutus apparentia *(scripsi,* pertinentias *cod.)*, quare talia dixerit, falso de scripturis conpilare curavit; *cf. ib. pag. 271. Ab hoc tomo Godescalci* pitacium ad quendam monachum, *quod Hincmarus vocat (Migne 125, 369), vel* scriptum ad quendam complicem *(Migne 125, 291, cf. 272, SS. XIII 501), non diversum puto.*

petit, ut sibi Augustini locum de deo post resurrectionem videndo interpretetur et verba aliquot Graeca exponat[1].

(26) Hincmarus ad Godescalcum scribit suam ipsius de praedestinatione sententiam definiens[2].

(27) Hincmari definitioni subscribere Godescalcus pertinacissime recusans confessionem fidei ei mittit, in qua ad iudicium dei his verbis provocat: utinam placeret tibi, omnipotentissime pariter ac clementissime domine, ut, sicut in te credo et spero, dato mihi gratis posse, prout iam dudum dare dignatus es et dare quotidie dignaris etiam velle, coram undique electa populorum te timentium multitudine, praesente etiam istius regni principe cum pontificum et sacerdotum monachorumque seu *(Usserius,* ceu *Mauguin)* canonicorum venerabili simul agmine, concederetur mihi, si secus hanc catholicae fidei de praedestinatione tua veritatem nollent recipere, ut isto, quo dicturus sum, favente gratia tua, id approbarem cernentibus cunctis examine: ut videlicet quatuor doliis, uno post unum positis atque ferventi singillatim *(Usserius,* sigillatim *Mauguin)* repletis aqua, oleo pingui et pice et ad ultimum accenso copiosissimo igne liceret mihi

---

1) *Lupus ad Godescalcum monachum (Migne 119, 491):* ni veritus fuissem, ut, me ab observatione caritatis aversum nullius flecti posse precibus putando, eandem caritatem offenderes, etiam nunc nihil ... respondissem, duabus ex causis: altera, ne otio tuo *(sc. in custodia Altivillarensi)* materiam exercendi ingenii imminuerem; altera, ut habita consideratione illorum, quos super eadem quaestione te sollicitasse olim cognovi, mediocritatem meam non praeiudicare quorundam excellentiae aestimatione propria comprobarem. verum autem illorum colloquio et rescripto potitus quid ego hinc sentiam, desideras experiri *cet.; Hincmarus ad simplices (Zeitschrift f. Kirchengeschichte X 263):* pervenit etiam ad exiguitatem nostram, quia idem frater *(Godescalcus)* — et complices sui — de videndo deum multa et subtilia quasi rimans perscrutaretur et aliter, quam debuerit, docere praesumpserit, magis curans, qualiter debuisset deum videre quam ut mereretur illum videre, *cf. ib. pag. 295. Ad eandem, quam Godescalcus eiusque amici instituerant, quaestionem spectare videtur et Hrabani liber de videndo deo missus ad Hattonem abbatem post a. 842 (Migne 112, 1261, ubi* miror *inquit,* quod quidam ex nostris non tempus nec modum observantes de secretis dei in conviviis suis inter pocula disputant, qualiter post hanc vitam electi visuri sint dominum in regno caelesti*) et responsum viri cuiusdam ecclesiastici ad Karolum Calvum* de diversa et multiplici animae ratione, *quod primus Sirmondus ad codicem Remensem edidit (Migne 125, 930), in quo quaeritur (pag. 943)* utrum substantia divinitatis corporalibus oculis post resurrectionem corporis videatur. *Quo in responso quae* utrum anima corporea sit *et* utrum anima localiter teneatur in corpore *copiose disseruntur (pag. 932 et 933), aliquo modo cum eo libro de anima mihi videntur cohaerere, quem Rathramnus ad eundem regem misit. Is enim non solum Odoni episcopo Belloracensi de quantitate animae scripsit librum nondum editum (cf. Mabilio Annal. XXXVI 70), sed de simili materia alterum et ipsum adhuc latentem ad Karolum Calvum misit, in quo contraria eorum statuit, quae responsi scriptor anonymus. Huius subdo praefationem mihi ex codice 332 Collegii Corporis Christi Cantabrigiensis a Catharina Jex-Blake, domna doctissima, descriptam:* duo, quantum memini, proposuistis ecclesiasticorum vobis auctoritate solvenda: sitne anima circumscripta sive localis. non facilis sane quaestio et quantum perscrutanda doctis, tantum minus intelligentibus abscondenda, quoniam panis, qui provectioribus vitam ministrat, lacte nutriendos necat. igitur secundum vestrae decretum iussionis, super hac re quid sit tenendum, maiorum sententia nos instruat. sed priusquam veniamus ad causam, nominum significantiam explicem, ne aliud agentes circa aliud evagemur; non valet enim secreti mysterium penetrare, qui signorum differentiam non curat distinguere. *Pergit ibi Rathramnus ex Augustini, Claudiani, Cassiodori, ceterorum sententia docens animam nec localem esse nec corpoream; finit sic:* si quid vos minus diligenter in hoc opere a nobis positum deprehenderitis, ea, qua debetis, confidentia, precor, et arguatis et corrigatis. explicit liber Rathramni de anima.

2) *Flodoardus SS. XIII 553, 15.*

invocato gloriosissimo nomine tuo ad approbandam hanc fidem meam, immo fidem catholicam, in singula introire et ita per singula transire, donec te praeveniente, comitante ac subsequente dextramque praebente ac clementer educente, valerem sospes exire, quatenus in ecclesia tua tandem aliquando catholicae huic fidei claritas claresceret et falsitas evanesceret fidesque firmaretur et perfidia vitaretur. utinam haec, domine, legentibus et intellegentibus huiusmodi, sicut est opus, inspirare digneris affectum, ut exorent *(Mauguin,* exorem *Usserius)* te suppliciter, quo celeriter hoc animi mei desiderium meum, sicut indiget ecclesia tua, perducas ad effectum et, siquidem te suffragante de cunctis illaesus prodiero, amplexentur veritatem et execrentur falsitatem. sin autem, quod ex te, per te et in te credendo, confitendo, sperando et amando tuique tantummodo securus tuaeque solummodo gratiae certus polliceor, vel inchoare trepidavero vel consummare formidavero, in ignem me protinus mittant et ibidem merito perire permittant. suppliciter tamen te, domine, rogo in dulcissimo nomine tuo, ut nemo me catholicorum temere, quod absit, reprehendat in animo suo, quia prorsus ausum talia petendi, sicut ipse melius nosti, a me propria temeritate non praesumo, sed abs te potius tua benignitate sumo[1].

(28) Hincmarus de Godescalci erroribus ad reclusos et simplices dioeceseos Remensis scribit[2].

(29) Rathramnus chartulam de patrum dictis ab Hincmaro in epistula ad simplices male intellectis ad Godescalcum mittit[3].

(30) Godescalcus infirmus communionem petit[4].

850 *(31) Hincmarus Godescalci confessionem, Rathramni chartulam, suum ad simplices scriptum ad Hrabanum mittens petit, ut ille iterum in Godescalcum scriberet; quaerit de communione*[5].

post Mart. *(32) Hincmari litteris mense Martio redditis Hrabanus respondet: communionem Godescalco ne daret; mirari se, quod eum, qui in omnibus vituperabilis esset inventus, scribere aliquid permitteret, in quo officio eum magis nocere posse*

---

1) *Hincmarus ad simplices (Zeitschrift f. Kirchengeschichte X 262):* tertium quoque thomulum quantitate parvum, sed impietate maximum ab illo ipso mihi oblatum suscepi; *idem in libro de trinitate (Migne 125, 495) nonnulla ex confessione memoriter afferens; Hrabanus ad Hincmarum (apud Kunstmann, Hrabanus Maurus, Moguntiae 1841, pag. 215:* nugas Gotescalci*); idem ad eundem (Migne 112, 1529, cf. Schroers pag. 495); Iohannes Scottus de praedestinatione (Migne 122, 366. 367. 369). Haec est confessio prolixior, quae vocatur; quam primus edidit Usserius a Sirmondo sibi missam; Usserii editionem non nimis accurate repetivit Mauguinus, Mauguini Mignius (121, 349); codex a Sirmondo adhibitus nunc ubi sit, ignoratur. Alteram confessionem eamque breviorem, quam eandem esse atque libellum in conventu Carisiacensi crematum Cellotium secutus posui (supra pag. 714 ad n. 22), postquam Usserius pariter Sirmondi apographo usus protraxit, Mauguinus ad codicem olim Corbeiensem nunc Parisinum 12292 emendatiorem emisit, quam editionem secutus est Mignius (121, 347).* 2) *Hrabanus ad Hincmarum (apud Kunstmann pag. 215; Migne 112, 1519). Hincmari scriptum invenit atque primus edidit Guilelmus Gundlach (cf. supra pag. 714 ad n. 22).* 3) *Hrabanus ad Hincmarum (Kunstmann pag. 215):* chartula Ratramni; *idem ad eundem (Migne 112, 1522):* ille Corbeiensis monachus in epistula sua vituperavit vos *(Schroers,* nos *Sirmondus)* non recte Fulgentii sententiam exposuisse *(cf. Zeitschrift f. Kirchengeschichte X 306)* scribendo de vobis ad amicum suum ... et vos seductos esse asserit stilo cuiusdam libelli, qui fertur esse Hieronymi de indurationе cordis Pharaonis *(cf. Zeitschrift f. Kirchengeschichte 273; de eiusdem libri auctoritate inter Pardulum et Ebonem erat controversia, cf. Migne 121, 1052).* 4) *Hincmarus ad Hrabanum (Kunstmann pag. 218); idem ad Prudentium (SS. XIII 518, 10).* 5) *Flodoardus (SS. XIII 514); Hrabanus ad Hincmarum (vide n. 32).*

quam viva voce loquendo; cum infirmitas corporis et aegritudo senectutis obstaret, quominus nova ipse componeret, mittere se ea opuscula, quae ad Notingum et Eberhardum praeterito tempore contra eius errorem confecisset[1].

(33) Rathramnus ad Godescalcum versibus scribit[2].

(34) Godescalcus ad multos in Francia et Germania viros doctos confessionem suam mittit petens, ut, quid de doctrina praedestinatiana sentirent, quam primum se certiorem facerent; ad Matcaudum, Ionam, Lupum, Rathrammum, Amulonem eundem libellum mittens nova in Hrabanicos, quos vocat, argumenta addit; nemo respondet praeter Lupum, abbatem Ferrariensem, qui librum suum de tribus quaestionibus ad monachorum et clericorum captum accommodatum ac tum ipsum confectum iam ad Godescalcum mittit[3].

17. Iul. *(35) Rathramni alterum carmen ad Godescalcum affertur*[4].

---

1) *Hrabani ad Hincmarum epistulae tres (ed. Kunstmann pag. 215; Migne 112, 1518; Kunstmann pag. 219; cf. Schroers pag. 494, Schepss N. A. XI 131, Duemmler pag. 408). Hrabanus quod* proximo vere *inquit,* hoc est in Martio mense, in diebus quadragesimae, appropinquante paschali solemnitate, vester *(Hincmari)* nuntius ad me portavit vestram epistulam, *id in annum 850 magis quam 849 convenit.* 2) *Cf. infra n. 35.* 3) *Amulo ad Godescalcum (Migne 116, 84):* agnoscens, quae in scriptis tuis misisti et per quendam fratrem nostrum mihi innotescenda vehementissime flagitasti; *ib. 86* nunc accepimus et alia scripta tua non parva, quae ad episcopos vel contra episcopos, qui in concilio damnationis tuae affuerunt, scripsisse vel protulisse videris; *ib. 95* qui insaniae sensuum tuorum zelo fidei resistunt, haereticos appellare non metuis eosque a bono et erudito viro atque catholico episcopo Hrabanicos nuncupare praesumis; *Godescalcus ad Rathramnum (c. VII 107):* `sunt multi magistri hac regione siti ingenio locuplete beati, unde palatina plerique morantur in aula. ad hos atque alios per barbara regna locatos cernua his avidus porrexi scripta diebus orans magnopere, dignentur ut ocius inde respondere mihi, ceu scis, vehementer egenti. estque Augustini his sententia missa beati, quam liquido exponi auctori quadrando poposci. nempe tribus horum studui proprium indere sensum, Matcaudo, Ionae atque Lupo, rutilantibus ore, poscens obnixe, satagant ut vera referre. proposita est reliquis tantummodo quaestio cunctis. obposui sane *(sc. inter se),* obicitur quod parte ab utraque *(sc. a me et Hrabanicis);* nemo sed excepto quid adhuc mihi reddidit uno. qui cum sit cautus simul et catus, est moderatus sic iam terna sui librans responsa labelli, ut dempto neutri pleno discrimine parti congruat. unde tibi recitanda haec utraque *(i. mea scripta et illa terna responsa)* duxi, respondere alii properant dum mente sagaci, quo magis his mihi quam reputes carissime quicquam *(i. ut magis quam hi tu mihi omnia quam carissime reputes,* quicquam *est pro* quidque*),* si videas aliquid, concordans quod tibi non sit. *Lupum esse abbatem Ferrariensem certum est; terna responsa esse eiusdem librum de tribus quaestionibus, quod iam Sirmondus coniecit (Operum ed. Venet. II 945), probabile est; quis Ionas sit et Matcaudus, quaeritur. Atque illum credunt esse episcopum Aurelianensem, qui quidem iam a. 844 mortuus est, hunc Marcwardum — ita enim scribunt cum Gilberto Mauguin — abbatem Prumiensem; utrumque sine probabilitate, cum Matgaudo sit nomen optime formatum atque id potius sit confitendum nos, cui viro Godescalcus scripserit, prorsus ignorare, Ionas autem vel maiore iure putetur diaconus Ionas, Karoli Calvi notarius (cf. Mabilio de re diplomatica*[2] *pag. 528), ut qui in aula palatina sit versatus potueritque Godescalci scripta regi tradere iussus esse, aut Ionas ab a. c. 850 episcopus ecclesiae Augustodunensis (cf. Gallia christiana IV 364), qua in ecclesia Godescalci memoria durarerit, id quod videbimus, ubi de codicibus sermo erit.* 4) *Godescalcus ad Rathramnum (c. VII, Anacreontiorum v. 23 et hexametrorum v. 1—17). Qui cum dicat:* te *(Rathramnum)* psalmistae similem dixerim, qui modulando tui levigas grave pectus alumni. atque utinam prosa tam dulcia, tam speciosa, .. tam mihi vera psallere magnifici pietas voluisset amici, *non obscure significat etiam Rathramno misisse se nova illa in Hrabanicos argumenta, eius quoque responsum exspectasse se frustra, expositionem ab eo de quaestione praedestinatiana soluto sermone conscriptam praelaturum se fuisse carmini ei, quod modo accepisset.*

(36) Godescalcus Rathramno respondet misso carmine VII, adiecto Lupi libello de tribus quaestionibus[1].

(37) Rathramnus opus de praedestinatione regis iussu compositum duobus libris absolvit[2].

(38) Iohannes Scottus et Amulo, episcopus Lugdunensis, in Godescalcum scribunt[3].

842—853 *(39) Rathramnus a Karolo Calvo iussus Radberti Paschasii, abbatis Corbeiensis, sententiam examinare librum de corpore et sanguine domini scribit*[4].

853—855 *(40) Rathramnus Augustini et Hilarii de trina et una deitate sententias ab se collectas et explicatas ad Hildegarium, episcopum Meldensem, mittit*[5].

ab a.c. 855 ad a.c. 870 *(41) Godescalcus trinam deitatem recte dici et ipse adversus Hincmarum defendens multas in omnes partes dimittit epistulas*[6].

(42) Godescalcus in epistula ad fratrem absentem Hincmaro maledicit[7].

856 Sept. — 857 in. *(43) Hincmarus componit ingens volumen de praedestinatione et libero arbitrio contra Godescalcum et Rathramnum mittitque ad Karolum regem*[8].

---

1) *Cf. ad n. 34.* 2) *Hincmarus (Migne 125, 90). Edidit Rathramni opus post alios Mignius 121, 11—80.* 3) *De Amulonis epistula (Migne 116, 84—96) cf. Schroers pag. 120; de Iohannis opere vide supra pag. 519 et 522. Alii Scotti quomodo de Godescalci doctrina cogitaverint e tribus codicibus a Scottis scriptis apparet (cf. Traube, Abhandlungen l. c. pag. 350): in codice enim Boerneriano epistularum Paulinarum et in Sangallensi euangeliorum sanctae scripturae locis non nullis, qui contra eius doctrinam facere viderentur, in marginibus adscriptum legitur* contra ΓΟΔΔΙCΚΔΛΚΟΝ, ΓΟΔΔΙCΚΔΛΚΟC, ΓΟΔΔΙCΚΔΛΚ, ΓΟΤΙCΚΔΛΚ; *pariter in Bernensi 363 ad Serrii verba haec* omnis res hominum aut ex nostra voluntate descendit, ut puta sedere surgere, aut ex fati necessitate, ut nasci mori, aut ex deorum voluntate, ut navigare vel honoribus frui *librarius* contra godiscalcum *apposuit; infra, ubi Servius dedit* meritum non nisi ex praestantis beneficio descendit, *in margine aut idem aut alius scripsit* god. 4) *Apud Mignium 121, 126—170. Rathramni liber* de eo quod Christus ex virgine natus sit *(ib. 81—102) quo anno qua data occasione sit scriptus, nondum exploratum est. Rathramni epistulas in Collegio S. Trinitatis apud Dublinium (cf. Bernardi Catalog. manuscriptor. Angliae et Hiberniae II 2 pag. 42 n. 703, 6) extare nullas certiorem me fecit T. K. Abbott, qui ibi bibliothecae praeest.* 5) *Hincmarus de una deitate (Migne 125, 475. 500. 512). Rathramni opus nunc deperditum quo tempore sit conscriptum, Schroers nos docuit pag. 152; accedit, quod Hildegarius infula ornatus est intra a. 853 et 855.* 6) *Hincmarus de una deitate (Migne 125, 475):* Gothescalcus .. invidia mei, quem in ecclesia cantari trinam deitatem vetuisse audierat .., plurima scribere et ad quoscumque potuit, primum latenter, deinde quantum sibi licuit aperte, mittere procuravit. novissime diebus istis hanc subiunctam *(pag. 475—479)* schedulam, quae ad nos communiter per complices ac satellites suos pervenit, inde conscripsit; *idem aliarum scedularum fragmenta affert pag. 580, 581, 588, 597, 604. Cf. Schroers pag. 152—156.* 7) *Hincmarus de una deitate (Migne 125, 613):* scripsit et alia multa ridicula, quae apud fautores suos, quibus ea servanda fraudulenter donavit, invenimus. quae .. ut vera deliramenta maniatici et aniles fabulas hic inserere superfluum duximus. ponendam tamen adhuc unam de eius naeniis censui. ante hos siquidem annos revelatum sibi quibusdam familiaribus suis scripsit, quod ego statim post tres semis annos suae revelationis .. mori et ipse Remorum episcopus fieri et post septennium veneno interfici et sic gloriae martyrum adaequari deberet. et cum prophetiam impleri non vidit, inter alia haec cuidam sectatori iuvenculo, quales solebat diligere, scripsit: 'sed iam tempus est fratrem deseri absentem'; *quae secuntur cola et commata, cum ad Godescalci normam non omnia cadant aut desinant, dubito num ab Hincmaro accurate adlata sint. Ne ea quidem verba magna fide digna sunt, quae antecedunt:* scripsit quoque ad deum loquens et dicens ei, quod ipse illi praeceperit, ut pro me non oraret et quia primum filius in eum intraverit, postea pater, deinde spiritus sanctus, qui in illum intrans ei circa os barbam adussit; et quia nollet vestimenta *cetera (cf. supra ad n. 23).* 8) *Flodoardus, qui praefationem servavit, SS. XIII 502 (= Migne 125, 49). Cf. Schroers pag. 136.*

860 *(44) Hincmarus alterum de praedestinatione et libero arbitrio opus ad regem mittit*[1].

860—861 *(45) Hincmarus ad filios ecclesiae suae mittit librum ex orthodoxorum patrum dictis collectum de una et non trina deitate ad repellendas Godescalci blasphemias eiusque naenias refutandas*[2].

(46) Hincmarus eundem librum mittit Godescalco nec quicquam apud eum proficit[3].

863 Iun. *(47) Hincmarus, ut de Godescalco rationem redderet, una cum eo ad synodum Metensem vocatus litteris serius allatis non venit*[4].

(48) Nicolaus papa ex Liudone, diacono Remensi et tunc Hincmari legato, de Godescalci damnatione et reclusione quaerit[5].

863. 864 *(49) Hincmarus per nuntios et litteras apud papam se excusat: si ille sibi scriberet, ut Godescalcum a custodia solveret et aut ad se eundi, ut eius doctrinam experiretur, aut ad quemcumque alium pergendi licentiam donaret, illius iussionibus se non esse resultaturum*[6].

ante a. 865 *(50) Rathramnus Rimbertum, presbyterum Hamburgensem, de cynocephalis et interrogat per litteras et docet*[7].

865—877 *(51) Rathramnus ad Rimbertum, iam archiepiscopum Hamburgensem, et Adalgarium, abbatem Novae Corbeiae, de propinquorum coniugiis scribit*[8].

866 *(52) Guntbertus, monachus Altivillarensis, cum libris, vestimentis, caballis e monasterio aufugiens Godescalci, cuius sectator erat, reclamationem ad papam perlaturus esse dicitur*[9].

866 Sept. *(53) Hincmarus Egiloni, archiepiscopo Senonensi, Romam eunti multa de Godescalco scribit*[10].

866 Sept. —870 *(54) Godescalci mortem instare simul atque Hincmaro nuntiatum est a fratribus iis, quibus eius curam delegarat, mittit ei per eosdem fratres scriptiunculam, cui, quae de praedestinatione et trinitate ecclesia catholica sentiret, paucis complexus hunc imponit finem:* ita si credideris in corde tuo et ita professus fueris in ore tuo et ita subscripseris coram testibus manu tua te credere et profiteri et in hac credulitate et professione permanere, iudicio sancti spiritus per episcopale ministerium, quo damnatus es, absolvi poteris et participationi corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi et communioni catholicae ecclesiae restitueris. *Ipsos autem fratres per litteras hortatur, ut, si se Godescalcus, antequam anima egrederetur de corpore, recognovisset, ei et spiritalem et corporalem humanitatem exhiberent; sin autem in obstinatione permanens mortuus esset, cum psalmis et hymnis ad sepulturam deportari eum vel in communi fratrum sepultura sepeliri non oportere, privatae autem sepulturae*

---

1) *Sirmondum secutus edidit Mignius 125, 55—474; cf. Schroers pag. 142.* 2) *Flodoardus SS. XIII 502; Sirmondi editionem Mignius iteravit 125, 473—618.* 3) *Hincmarus (Migne 125, 615).* 4) *Hincmarus ad Nicolaum (SS. XIII 500).* 5) *Hincmarus ad Nicolaum (SS. XIII 500).* 6) *Hincmarus ad Nicolaum (SS. XIII 501); Flodoardus (SS. XIII 502).* 7) *Rathramni epistulam (apud Migne 121, 1153—1156) nuper ad codicem recognovit O. F. Fritzsche in Zeitschrift f. wissenschaftl. Theologie XXIV (1881) pag. 57. Rimbertus, ut erat minister Anscharii, monachi olim Corbeiensis (cf. supra pag. 38 adn. 3), cum Rathramno familiaritatem facile inire poterat. — In codice Bernensi 363 (cf. supra ad n. 38) fol. 88ᵛ ad Servii verba:* gemini sunt non duo, sed simul nati *et fol. 65ᵛ ad verba similia in margine adnotatum legitur* rathramnus. 8) *Epistulae initium in codice Herfordiensi inventum publicavit R. Wilmans, Die Kaiserurkunden d. Provinz Westfalen, Monasterii 1867 pag. 505—506.* 9) *Hincmarus ad Egilonem (Migne 126, 68; 76). Cf. supra ad n. 23.* 10) *Sirmondi editio a Mignio redditur 126, 68—76. Cf. Schroers pag. 573 adn. 83.*

humanitatem ei non esse denegandam. Hincmari ad se missam epistulam Godescalcus accipiens in furorem versus ea, quae mandabantur, detestari et amplius coepit blasphemare. Et cum iam finis eius appropinquaret, fratribus qui aderant, ut a pravo suo sensu et perversa sententia se revocaret et communionem sacram perciperet, suadentibus respondit a suo se sensu et sententia revocare et com-
30 Oct. *munionem per auctoritatem non posse accipere:* sicque indignam *ut ait Hincmarus* vitam digna morte finivit et abiit in locum suum[1].

868 *(55) Rathramnus librum de ortu S. Mariae non esse Hieronymi contra Hincmarum defendit*[2].

(56) Rathramnus contra Graecorum opposita scribit[3].

2. Carmina infelicis monachi quot effugissent temporis et hominum iniquitatem, conservata qualem artem sequerentur, quorsum pertinerent, quando scripta essent, supra in transcursu indicavi[4]*; hic breviter exponam, qua quodque ad nos pervenerit*[5]*. Vindicavit igitur ab interitu codex Guelferbytanus 1062 carmen quod a nobis numeratur primum, Parisinus 1154 secundum et tertium, Parisinus 3877 quartum, Parisinus 1154 et Augustodunensis 33 quintum et sextum, Sirmondi codex iam dudum amissus septimum. Antecedit apud me carminibus epistula ad Lupum, episcopum, ni fallor, Catalaunensem (c. 835—857), a Godescalco iuvene missa (cf. supra pag. 709 n. 8), quae quamquam praeter utriusque cum altero consuetudinem nullam rem notabilem pandit, e codice Vaticano 7803 a nobis tamen protrahitur, ut Godescalci prosa verbis similiter desinentibus diligentissime distincta quam numerose cadat e luculento exemplo colligatur. Sequitur appendix, in qua duo carmina ex codice universitatis Cantabrigiensis Gg. 5. 35 deprompta collocavi, alterum constans versibus ex Godescalci carmine primo memoriter repetitis, alterum prioris imitatione effictum. Edidit secundum Godescalci carmen Franciscus Monnier (De Gothescalci et Iohannis Scoti Erigenae controversia, Parisiis 1853, pag. 102) Edélestand du Méril (Poésies populaires lat., Parisiis 1843, pag. 141) Guido Maria Dreves (Analectorum hymnicorum vol. IX, Lipsiae 1895, pag. 16), tertium Monnier (pag. 101), quartum Monnier (pag. 95, cf. pag. 3), quintum E. du Méril (pag. 177) Monnier (pag. 15) Daniel (Thesauri hymnologici vol. IV, Lipsiae 1855, pag. 173), sextum Lebeuf (Dissertations sur l'histoire ecclésiastique et civile de Paris, vol. I, Parisiis 1739, pag. 493) E. du Méril (pag. 253) E. de Coussemaker (Histoire de l'harmonie au moyen âge, Parisiis 1852, pag. 93) Dreves (XIX pag. 10); appendicis carmina, Godescalci epistulam, carmen eius primum*[6] *primus edo, qui idem in quinto et sexto edendis primus codice Augustodunensi utor; de septimi editionibus infra dicam.*

(V) Codex 7803 bibliothecae Vaticanae, olim 46 armarii 6 archivii Vaticani, ubi fol. 192° Godescalci epistula post Isidori Origines manu non ineleganti saeculo IX scripta est, sed litteris aliis detritis, aliis recentiore atramento superinductis (= V[1]*), nonnullis in extremis versibus abscisis difficulter legitur. Quae epistula olim commemorata ab Arevalo Isidorianorum part. IV cap. CVII (apud Migne 81, 915), unde Wiggers (cf. supra pag. 711 adn. 3) eius mentionem accepit, nunc demum editur codice a Iohanne Graeven*

---

1) *Hincmarus in appendice ad librum de trinitate (Migne 125, 615—618); eius ad Altivillarenses epistula seorsum tradita etiam in codice Remensi exstat (apud Migne 126, 92—93), cf. Flodoardus (SS. XIII 553, 24). Mabilio in Annalibus (XXXVI 42): 'eius obitum in veteri necrologio Altivillarensi notatum puto ad tertium Kalendas Novembris, ubi* Godescalcus monachus *legitur'; quae verba quin Mabilio ad haeresiarcham recte rettulerit, nullus dubito, cum nomen in Gallia nequaquam frequens fuerit. Ante annum 870 mortuum eum esse inde apparet, quod Hincmaro capitula adversus Hincmarum Laudunensem scribente non iam inter vivos est, cf. Migne 126, 441.* 2) *Cf. supra pag. 406 seq.* 3) *Apud Mignium 121, 225—346.* 4) *Cf. supra n. 10, 15, 34, 36.* 5) *Cf. Duemmler N. A. IV 320.* 6) *Neque enim primum carmen a Flossio editum erat, licet id in catalogo Guelferbytano affirmetur.*

reperto atque ultima eius pagina, quae epistulam continet, ab eodem viro docto ad codicem lecta, a me ad photographon relecta; per cola et commata periodi idcirco a me scribuntur, quo facilius ars Godescalciana appareat; uncini non ponuntur nisi ad significanda extremorum, qui in codice sunt, versuum supplementa, quibus locis quot litterae perierint, plerumque non iam patet.

(H) Codex saeculo X aut in Gallia scriptus aut ad Gallicum exemplum descriptus[1], *quondam Flacii Illyrici, post Helmstadiensis 1062, nunc Guelferbytanus 1164 et ab Ottone de Heinemann in eius bibliothecae catalogo accurate enarratus (I 3 pag. 35—36); Godescalci carmen primum folio 226 habetur; Bernhardus Kuebler, amicus, descripsit.*

(P) Codex sancti Martialis Lemovicensis, nunc Parisinus 1154, saeculo IX scriptus, a multis magni aestimatus atque saepe adhibitus, fuse descriptus ab Ernesto Duemmler (N. A. IV 114), a folio 98 ad 142 canticorum syllogen ita dispositam tradit, ut octo eius partes facile inter se distinguantur, confessiones partim neumis instructae, carmina Paulini Aquileiensis cum neumis, Boethii carmina cum neumis, carmina de die iudicii cum neumis, carmina de festis partim cum neumis, carmina de sanctis, planctus cum neumis, hymni de festis. Inter confessiones melodia carentes tria Godescalci carmina exstant: id, quod apud nos est quintum, folio 98, tertium fol. 106^{v}, secundum fol. 108; sextum invenitur inter planctus folio 131^{r} idque notis musicis adscriptis (cf. apud Coussemaker tabula II 3, apud nos tabula IV). Nominatim quintum et sextum traduntur; secundo et tertio poctae nomen non praeponitur. Sed secundum esse Godescalci extra dubitationem positum est ex eo tempore, quo carmen Guelferbytanum Godescalci nomine insignitum innotuit, quod ei est simillimum, nisi forte idem est et sola tradentium diversitate dissonum[2]*; nam si illo aevo ulli versus cantu potius quam litteris memoriae prodebantur, id profecto cadit in Godescalcianos. Tertium carmen, quod in codice ante secundum legitur, Godescalco ab arte vindicatur, qua sicuti cetera nominatim ei adscripta et secundum sine nomine traditum, sic et ipsum inter omnia eminet, quotquot in syllogen recepta sunt*[3]*. Contulerunt E. Duemmler, A. Molinier, H. Lebègue; sextum usque ad v. 6, 4 ad photographon recognovi.*

(A) Codex 33 Seminarii Augustodunensis ipse vitas sanctorum tradit (cf. Catalogue général in 4° I pag. 20); in folio autem additicio versus Eugenii Toletani (apud Migne 87, 364 c. 13) et Godescalci carmina quintum et sextum saeculo X scripta sunt. Utor chartis photographis meum in usum confectis Henrico Omont, Salomone Reinach benigne intercedentibus.

(M) Codex olim Mazarinaeus, nunc Parisinus 3877, scriptus saeculo X, continet Isaaci episcopi Lingonensis capitula; antecedunt verba Graeca et versus Guidonis, quae supra edidimus (pag. 701); iis Godescalci carmen quartum folio 4 insertum; transscripsit Augustus Molinier.

(C) Codex in universitate Cantabrigiensi Gg. 5. 35 saeculi XI, cf. supra pag. 561. Quo celeberrimi nominis libro cum G. Meyer Spirensis Godescalciana quoque contineri

---

1) *Fortasse in monasterio Hildenesheimensi, nam in eadem pagina, qua Godescalci carmen,* Porta coeli *manu aequali scriptum legitur; quamquam plura monasteria id nomen habuere.* 2) *Cf. ad appendicis c. I.* 3) *Cf. Guilelmus Meyer Spirensis ad ludum de Antichristo pag. 69 et nos supra ad n. 10. Errarit igitur Franciscus Monnier, cum carmina vere Godescalciana, secundum et tertium apud nos, inter dubia poneret, abecedarios autem tres ab eius arte alienissimos, qui carmen genuinum in codice Parisino sequerentur, et ipsos genuinos iudicaret, scilicet* ad caeli clara non sum dignus sidera *fol. 99^{v} (in Ulixis Cheralier Repertorio hymnologico n. 107),* ad te deus gloriose rerum factor omnium *fol. 102 (Chevalier n. 282, postea edidit Dreves XIX pag. 37),* anima nimis misera infelix scelestissima *fol. 104 (Chevalier n. 1092). Idem carmen Sapphicum* totius mundi machinae creator *fol. 106 (cf. Duemmler N. A. IV 115), quod et ipsum spurium est, minus male saltem inter dubia posuit.*

me ex Roberti Priebsch catalogo (Deutsche Handschriften in England I 20—27) docuisset, folii 445 exemplum photographum fieri iussi, ad quod quae in appendice proponuntur carmina descripsi.

(S) Iacobi Sirmondi membranulae — neque enim iustus codex erat — ignoramus, quo in monasterio quo tempore scriptae fuerint; neque scimus, collegii Claromontani bibliotheca divendita quo pervenerint[1]*. Ibi autem post Sirmondi mortem ab anno 1651 ad 1764 asservabantur, iam cum aliis fragmentis in codicis formam redactae, qui codex in eius bibliothecae catalogo ita describitur (n. DLXXXVII pag. 210): 'Fasciculus quaternionum membranaceorum in 4° (foliorum 122) partim IX°, partim X°, partim XI°, partim XII° saeculo exaratorum. Ibi continentur, 1°. Herardi Turonensis archiepiscopi Capitularia et eiusdem Commonitorium (imperfectum) ad Guenilonem archiepiscopum Senonensem. 2°. Iuvenci presbyteri Fragmentum libri metrici Evangeliorum. 3°. Decreta Bonifacii Papae (forte Benedicti VII). 4°. Fragmentum libelli de quatuor Virtutibus. 5°. Folium de numeris et ponderibus (Opusculum, ut videtur, completum). 6°. Folium de Genealogia Regum et Principum. 7°. Epistola Leonis II. Papae ad Metenses in gratiam Drogonis, quem vocat archiepiscopum Metensem (edita). 8°. Decreta PP. Romanorum (edita in Conciliis Labbei tomo 2°. part. 2. p. 300 et tomo 3°. p. 346 et p. 436). 9°. Epistola Nicolai I. Papae (edita). 10°. Berengarii archidiaconi Andegavensis Retractatio. 11°. Epistola Ioannis diaconi et cancellarii E. R. ad (Guidonem) abbatem Molismensem (ut videtur, inedita). 12°. Epistola Ivonis Carnotensis ad Lugdunensem archiepiscopum. 13°. Homiliae (imperfectae) in Evangelia. 14°. Epistola (inedita) satis prolixa Matthaei Albanensis episcopi et cardinalis ad abbates qui consueverant Remis convenire singulis annis pro correctione monastici Ordinis. Incipit:* Patribus conscriptis, coelestis curiae senatoribus, abbatibus illis qui condixere singulis annis Remis convenire pro monastici Ordinis correctione, Matthaeus Dei gratia Albanensis episcopus, eorum frater et devotus amicus, gratia et pax a Domino Patre et Domino Iesu-Christo. *15°. Incerti Authoris liber ad Monachos (ineditus). 16°. Epistola Ludovici Pii ad Agobardum Lugdunensem archiepiscopum. 17°. Capitula Callixti II. Papae. 18°. Gottescalchi Versus iambici et heroici (a Sirmondo editi). 19°. Iuvenalis Satyrarum Fragmentum (tribus quaternionibus constans) saeculo X°. exaratum. 20°. Epistolae Pelagii II. Ioannis IX. ac Benedicti IV. PP. 21°. Epistolae nonnullae Leonis, Felicis, Hormisdae et Innocentii PP. Omnes hi quaterniones ex variis codicibus videntur avulsi.' Ipse Sirmondus iisdem membranulis usus ter e Godescalci carmine septimo paucos versus edidit: anno 1611 in notis ad Ennodii opera pag. 26 (= S^e) primos decem Anacreontios (= Sirmondi Operum ed. Venet. I 878), a. 1645 in Hincmari operibus I pag. 555 (= S^h) hexametros 107—132, a. 1650 in editione Lupi de tribus quaestionibus (= S^l) hexametros 116—125 (= Operum II 945). Tandem a Gilberto Mauguin (Vindiciar. praedestinationis II 58 Parisiis 1650) fraudis accusatus, quod non omnes versus edidisset, constituit, ut id iam per Cellotium fieret*[2]*. Is Sirmondo obsecutus primam totius carminis editionem in 'Historia Gotteschalci praedestinatiani' emisit eique haec verba praeposuit (pag. 415): 'monumentum istud habemus a manu Sirmondi . ., placuit religiose, ad nuevos usque prosodiae et orthographiae colaphos describere, quod incertum sit ab auctore proveniant an ab antiquario; interpunctionibus tantum distinximus, quibus membranae veteres monasticae carere solent.' Quae dum Cellotius praefatur, Sirmondus inter vivos erat; sed mortuus est, antequam anno 1655 amici editio in lucem prodiret. Nostra aetate Mignius eam descripsit, Patrologiae lat. 121, 367—372.*

1) *Cf. V. Rose Die lat. Meerman-Handschriften zu Berlin pag. III.* 2) *Philippus Labbeus Novae bibliothecae pag. 59 anno 1653: 'versus longe plures editis publicabuntur mox a viro perquam erudito'.*

Domino gloriosissimo patrique piissimo inter vasa misericordiae ac honoris excellentissimo et tam sublimitate sapientiae quam sanctitate vitae reverentissimo Lupo gratia dei pontif(icali) cathedra dignissimo antistiti benignissimo Gottescalc licet infimus omnium degentium sub caelo fidissimus tamen corpori et spiritui vestro praesentis vitae ad emolimentum et ⟨hic⟩ longaevam prosperitatem opto et perennis postmodum gloriae sospitatem in Christo.

Decimo kalendarum Augustarum die beatitudinis vestrae mihi delatae sunt litterae sapientia speciosissimae eloquentia splendidissimae et, quae his maiora sunt, humilitate praemunitissimae c⟨aritate⟩ praecellentissimae et ideo mihi karissimae atque gratissimae; insuper etiam inde m⟨ihi⟩ non modo melle verum et omni nectare dulciores visae sunt et adhuc videntur apparere, q⟨uod⟩ nuntiaverunt non solum spirituali, quae semper, deo gratias, augetur, salute te pollere, sed et corpora⟨li⟩, quae universis fidelibus vestris, inter quos et ego, si dignamini, sum, quamvis extremum ibi loc⟨um⟩ merear, si tamen et hoc mereor, possidere, necessaria est, sanitate vigere.

Ut illos igitur tam optatae felicitatis indices exiguitas mea semel lustravit apices, confestim la⟨udes⟩ agens deo supplices vobis etiam grates retuli multiplices.

Quae quidem duo facere ⟨iam⟩ tunc inivi, sed omnino necdum finivi; immo haec consummare non statui, dum meo virtus inest spiritui.

Et utique, si velim diligenter adtendere appendere ac perpendere, tant⟨um⟩ mihi bonum per gratuitum gratiae suae donum deus ibi dignatus est impendere, ut ei non semel, sed semper oporteat mansura laudum rependere, quoniam, quoad vixero, non ea quibo perexpen⟨dere⟩, quin potius cum obiero, tunc ad id incipiam contendere, si tamen mihi meritis vestris nunc clementiam d⟨ig⟩netur divina pietas praetendere, sine qua nullus umquam sanctorum, quanto minus ullus nostrum iniustorum, potuit potest aut poterit, ut multo melius eximietas vestra novit, ad u⟨llu⟩m bonum inchoandum vel semel salubriter animum intendere, nedum ad consummandum, velut op⟨or⟩tet, pertendere: et re vera sagacitas vestra scit optime incessanter debitum caritatis debere nos deo ac proximo sinceriter solvere, quod profecto constat non posse quemquam persolvere.

Prae⟨terea⟩ nec illud in epistula vestrae dignationis mediocre tripudium visceribus meis infudit, immo vero v⟨el⟩ me totum odorifero unguine vel ambrosio suco perfudit et ad vos cumulatius diligendum transfudit, quod vestri notitiam reducendo ad memoriam et locum et tempus mutuae conlocutionis nostrae fluore suavi piissima paternitas vestra profudit.

Miratus quidem sum et miror adhuc admodum tectum celsitudinis vestrae speciosum, ornatum claritudinis formosum, sed longe vehementius ar⟨deo⟩ et stupeo

---

3 pontif *V supplevit Graeven* 5 presentis (*et aliquotiens* e *pro* ę, *item* ę *pro* e) *V* emulimentum V^1; *incertum, quid habuerit V* 7 decima augustarum die V^1, *sequor tenuia vestigia V* 9 cl⟨ementia⟩ *Graeven* 10 karisme *corr. V* 12 spali *V* 12 *salute pollere *V* 17 la *V suppl. Graeven* 23 *ma.iura *signo post* a *incerto et super* i *fortasse* e *scripto V* 24 perexpen⟩ *V suppl. Graeven* 25 clementiam *Graeven ad apicum vestigia in V* 26 nr̄m *idem sibi videtur legere in V* 27 u . . . m *V suppl. Graeven* 32 prae *V suppl. Graeven* 33 totum⟩ t (*4 litterae in membrana perforata periere*) *V suppl. Graeven* 35 *saui *V* 38 *post* speciosum *aut* formosum *tertium enuntiati membrum interisse puto* ar, *V suppl. Graeven*

1 vasa misericordiae *Rom.* 9, 23. 21 adtendere, appendere ac perpendere, *cf. Godescalci confessio (Migne* 121, 361*)* haec, domine, fac, ut, sicut oportet, attendant, appendant atque perpendant; *eiusdem scedula de trina deitate (Migne* 125, 475*)* istud attendat, appendat et mente perpendat; *eiusdem carmen ad Rathramn. (infra VII* 98*)* hoc equidem attendens, appendens atque revolvens.

vestrae beatitudinis animum humilitatis excellentia generosum, caritatis eminentia gloriosum, benignitatis evidentia luminosum et insuper pietatis magnificentia deliciosum.

Sed quid vobis rependam pro munere tam dulci, grato nimis ac suavi? nisi quod totus esse cupio, dum vivo, vester, si tamen dominus Iesus Christus, redemptor noster, utriusque nostrum fore dignetur sequester.

Nam de vestra parte nihil, de mea vero non mediocriter dubito; non tamen, quod absit, de illius gratia diffido, in quo bea(tus fore) et semper confisus sum et confido, quia, qui Lazarum distulit, ut posset resuscitare, me quoque peccatis me(rsum) potens est vivificare; sed utinam mihi non desint sorores, quae pro me velint et possint eidem supp(licare), quod vos, domine mi, dignamini, quaeso, misericorditer flagitare et Christi Iesu clementiam suppliciter invocare.

I.

VERSUS GODESCALCHI.

1. Christe, mearum
lux tenebrarum,
memet in atrum
criminis antrum
sive baratrum
suscipe lapsum.

2. Unde per almum
te rogo flatum,
nobile verbum,
qui regis ipsum
cum patre mundum,
compar in aevum:

3. Erue servum
valde misellum,
pelle piaclum,
tolle reatum,
dirige gressum,
redde paratum.

4. Atque clientem
suscipe flentem
teque timentem;
da mihi mentem,
fraude carentem,
prava caventem,

---

45 nihil| *V* 49 supp| *V suppl. Graeven* 50 invocare *Graeven ad litterarum reliquias in V* [I.] *titulum praebet H* 1, 1—4 = *app(endicis carm. I)* 1, 1—4 3 atru| *H*, altrum *C* 6 *cf. app.* 1, 6 respice lapsum *et app.* 2, 6 aspice lapsum 3, 1—4 = *app.* 2, 1—4 1 *cf. c(armen Godescalci)* II 5, 2 erige vernam piaculum *C*, pliadum *H* 5 = *app.* 1, 5 dirigre *H* 6 *cf. app.* 2, 5 sive paratum 4, 1—4 = *app.* 3, 1—4 1 *cf. c.* II 4, 2 2 *cf. c.* II 4, 1 3 *cf. c.* II 4, 3

[I.] *Versus Adonios continuos usurpaverunt inter Romanos Terentianus, Martianus, Ennodius, Boethius. Terentianum Scotti secuti sunt: Columbanus ad Fedolium (ed. Gundlach Ep. III* 186*), Patricius in celeumate (ed. Pitra Spicileg. Solesm. III* 399*), is qui carmen codicis Parisini 8069 composuit (ed Riese Anthol. lat. c.* 739*). Scotti exemplo fuerunt poetis recentioribus: Paulo Diacono (ed. Duemmler Poet. I* 69*), Pseudo-Hrabano (ed. Duemmler Poet. II* 257*), ei, qui Rainaldum, abbatem Floriacensem, planxit (ed. Duemmler N. A. V* 635*), Saxoni grammatico (ed. Holder pag.* 13*), ceteris. Herimannus Contractus (ed. Duemmler Zeitschrift f. deutsches Alterthum XIII* 385*) binos vel plures versus singulis syllabis inter se similibus terminavit; Theobaldus (ed. Migne* 171, 1223*) et ipse exitus consonare voluit, sed binis Adoniis arctius inter se iunctis solam secundam quamque clausulam concentu adstrinxit. Non pauci denique poetae eosdem versus ad verborum accentum formabant. Cf. Peiper ad Boethium de consolatione pag.* 220*, Meyer Spirensis ad ludum de Antichristo pag.* 98*, Traube Karolingische Dichtungen pag.* 136. 3, 1 servum *ad nominis originem; pariter in codice Vindobonensi inscribuntur* versus Udalrici Babenbergensis ad Gotescalcum dei servum *(cf. N. A. XIX* 225*).*

5. Ima sinentem
summa petentem,
teque colentem
atque scientem,
te venerantem,
quin et amantem.

6. Tu deus unus
cum patre summus,
flamine plenus,
semper amandus,
mente colendus
seu venerandus,

7. Tu metuendus
rexque tremendus,
tutor habendus
et reverendus
duxque sequendus
atque petendus,

8. Inclitus omnis
conditor orbis
luxque perennis,
tu, pia cunctis
norma ministris,
forma salutis,

9. Dextera fessis,
spes quoque lapsis,
palma regressis,
sedula iustis
gloria servis
et decus almis,

10. Spes mea, Christe,
rex benedicte,
lux pia vitę
duxque perite,
pastor amande,
quin venerande,

11. Respice nunc me,
da, sequar ut te:
iam miserere
iamque medere,
et tibi fac me
iamque placere.

12. Gloria lausque
sit tibi, Christe,
cum genitore,
quin et amore
nunc utriusque,
quin sine fine.
amen.

II.

1. Spes mea, Christe,
rex benedicte,
lux pia vitę,
duxque perite,
pastor amande
seu venerande,

2. Summe creator
et reparator,
sis mihi factor
semper et auctor,
sis animator
et recreator.

5, 2 *cf. c.* II 4, 4 5 = *c.* II 4, 5 6 = *c.* II 4, 6, *cf. app.* 3, 5 temet amantem 6, 2 *pat| *H* 3 flammine *H* 6 *cf. c.* II 1, 6 7, 1 *Tum intuendus *H* 3 tu cor *H corr. G. Meyer* 6 *atque per *H* 9, 4 *cf. c.* II 13, 1 sedula dulci *et* 3, 1. 2 tu iugis esto gloria servo *scedula *H* 10, 1—6 = *c.* II 1, 1—6 4 rexque *H* 6 quin *H*] seu *P* 11, 3 *cf. c.* II 8, 4 6 placer, *H* 12, 3 *cf. c.* II 13, 2 4 *cf. c.* II 7, 2 5 utriusque *Kuebler*] ...iusq| *H*

[II.] Incipit carmen *inscr. P* 1, 3 uite (*et saepius* e *pro* ę) *P* 6 seu *sic P* 2, 3 michi *semper P* fautor *Dreves, cf. c.* III 1, 4 *et* 11, 1

5, 6 quin *rox Godescalci propria.*

[II.] *Cf. supra pag.* 721.

3. Tu iugis esto
gloria servo,
perpes alumno
vita misello;
semper adesto,
rex pie, voto.

4. Respice flentem,
quaeso, clientem,
te metuentem
atque petentem,
te venerantem,
quin et amantem.

5. Porrige dextram,
erige vernam,
exue multam,
postulo, culpam,
corrige vitam,
tu, male tritam.

6. Tolle ruborem,
mitte pudorem,
pelle pavorem,
funde nitorem,
velle rigorem
daque vigorem.

7. Necte timorem
quin et amorem,
posco, perennem
per genitorem,
qui regit omnem
fortiter orbem.

8. Semper ubique,
Christe, tuere
et mihi, celse
tu, miserere,
teque timere
atque amare,

9. Per tua, sancte,
scripta meare,
corde vel ore
hinc peragrare,
perpete mente
hinc recitare,

10. Da meditari
et modulari,
ore profari,
corde operari
et tibi regi
da famulari.

11. Haec ego verbi
munere summi
atque corusci
posco adipisci
pressus inormi
mole piacli.

12. Christe, clienti
consule flenti
et, precor, audi
vota miselli,
unice fili
patris amandi.

13. Sedula dulci
laus genitori
et tibi proli,
flamini et ipsi,
perpes et uni
laus deitati.

4, 3 metuentem *sic P* 5, 3 elue *G. Meyer* 6 male *sic P* 6, 3 pelle *sic P* 5 uelle *sic P* 7, 3 perhennem (*semper*) *P* 5 reget *corr. P* 8, 5. 6 daque timere quin et amare *G. Meyer* 6 *an* *atque (da) amare? 9, 1 *Per uia sanctę *P* 2 et scripta *P* 5 perpeti *P* 10, 3 *proferri *P* 11, 1 uerb,i *P* 5 pressū *P corr. Monnier* 6 more *P corr. Dreves* 12, 4 *uitam *P*

3, 2 *Cf. ad c.* I 3, 1. 9, 6 perpete mente recitare, *cf. Hincmarus de Godescalco (SS. XIII* 501): catholicorum dicta per totum diem sine respiratione aliqua praevalet memoriter decantare.

III.

1. Christe, rex regum dominans in aevum,
lumen aeternum, patris atque verbum,
qui regis cunctum pietate mundum,
factor egentum,

2. Flebilem multum miserere servum,
mente corruptum recreans alumnum
sis memor dudum tibi recreatum
atque redemptum.

3. Fac mihi signum, pie rex, benignum,
quin et indignum, rogo, redde dignum,
ut canam laudum tibi, Christe, metrum
nunc et in aevum.

4. Corrigas ipsam, precor, alme, vitam
fraude devictam vitiisque tritam,
ut tibi dignam deus obsequelam
iam modo solvam.

5. Tende praecelsam, peto, sancte, dextram
et fuga foedam variamque lepram,
pelle iam noxam, nimium nocivam
delue culpam.

6. Expia vernam reparando formam,
exhibe gratam citius medelam,
forte ne tetram ruar in gehennam
daemone plenam.

7. Nempe tu pridem, deus, hunc in orbem
veneras omnem recreare plebem,
omnibus pacem populisque lucem
ferre perennem.

8. Tuque mortalem deus, alme, carnem
sumpseras idem, homo factus autem
fuderas dulcem simul et salubrem
sponte cruorem.

9. Hancque per mortem religando mortem
